PALÆSTRA STYLI ROMANI

QVÆ

Artem & præsidia Latinè ornateq; quovis styli genere scribendi complectitur,

CVM BREVI

Græcarum & Romanarum antiquitatum compendio,

ET PRÆCEPTIS

Ad Dialogos, Epistolas, & Historias scribendas legendasque necessariis.

AVTORE

P. JACOBO MASENIO

è Societate JESV.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Apud JOANNEM BVSÆVM

Bibliopolam M. DC. LIX.

Sub Monocerote.

FACVLTAS ET APPROBATIO
R. P. Provincialis Societ. Iesu.

E*Go infrascriptus Societ. Iesu per Provinciam Rheni inferioris præpositus Provincialis, potestate mihi facta ab Admod. Rev. P. nostro* Gosvvino Nikel, *Societ. nostræ Præposito Generali, permitto, ut* Palæstra Styli Romani à P. Jacobo Masenio Soc. *Iesu conscripta, atque à designatis Censoribus approbata, publicæ utilitati proponatur, typisque per* Joannem Busæum *mandetur. In cujus rei fidem literas hasce mea manu subscriptas, consuetoq; officii sigillo munitas dedi Coloniæ Anno* 1659. 7. *Iulij.*

Joannes Zvvenbruggen.

REVE-

REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISSIMO DOMINO

D. FRANCISCO EGONI

Comiti in Fürstenberg, Hailigenberg & Werdenberg, Landgravio Barrensi & Stulingensi, Domino Hausensi in Kintzigerthal & Susservveytrach. Metropolitanarum Electoralium & Cathedralium Ecclesiarum Colon. Argentin. & Leodien. respectivè Decano, Thesaurario, Canonico, & Capitulari. Illustris Ecclesiæ S. Gereonis Colon. Præposito, nec non Ser.mi & Rev.mi Principis Electoris Colon. à consiliis intimis, & supremo aulæ Præfecto, &c.

Domino meo gratiosissimo.

REVERENDISSIME ATQVE ILLVSTRISSIME DOMINE.

Qvibus olim in Studiis me aliquando Magistrum audivit Discipulus, pro iisdem nunc cliens Mæcenatem convenio. Non detrectabis, spero, quæ Tua est humanitas, benevoli Patroni officium; quando amoris honorisque Tibi à me impendendi causa, hoc quantulumcunque obsequii genus à

me profectum esse intelliges. Est enimverò, & durat plerumque in Magistris tener quidam, & paterno haud multum dissimilis, erga illos affectus, quos doctrina quondam sua, ut mater lacte infantes, educarunt; tantò etiam justior nobiliorque, quantò animi rationisque instructio, illam quæ corporum est, educationem superat.

Nec uberior Magistro potest suppeditari gaudiorum à Discipulis materies, quam si ad illustris laudatæque vitæ felicitatem, eos, quorum curam paternam suceperunt, emergere videant, & hoc quodcunque demum abs se hauserunt, in eadem sede gloriæ dignitatisque collocare. Macte verò, & cresce illis generosis excelsi animi dotibus, quibus nil vile ac remissum spirasti hactenus. Agnoscit, & veneratur in Te Ecclesia, qui inter primos Antistites præsides, se dignum Præsulem. Tua illam humanitate foves, Tua muneris vigilantia, Tua autoritate componis, Tua magnificentia exornas. Vidimus per Te geminis jam locis veteres Ecclesiasticorum ædes suis è ruinis ad pulcherrimam speciem, decusque Ecclesiis Cathedralibus dignum emergere. Vidimus cultum etiam templorum augeri, suum solennibus festorum diebus hono-

rem reddi, organa illic plausumque musicum suavissimum insonare, ubi vel mutum hactenus silentium, vel parum dispar silentio harmonia intonuit. Neque intra urbis pomœria hæc Tua de cultu divino, atque honore basilicarum instaurando sollicitudo ac liberalitas continetur; ad neglecta & labantia per Diœcesin templa effunditur, ubi locis pluribus, non iniucundo per agros spectaculo, sacræ ædes suo ex squalore ac sordibus, vel ad pristinum decorem innovatæ redeunt, vel ex ipsis etiam ruderibus erectæ, digna superis veneratione, assurgunt. Quod in luxum nonnulli, atque inutiles rerum apparatus, quod in amicos, aut hospites temerè profundunt, hoc pia laudabilique munificentia, in hæc transfundit opera, quæ victuris in seculo monumentis, nominis Tui gloriam posteritati relinquent, ac seris nepotibus testabuntur, quidquid ab Ecclesia bonorum ad Te profluxit, majore in illam abs Te liberalitate refusum esse.

Iam verò, quid post quæsitum Ecclesiarum splendorem atque ornamenta abs Te fieri gloriosius poterit, quàm ut proximo amore bonarum artium ac disciplinarum Gymnades complectaris, illarum professo-

ribus faveas, ſinumque benevolum, Muſis ad Te divertentibus præbeas. Hoc certè maximorum exemplo Principum, nec minori apud præſentes ſecuturoſque nepotes gloria facturus es. Quid enim, ſive ad commune reipublicæ Chriſtianæ bonum utilius, ſive ad nominis immortalitatem poteſt fieri illuſtrius, quàm illa fovere diſciplinarum ſtudia, quibus rudis adoleſcentia non tantum ad ſcientiam, verùm & honeſtatis ac virtutis cultum formatur: quibus & reipublicæ de viris ad quodvis officium idoneis, & Chriſtianæ fidei Eccleſiæque de miniſtris rectè inſtitutis provideatur: Eſt hoc cognatum familiæ generique Tuo, quod illuſtri retrò Suevorum Comitum Ducumque immiſcetur ſanguini, quod præclaris etiam ſanctorum hominum imaginibus ſplendeſcit: nil niſi ſublime ac glorioſum moliri. Cum illius Menradi Sulgovienſis, materna ex ſtirpe nati, mihi ſubit memoria, viri juxtà ſanctiſſimi ac fortiſſimi exemplar concipio. Vt qui celeberrimi Cœnobij Benedictinorum Einſedelenſis, quod Principibus tantùm, Comitibus, Baronibuſque pateret, auctor extitit. Vir adeo charus ſuperis, ut cum ſolitariæ inter ſilvas aſſuetus vitæ latro-

num

num ſcelere anno Chriſti 861. occubuiſſet, corvos de cœlo habuerit vindices, qui, ut Ibyci quondam grues, parricidium detegerent. (c) Quid jam avita Majorum decora memorem, ſub primis Germanici Imperii temporibus non ignorata ?. Viſuntur inter ludos equeſtres, & comitia antiquiſſima nobilitatis non obſcura Fürſtenbergiorum veſtigia. Ludovici I. Imperatoris Rom. ætate invenies priſcos illos heroas celebrari; nec degener ſanguis hactenus, vel parentis tui fortiſſimi gloria ſignatus eſt: qui inter ſecundæ adverſæque fortunæ impetus, invicto ſemper animo, oſtendit, ſatis eſſe adverſus omnes hoſtes caſuſque munitum, quem ſola virtus defenderet. Cujus memoriam tanto libentius majorique grati animi incitamento provocatus, recolo, quòd Societati noſtræ non minus quam Illuſtriſſimus D. Parens addictum ſemper animum tulerit ; ſpe magna, fore, ut iiſdem Majorum veſtigiis nunquam abſiſtant poſteri.

Et certè jam nunc in Tua Rev.^ma Dominat.^ne eminent tantis non indigna Majoribus expeditum, promptumque in rebus

c *Bucelini Annal. in Germania ſacra & Indice Mart. Cruſius in Annal. Suevicis, lib. 2. p. 2. c. 11.*

magnis consilium, matura ad statuendum prudentia, solers ad exequendum industria, idque ex quo consiliorum præses in aula Serenissimi Electoris MAXIMILIANI HENRICI supremusque aulæ Præfectus es, Diœcesis Coloniensis non ingrata agnoscit, dum optimi Principis voluntate, Tuaque adminiculante solicitudine, hoc inprimis agitur: ut patria, longis bellorum calamitatibus prostrata, ærisque alieni mole pressa, suis denique è ruderibus gloriosius assurgat, præclarisque munimentis, tanquam ossibus nervisque roboretur. In quo illa non vulgaris laus est, quæ Serenisss. Principis humanitati & clementiæ, Tuæ verò providentiæ, atque indefesso labori debetur, quod inter tot tantasque publicorum impensas operum, nemo se privatorum premi sentiat, nemo queri audiatur. dum illa videlicet, quæ ex privato conferuntur, non Principis aut Ministrorum cupiditati; sed publicæ utilitati deserviunt.

Videt hæc in Te auditque de suis Majoribus qui Tibi adest ex sorore Nepos lectissimæ indolis adolescens, qui illo quo ad sublimia quæque spirat ingenio, jam nunc in herba de messe futura spem facit egregiam.

hunc

hunc in Grammaticæ adhuc ſcholis hærentem, Latio tamen ſermone loquentem juvat auſcultare. neque deſinis hanc illius digna laude fovere ſolertiam, pulchræque honeſtatis ſtimulis ad magna quæque enitentem propellere.

Quæ me cauſa etiam impulit, ut literariā hanc Styli Romani Palæſtram, tanto facilius ad humaniſſimas Tuas manus deferrem, quod licet Tua nihil dignum Rev.ma Dominat.ne iiſque, quibus nunc vacat reipub. atque Eccleſiæ curis ſtudiiſque complecteretur, Nepotis tamen uſibus vigiliiſque non indigna tractaret. Hic non Latiæ tantùm linguæ, ſed antiquitatis quoque Romanæ Græcæque veſtigia reperiet, hic ad tranſacta olim ſecula redibit animo, cumque eruditionis priſcæ monumenta luſtrabit, non obſcura quoque virtutis argumenta intuebitur. Romæ veteris gloriam admirabitur, religionem ſpectabit, extollet magnitudinem. audiet non ineptam Atticæ Philoſophiæ ſapientiam & probitatem morum ab ethnicis etiam hauriet. Diſcet Romano Sermone elegantiaque loqui, Dialogos adornare, Epiſtolas exarare, hiſtoriam ſcribere. Nec legendi quoque, bonoſque ſcriptores utiliter verſandi inſtitutio defutura eſt.

Quibus si illa quæ de moribus adolescente dignis inter prima eloquentiæ rudimenta tradidi, sedula non minus imitatione expresserit, heroem nobilissimo genere vestro sese non indignum efferet, magnanimamque indolem tanto gratam ac supparem Patruo, ad egregia reipub. munia aliquando traducet. Quod ut illi opto, ita precor ut Rev.mæ atque Ill.mæ Dom. Vestræ longam ad Ecclesiæ & honestarum artium incrementum, minimæque etiam Societatis nostræ patrocinium, ætatem ac felicitatem superi largiantur.

Ita sperat vovetque

Reverendissimæ atque Illustrissimæ D. V.

Humillimus in Christo servus.

I. M.

AD LECTOREM
De usu hujus operis.

A Lius mihi ordo scribendi fuit; alius Tibi, amice Lector, utendi hoc opere suadendus est. Ego naturam secutus, quæ obscurioribus quandoque principiis nititur, velut ab ipsis incunabulis eloquentiam deduco, necessariaque ad hanc educandam præparo, cùm ad bonorum autorum lectionem primo, ac deinde & imitationem instruo: hic enim cibus alimentumque Eloquentiæ est. Denique eandem libro altero, & tertio velut suis è fascibus evolutam, jam incedere ac loqui facio. Sub hæc, ne ornatus desit, varia antiquitate libro quarto instruo. postremò etiam libro quinto suis in Dialogis, Epistolis, historiaque jam grandiorem latinè ornateque disserentem introduco. cetera robustioris Eloquentiæ, quæque oratorem magis decent, exercitamenta, in separatum ab hac parte opus collaturus. Hic meæ institutionis ordo est.

Non idem Romanæ linguæ studiosis agendum est, à facilioribus atque ad eloquendum primò requisitis ordiantur, ad graviora deinde transeant. Puerum elementarium non instruo, sed egressum rudimentis, primasque grammaticæ leges assecutum, cui jam curæ sit, non ut Latinum tantum, sed & Latinè scribat ac disserat.

Ille igitur 1. ex libro primo hujus operis cap. 10. ex secundo cap. 1. & 2. ex tertio pleraque, ex quinto illa capita quæ Dialogos & Epistolas complectuntur, sedulò verset, eorumque præcepta sequatur, tradita quoque Romanæ linguæ præsidia amplectatur, cumque ex his se jam sanguinem viresque ad eloquentiam haurire senserit, ad illa quæ reliqua in hoc opere fuerint se liberius transfundat.

Alterum enim tempus, ejusmodi exercitationibus quæ robustiorem jam palæstritam deceant, impendendum est. volvendi Romanæ linguæ scriptores sunt, legenda plura, seligenda optima, atque ad imitationem traducenda, quo in studio liber 2. totus serviet, alter etiam varietatem in Stylo, non aspernandam ostendet, quartus sua quoque materiæ ornamenta præstabit, quintus solidum Romanæ linguæ robur, quod in historia potissimum viget, Eloquentiæ candidato demonstrabit.

INDEX

INDEX

Qui brevem Rerum, per libros, & capita tractandarum, seriem & ideam proponit.

VII. Na-

VIII. Ex-

XLVIII.

LIBER

INTRODUCTIO IN PALÆSTRAM STYLI.

In qua Autor præter scribendi causam, rationemque quoque ac methodum suscepti operis Lectori observandam proponit.

ARtem benedicendi à tot Magistris traditam accepimus, tot formatam circumscriptamque legibus, ac præceptionibus, ut qui his scribendo adjecerit, difficultatem auxisse magis, quàm abstulisse, laboribus non multùm profuturis, videatur. Cogitandum potiùs, quâ viâ Artis hujus legumque aliquod possit iniri compendium, ne de recto dicendi genere nullus denique habeatur dicendi finis. Rerum usus nos docuit, nullum esse ad Eloquentiam iter expeditius, quàm quod, haustis breviter præceptionibus, exercitatione maximè tenetur. Optimorum hic terere Ducum vestigia & Oratores bonos magis, quam Præceptores volvere consultius duxerim. Hos sæpe ipsos, quos contemplatione Artis docendi facultatem vidimus assecutos, dicendi scribendive elegantia destituit. Nimirum aliud est regulas Artis memoriâ stylove complecti, aliud in succum nervumque solidæ Orationis transmittere. Non satis est Citharœdo tenere, quo chorda quæque loco, atque ordine, ad harmoni-

cum sonum, ferienda sit: aptandi conciitandique ad ictum sunt digiti. Usus ipse magister est optimus. Hunc si amaveris, unum tibi facilè præceptum dedero, quod instar sit omnium: ut eloquentissimos quosque imiteris. Hoc si neglexeris, nec præcepta quidem omnia, licet explorata, unius hujus instar esse poterunt. Fateor equidem, absque legis rationisque dicendi observata methodo, eloquentem fore neminem; at hanc, in soluta præsertim Oratione, tam arduam non agnosco, ut tenuiter ex Rhetoricis hausta, legendo deinde scribendove nequeat penetrari. Quo circa illâ nunc abij sententia, quæ nonnunquam insederat animo, cum suis Poëticam artem præceptionibus, ad faciliorem juventutis usum, aptarem, meque à prolixiori, quā mente designaveram, præceptionum ratione, ad magis compendiariam, ita transferre statui: ut ubi difficultas gravior, gradum pressius aliquantò in ipsa eloquendi exercitatione figerem. Quod si ad usum imperitiorum, per tenuiora etiam Grammaticorum principia, nonnunquam præstitero, grandiores Eloquentiæ alumni ne despiciant, si quandoque etiam peritioribus tantùm loqui visus fuero, rudiores aspirent. Multis scribere volui, non solum peritis; quia minus egent; nec imperitis tantùm; quia minus capient.

§. 1. Video non paucos in hoc scribendi genere ita versatos esse, ut cum præceptiones eloquenter scribendi traderent omnem ipsi negligerent eloquentiam; alios verò cum plusculum ornatæ profusæque elocutioni indulgerent, ne quam artem profiterentur hanc ipsi ignorare viderentur, eò provectos, ut, rem arduam omnibus, eloquentiam, prolixa nimium præceptorum expositione ac mole quadam magis redderent, vel impeditam, vel certè odiosam. Quorum si pars mihi, alterutra esset occupanda, magis videri nimiū facundus malim, quam parū disertus. Quis enim talem non rideat artificem, qui cum præcepta artis suæ tradat. nullo operis argumento eadem sese assecutum esse demonstret? At reperias hodie complures, qui in ista dicendi docendique Palæstra ita versentur, ut tanquam psittaci loquantur ex cavea; verba sermonemque fundant, cujus ipsi vim integritatemque, vel ignorent, vel etiam corrumpant. Multi quoque suam illam imperitiam libris orbi vulgari non sunt veriti, cum triviali in quinataque dictione Eloquentiæ præcepta juventuti præscribunt, docent-

que.

que, quod negligendo, ignorare sese, non obscurè profitentur. Et hi quid verbo suis suadeant lectoribus, qui exemplo obnituntur? quam admirationem aut amorem Eloquentiæ concilient, quam vili adeò protritoque apparatu proponunt? Alios reperias, qui cum ubique Ciceronem crepent reliquosque penè damnent universos, nihil tamen Ciceronis habeant: vel quod infra illius dignitatem humi serpant; vel quod inflato passim tumore supra auream ipsius mediocritatem sese efferant. Ne in hæc quoque vada illiderer, mihi verendum jure fuit, qui omnem me numerũ implere non posse, imbecillitatis propriæ conscientiâ convincebat. Sed neque tritam à Cicerone ac Quintiliano docendi viam pari lege scriptionis sequi, vel libuit; vel licuit. Irritum enim illud aspernandumque si actum agerem: hoc verò planè temerarium, infirmitatis propriæ oblitum supra vires conniti. Riderer si omnino idem, magis etiam si diversum traderem, nam alijs insistentem præceptionibus nemo ferret; iisdem, parique scribandi ratione utentem, nemo legeret: cum ut cunque per eadem tenderem vestigia, autoritate semper vinceret, & imitator factus, infra prototypi dignitatem subsisterem.

§. 2. Habet quoque & illud instructior docendi apud Ciceronem. Quintilianumque apparatus, ut cum verbis locupletior sententijsque ornatior fulgeat, simplicem nudamque præceptorum veritatem minus oculis rudiorum objiciat, quo veniam aliquam (siqua his scriptoribus danda sit) mereri possint, qui in hoc genere scribendi crassiori Minerva versati sunt: quòd ad tironum ingenia Eloquentiæ præceptiones demittere, quàm insigni cultu ab animo atque apprehensione illorum subducere maluerint. Esse etiam aliquam sentimus in nuda veritate, tanquam corpore, gratiam, quæ cum ornatu splendidiori excolitur, simul occultatur. Et, ut hoc nomine tenuior aliquis sermonis habitus indulgeatur, facilè admisero, ut tamen sordescant loquendo, cum rectè loqui docent, hoc nequaquam duxero tolerandum. Est & sua huic sermoni mundicies, quam spectare sit minimè arrogantis, negligere verò ignorantis.

§. 3. Alia itaque instituendi via hactenus minus trita insistam. Præcepta quæ memoriæ committenda sunt brevius exempla quæ legendo imitandoque prosequenda sunt,

prolixius inducam. Ipsa & mea & aliorum institutio, ubi fusior, illic & ornatior futura est, cumque recte scribendum docuerit, scriptionis & ipsa proponetur exemplum, rarius, proprio elaboratum marte, quàm aliorum. Nam cum nihil sit, quod perinde, vel nascentem primùm eloquentiam nutriat, vel foveat adultam; quam cum exercitatione juncta optimorum autorum lectio; eorum mihi exemplis, ubi elegantissima quæque sese offerret, ad nostrum hoc propositum copia, utendum censui. Plerique autem qui dicendo valuerunt hactenus, tum potissimum omnes exseruere eloquentiæ nervos, cùm dicendum esset de eloquentiâ; ne videlicet illius sese ostenderent ignaros artis, cuius alijs, disciplinam traderent. Hinc penè nihil. Cicerone in disserendo cultius, quam cum instruit ad rectè eleganterque disserendum Oratorem. Hinc Quintilianus tanta gratia copiaque dicendi affluit in Institutionibus, suoque de Oratore dialogo, ut in his contendere jure cum Tullio videatur in partibus, in partibus etiam superare. Sed neque novitijs scriptoribus ornatus hic defuit, planè in nonnullis singularis. Strebæo, de eloquentia & periodo nos instituenti, nihil purius elegantiusque dari poterit. Edmundus Campianus ita de Ciceronis imitatione scripsit, ut si esset alter Cicero. Bencius de stylo instructionem, stylo exaravit aureo. Hos igitur, aliosque non impares, ijs præsertim locis quibus eminent, gemino ad profectum emolumento, lecturus es: nam & rectè dicendi leges ab optimis autoribus hauries, & ad ipsam hujus artis disciplinam eorundem exemplis traduceris. Accedet quod eadem nonnunquam de re diversos, non eadem ratione, differentes auditurus sis, quæ res ad amœnam varietatem legenti observandam, imitantique in paribus conciliandum faciet: cum eloquentiæ studioso non tantùm laborandum sit, ut bene; sed ut variè etiam disserat. Dives quidam apparatus est Eloquentiæ, idem illa corpus non eadem semper veste excolit, eundem cibum non ijsdem ubique condimentis proponit. Vt Regina, suum sæpius ornatuum variat, novisque mensam lautitijs ad omnem instruit voluptatem. Regium non putat minus abundare. Hoc igitur à me actum est, ut res duas maximè ad eloquentiam necessarias sociares; id est, præceptionibus capiendis lectionem adjungeres, & cum legendo disceres, legeres discendo, quibus si illam, quæ in

imitando est, atque à me enucleatè traditur, exercitationem addideris, facilem tibi expeditamque in quovis scribendi genere promptitudinem ausim polliceri. Illam etenim de quovis stylo imitatione affingendo rationem pressius distinctiusque, quàm hactenus præstitum est, prosequar: ut omnem mox vultum habitumque Eloquentia sumere, & rebus temporibusque, ad eruditum usum, noverit inservire.

§. 4. Adjungam deinde, & alia nonnulla eloquentiæ præsidia; ut illa est antiquitatum notitia, sine qua nec Cicero, nec quisquam veterum satis intelligitur: exponam linguæ Græcæ Latinæque commercia, Proverbia ab antiquis ad nos translata summatim perstringam, Epistolæ Historiæque scribendæ leges, rationemque percurram; ipsos etiam tam in verbis, quàm sententijs elocutionis fontes aperiam. Verùm in messe amplissima locupletiores tantùm manipulos strictim colligam, ut quorundam consulam inopiæ, quibus vel temporis ad multam lectionem otium non suppetit, vel facultas librorum deficit, vel certè multum diuque legendi fastidium obrepit. Meo itaque labore, aliorum laborem minuam, meo fastidio multorum tollam.

Illa denique ipsa quæ aliquando inter Scholasticos pulveres, ad meam aliorumque exercitationem profudi, quamvis dispari studio ac voluntate parta, tamen quia nonnullis placere visa sunt, juris esse communis sivi, ut si quam utilitatem ferrent, hanc ad plures, in reip. Ecclesiæque usum, transfunderent. Quæ ut ad majorem hominum eruditionem, ita ad Dei immortalis gloriam illa convertat sapientia, quæ rudes etiam infantium linguas esse facit disertas.

PALÆSTRÆ STYLI ROMANI

LIBER I.

De preparatione ad Eloquentiam necessaria.

CAPUT I.

Quid in Grammatica studio primisq; eloquentiæ rudimentis & Magistris, & Discipulis, ad facilem horum profectum, præstandum sit?

MAgnarum plerumque rerum principia ardua sunt. Nihil excelsum natura collocavit in humili. In societate humana, post virtutem, nihil Eloquentia dignius sublimiusque reperies. Quare ab ipsis nobis initiis redimentisque artis, in hanc palæstram Eloquentiæ candidatus ducendus est, via, qua possumus, brevissima. Expertus muta loquar, ut qui hanc arenam ad annos quatuordecim triverim, eorumque octo in suprema Rhetorum Gymnade propemodum consumpserim.

1. Rectè in tres classes studium eloquentiæ dividimus: Quarum prima Grammaticorum propria, veteris Romanæ linguæ usum purum simplicemque in Epistolis historiis a liisque his affinibus scriptis tradat. Hæc igitur prima velut elementa nascentis eloquentiæ complectitur. Aliæ classes duæ, ita eloquentiæ inter se præcepta artemque partiuntur ut prior quædam veluti præludia & progymnasmata ipsi tractet, altera exercitationes Rhetorum proprias complectatur, ac per omne sese dicendi genus effundat. Quid sing

singulis cuique ad hanc disciplinam incumbenti præstandum sit, paucis ita prosequar, ut Præceptoribus juxta Discipulisque hac mea institutione consulatur; ne supervacaneo sese labore fatigent, & alibi prensent, quod alibi obtinendum est.

2. Præceptoris, ex ipsa primum disciplina, ad artem grammaticam adolescentibus tradendam, profecti, munus est, ita minores docere, ut simul discat à majoribus, hos non rarò consultos audire, ut ab illis cum fructu audiatur. Stultum sit, in expertum maria, primùm sine ductore in vastum difficilemque superatu Oceanum ruere, vela incertis ventis fluctibusque credere peritos, & naufragis quandoque tabulis eluctatos, huc sequi tutius est. Qui nonnunquam in scopulos offendit, certius evitabit. Artis hic quædam præfidentia rudioribus magistris nocuit, qui erraffe se tum primùm intelligunt, cùm post multos labores irrito conatu adversisque ventis, in eodem unde exierant littore rursum deponuntur. Quærant, consulant, auscultent veteranos duces, consilia in agendis, judicia in peractis explorent. Etiam cum rectè actum, juverit aliorum approbatione firmari: nisi fortè laudem magis captemus, quam emendationem.

Purioris hæc latinitatis palæstra est, quæ hoc spectat, ut nativa propriaque rem quamvis voce signet distinguatq;. Quocirca primum est, ut Magister hos sibi autores volvendos sciat, qui proprio sermonis usu delectantur, neque ad illum, qui in tropis figurisque lucet; ornatum fusius efferuntur. Suo enim quævis classium apparatu constat, quæque orationem Rhetoris decent, Grammatici dedecent. Proprietas latini sermonis ante discipulis tradenda, ut suo quamque rem nomine antè norint discernere, quàm translatis assuescant, illo enim præterito, ne his quidem scitè utentur; cum alienis ut proprijs insueverint. Duplicis verò generis autores pertractandi sunt; alij qui præcepta rectè loquendi tradunt: alij qui scribendi exemplis eadem complexi sunt. Illi, vel primam vocum impositionem exhibent, ut Dictionaria & Lexica variorum, Ianua linguarum & Nomenclator Iunij: vel earum inflexionem, genus, constructionemque docent; ut Despauterius Verepeius, Emmanuel, Vossius, alijque Grammatici. Ex quibus summa quidem rerum compendio ita discipulis tradenda est, ut

hanc prælectam expositamque in scholis memoria complectantur, & scribendi loquendique exercitio in usum denique familiarem traducant. Magistro illorum autorum aliquem legisse accuratius suffecerit; ut ad ambigua quæ se offerre poterunt, & nonnullas à vulgatis regulis exceptiones enodandas sufficiat, quas iccirco sua in adversaria transferat, ut hinc tempori deprompta serviant, & lubricæ ad exempla rariora memoriæ subveniatur.

2. Porrò ut via discipulos expedita ducat, ante omnia vagam inquietamque pueritiam sua ipse gravitate, & clementi juxta serioque imperio formet: nihilque principio nimium indulgeat, ne, ut assolet, licentiæ deinde majoris spe efferatur longius, difficulter adstringenda. Habent ipsa disciplinæ exordia vim magnam, quando reverentia etiamnum puer regitur, omnisque offensionis metuens habitum vultumque præceptoris observat, ut quid imposterum licere sibi, quid nocere possit, intelligat, qui cum, indulgentia fretus, semel frena laxavit immodestiæ, non facile, nisi ab alio Moderatore, continebitur. At nihil perinde institutionem profectumque juventutis, ut morum dissolutio, retardat: nisi ab ore præceptoris toti pendeant, nisi viva animentur regantúrque docentis voce; pars maxima laboris in ventos spargitur, aures mentemque non excolit. Alterum est, ut certa instituendi methodo ac lege à majoribus usitata, novitatis aliquo illicio, non discedat; cum prudentis magistri non sit, ista in ætate, primisque docendi experimentis, supra adultos gymnasiastas velle sapere. Multa etiamnum sibi esse discenda sciat, qui docendi primùm munus aggreditur. Et si alij defuerint, experientiam optimam esse Magistram intelliget, cujus nemo manum, nisi seris denique sub annis exosculatur. Illam igitur reverentiam in senio honoret, patienter ipse præstoletur. Sic deinde illorum, qui artem, quique exempla rectè loquendi scribendique tradunt, lectionem atque expositionem in scholis, per sua patiatur tempora; ut ad usum exercitationemque discipulorum prælecta in dies traducantur. Quo facto & horum in attentione diligentiam acuet, & profectum exstimulabit. Avidè excipient, quæ mox sibi in penso noverint reddenda; reddent quæ recens exceperint, promptius: neque, ut plerumque evenit, inutili dictionariorum evolutione, tempus disperdent, conceptumque animi vi-

gorem

gorem infringent, cùm irrito se labore hausisse non rarò errores, & dediscenda rursum didicisse experientur. Videant quo præceptiones regulæque loquendi spectent, dum scribendo domi sequuntur, quod auditum à Scholis adferunt. Ita suum indies & tempore & labore profectum metientur. Et aliis hos invitare præmiis, aliis pœnis ad studia adstringere minus necesse erit, dum intelligent, quantum detrimenti absentia desidiaque patiantur.

3. Iuverit verò magnopere inter prima Grammatices rudimenta providere, ut libello, quem Ianuam linguarum dicunt, utantur discipuli, ad rei cujusque proprias appellationes inter ipsa scriptionis argumenta condiscendas. Quod faciliori Magistri industria consequentur, si is ordine ac lege quadam scriptionis hinc ita depromat themata, ut ab obviis, atque in usu adolescentum quotidiano positis rebus, sensim ad remotiora transeat, & vix secundam Grammatices absolvat, quin decurrerit, atque in frequentem exercitationem traduxerit universa, cum suprema Grammaticæ statio non tam capiendæ, quam ad nitorem familiarem expoliendæ linguæ latinæ usibus sit destinata. Gemino illud per dialogos, & epistolas distributo exercitionum genere facilè impetrabit: quæ, ubi domi Magister à se prius sermone puro elaborata attulerit, suo etiam ad literas emolumento in Scholis traditurus est, præsertim ubi ad Ciceronis illa, in dialogis epistolisque familiaribus ingenium, aut Cæsaris etiam historiam finxerit. Hos enim inter prima, tam capiendæ, quàm tradendæ, latiæ eruditionis elementa cuique autores suaserim, quibus si Ludovici Vives atque imprimis Croci dialogos pueriles junxerit, nihil ab re fecerit. Erasmus scurrilior, Pontanus grandior, quàm ut in communem sermonis usum assumatur. Delectus ex his instituì, consuetudo promiscua haberi cum fructu vix potest. Desidero Romanæ eloquentiæ formatorem primum, qui hunc reipublicæ literariæ conatum impendat, & dialogis per omnes loquendi formulas proprio familiarique linguæ nitore ductis, paulò magis disertam nobis Ianuam, quam illa, quæ dicitur Linguarum, aperiat. Cicero non pauca ex suis dialogismis epistolisque, præsertim Atticis, suffecturus est, in certis eundem què licet, æmula scriptione imitetur. Quem si non-

nemo Magistrorum laborem, cultiori ad hanc rem Minerva formatus, capesseret, non unius se faceret Scholæ instructorem. Suggero, ut plures audeant, erit cui successus favebit: nulli oberit tentasse, cum licet eventus fallat, & ipse, & quam instruit juventus, non leve hinc commodum decerptura videatur. Colligat quos dixi præter Ciceronem Dialogistas, & suum à quibusque symbolum deposcat; purgatiora sumat, cetera submoveantur.

4. Redeo ad Magistri Discipulorumque in Scholis officium, à quo tantisper diverti. Non satis erit per generum inflexionumque varietatem flexisse crebrius voces, perque omnes dicendi materias scribendo ferri. Vt memoriæ insideant, ut in usum frequentiorem transeant, ut se ultrò cogitantibus, & non quæsita, offerant; hoc, utriusque industria, agendum est: Magistri, cum scriptionis themata emendatè discipulis correcta, nunc singulatim, nunc universè tradet: discipulorum, cùm ea, qua par est orthographiæ cura atque examine Magistri dicta excipient, ne pro veritate errores amplectantur. Proderit ad hanc rem, si plures fuerint, una omnium correctione scripta perstringere, ne quis non emendatior abeat: tum si quæ minus nota vocabula se offerant, hæc literatim, vel in tabula, vel viva voce præsignare, ne stylum vitiosè ducant, & correcti scribant corrigenda. Hoc verò tum imprimis suasero, quando plerisque jam antè designatis à Magistro in linguarum Ianua, aut ipsa etiam Grammatica, vel Cicerone, vocibus usi sunt: ne alienis fortè subrogatis damnari credant, quidquid aliunde ipsi haud infeliciter deprompserint. Verum hoc juxta agendum est, ut correcta pleraque fideli puerorum memoriæ insideant, quidquid enim oblivione præterit, irrito labore captatum est. Quocirca, ut emendatum scriptionis argumentum altero die recolatur, utque ad Scholasticas velitationes traducatur, perquam est utile. Nunc antagonista, nunc Magister depositum hesternum exigat; laude, ignominia, ducatur, impellatur adolescens: modò victor gaudeat, modò victus erubescat, & penso etjam, cum opus, graviore luat ignaviam. Nihil tamen illi imperetur in pœnam, quò, aut melior, aut eruditior non fiat. Motum delicta præscripto pietatis compenset, studiorum neglectum impensiore studio. Ita & suam error

pœnam;

pœnam, & emolumentum habitura correctio est; ipsumque, si sapiet, correctorem amabit.

5. Vnum penè exciderat jam à primâ deposcendum pueritia, ut scitè calamo aptare manum, literasque ducere jubeatur; ne tam informibus characterum lineamentis se, Magistrumque legendo, torqueat, & quæ, (velut in equuleo positus, scripserit, ad memoriam revocaturus, aversetur, Iucunda res, & dimidium laboris scripturo est, habilis distinctusque character. Nec difficili arte parabitur. Tardior principiò in formandis literis manus, sensim repetitis crebrius ductibus profluet, & dignâ tarditatem pensabit, cùm elegantia, tum celeritate. Quando neque ipsa deinde scribendo, neque oculus legendo hæsitaturus est. Bene formatum puero Alphabeti literarumque inter se junctarum prototypon figatur, quod si minus per otium quotidie imitari, aut liceat, aut libeat; feriatis certè diebus pari characterum ductu, ut poterit, adumbret. Vincet jam adolescens ætas ac diligentia, quod conatus primos eludebat, sensim & Magistrum hujus curæ, & discipulum laboris non pœnitebit. Diuturna se plectunt incuriâ quotquot hoc studium rudi etiamnum ævo subterfugerunt. Par orthographiæ, distinctionumque cura & Magistrum & discipulum teneat. Minori discentium juxta ac docentium labore, majori emolumento constabit industria.

6. Iam, ut ipsum Præceptorem fas est, ante discipulos excellere, ita nec intro eosdem Latiæ elocutionis cancellos arctari cupiam. Efferat sese longiùs, & si prisca Romanæ linguæ rudera placeant, (ut nonnunquam sese in veterum libros, novorumque commentarios inferunt) Varro, Festus, Nonnius, Marcellus atque una editi linguæ latinæ autores consulendi erunt. Citra hos nemo satis Terentium, multò etiam minus Plautum assequatur. Quanquam fatendum sit, exoletis plerisque, & nec comico quidem scriptori concessis abundare; ut paucis demptis, usum omnem amiserint, delibari possint, hauriri vix debeant. Majori novitatis artifices curâ observandi sunt, quorum alii imperitia, alii immoderato novandi studio delinquunt. Illi, dum, vel ad vernaculi Sermonis usum Romanum phrasin detorquent; vel perperam traductis abutuntur vocibus, corruptelas spargunt, doctorum emendationem sanandas; hi nota abrepti semita, cum affectata eruditione no-

men

men aliquod admirationemque vulgi captant, quam puris ex fontibus elegantiam sermonis desperant, hanc alia ex se ficta raritate pensare conantur. Adversus illos eloquentiæ corruptores Ludovicus Carbo de elocutione, Iacobus Ludov. Strobæus de electione & collocat. Verborū, Schorus de utriusq; linguæ docendæ discendæq; ratione, Adrianus Cardinalis, Schottus in Tull.qq. Nicolaus Susius in lima Ciceron. Buchlerus in suis observationibus, Nizolius cum Sylvii centuriis, Iacobus Pontanus, & Ioannes Nies de ortu & occasu linguæ latinæ, Romana à barbaris novatisque distinxerunt. Quanquā & in his autoribus, Nizolio præsertim, observandum sit, censura severiori plurimas voces inter barbaras ac rejectaneas seponi: ut si damnandum sit, quidquid ab uno Cicerone intactum est. Multarum illi rerum in mentem calamumque nihil venit, quod à Terentio, Cæsare, Livio, Salustio, Seneca, Columella: Plinio utroque. Quintiliano aliisque pertractatum est: neque iccirco repudiandum, nisi ad unius scriptoris familiam totius latinæ eloquentiæ opes transferre decretū sit. Quidquid tribus illis nascentis adultæque apud Romanos Eloquentiæ seculis partum est, jure eorundem civitate donabitur. Quamquam non uno omnia ordine ac dignitate habenda sint. Qua de re paulò inferius videbitur, cum latinæ linguæ scriptores suis ætatibus distribuam. Evoluere tamen Schotti, Nies, aliorumve observationes linguæ perquam utile futurum est, cum puriori omnia fonte hauserint, & vel à sordido, vel à trito vulgi sermone abducant. Verum hoc ad supremum Grammatici laborem, de quo nunc agam, propiùs referendum est.

7. Vbi Grammaticus puris sese ac propriis satis vocibus ad Romani sermonis elegantiam instructum senserit; jam ut phrasin quoque Syntaxinque, illi linguæ consuetam, tam ex præceptis, quàm bonorum autorum scriptis capiat, necesse est. Hic rursum per omnem penè loquendi materiam erit excurrendum, non quod recta prius construendi ratio negligenda Grammatico fuerit; sed quod obviæ tantum, maximeque facili insistendum: nunc autem, & rariora, & magis ardua constructionis exempla prætereunda non sint; atque ut prima cura verborum, sic altera phrasium diversitati delectuiq; impendenda videatur. Militia hæc quædam literaria est; istic voces tanquam

mili-

milites conſcribuntur ; hic peritum diſtribuuntur in ordinem : iſtic velut in armorum luſtratione explorantur ; hic in acie contra hoſtem prodeunt ; iſtic rudius ad pugnam præluditur ; hic ſerio pro victoria conflictu pugnatur. Oratione ut gladiis concertatur, vincit qui inflectit, triumphat qui perſuaſit. Vt verò plerumque non tam in copia militum, quàm in ordine juncturaque pugnantium vis virtuſque eminet ; ſic in Eloquentia ars præcipua in ſcita vocum conſtructione ponitur, qua cum unus Tullius ſuperare cæteros viſus ſit, non immeritò palma illi Latiæ eruditionis defertur.

8. Nunc quæ primò hanc palæſtram ſubeunti facienda ſuadeam exſpectas. Dicam quid expertus facillimum eſſe didicerim. Vt enim omittam illam præceptorum ſyntaxeos per exempla ſcribendi tradita expreſſionem (quam præ reliquis ubique curandam ſentio) nullum æque ex peditum ad eloquentiam juventuti iter patet, quam ſi Magiſter delectam ex Cicerone phraſiologiam (qualis Aldi Manutii eſſe poterit) per certa ſcribendi argumenta univerſam ſummis tantum complectatur capitibus, quæ deinde lingua vernacula ſuis tradat diſcipulis, quos de uſu delectuque harum antà phraſium ſicinſtituat, ut rudiores maximè tantùm obviis inflectendis atque in rem ſuam traducendis principiò occupentur, peritiores ad magis cultas operam ſtudiumque transferant ; atque hinc quotidie ſuum Latio ſermone forment ſcriptionis penſum. Ita ut ſupra per Linguarum *Ianuam*, ſic nunc per Aldi phraſiologiam, alteram velut ad eloquentiam Ianuam, ad purum eruditumque ſermonis uſum, proxima ſunt via, tranſituri. Nam & illa, quæ ex patria lingua manat in Romanam, barbaries vitabitur, dum ad illius phraſin Latina, ut fit, conſtructio non aptabitur : & per omnem ſeſe effundent ſcribendi materiam, cum à libri capite, quantum poterit ad finem uſque, nunc per dialogos. nunc per epiſtolas decurretur. Non facilè dixerim, quam compendioſa hæc & Magiſtro & diſcipulis ad expolitam dictionem ſit ratio, modò cum judicio tractetur. Capiant, intelligant, ſuiſque ante norint inflexionibus tractare adoleſcentes verba, ne immaturus hic labor, per inſcitum uſum, pereat. A facilioribus ducant phraſibus initium, penè à Magiſtro antè deſignatis, ut illius deinde labore ad emendationem adhibito, tanto erro-

res promptiùs corrigant. Eruditiores latiùs vela pandant, præmiisque atque honore ad variandum sæpius scriptionis pensum invitentur. Vidi ego qui rem eandem multa varietate scribendi ornatam tertio pluriesque exhiberent, prout ipsa se copia phrasium largè affunderet, non quieti, donec sui usus fecissent universa. Sic ubi per diversa Epistolarum genera juventus ducitur, Büchleri juverit formulis à Cicerone desumptis exercitari. Mirum est quantum hæc res animorum promptitudinisque scripturis conciliet, dum alii tædioso & casso sæpe labore per Dictionaria ac phrasiologos circumferuntur, ac tubam pro tibia nonnunquam apprehenderunt, ex soleta pro usitatis, barbara pro latinis amplectuntur; aut si etiam inveniendi felicitate destituantur, suo aliquid ex cerebro rude incoctumque depromunt. Quæ si deindè Præceptoris vel incuria, vel occupatione transmittantur, in succum sanguinemque elocutionis transeunt. Quæ causa, cur viam rationemque à me exploratam tantopere suadeam. Obrepet fortè & hic suum quandoque constructione malè detortæ vitium, non hærebunt aptè vinculis omnia. Vim feret, modò sensus modò ordò modò numerus. At hæc aliis hujus palæstræ exercitationibus facile ad lineam limamque adducentur. Multa suo Magister judicio, multa suo & usu & ætate provectior discipulus corriget, ipsa certè, cur applicandæ operam dedit. Tulliana locutio, non prorsus elabetur. Lectio autorum, ad quam se deinde extendet, superfluum atteret, suoque demum, quæ memoriæ insederint, loco, singula opportunè se ingerent, cum sublata manu aliena, proprio ductu liberius enatabit, sensim etiam sine cortice superabit flumina. Qui, ne offendat, nihil audet egregium, magis offendet, cum non audebit. Lapsus qui ad scientiæ metas contendenti obtigit, in puero reprehensionem non meretur.

9. Verùm ut suis expurgata mendis, numerisque eruditi sermonis absoluta fideli hæreant memoriæ, constans inter adolescentes linguæ Latinæ usus vigeat, concertationes ex tractatis scribendi argumentis sumantur; corrector domi Pædagogus, in scholis Ludimagister ne desit qui ad primos hosce conatus, non rarò hæsitantes diriget, errantesque suavi admonitione reducat. Partito etiam inter se labore & materia, singuli argumentum ali-

quod

quod declamando prosequantur, actione pronuntiationem animant. Qui verò ex omnibus idonei maximè visi fuerint, hi in suggestum aut theatrum producantur, publici de se judicii plaususque experimentum sumpturi. Alit ea res animos, format indolem, memoriæ ingeniique vires exacuit. Alii succedant aliis, nec in paucos tantùm hic vel favor, vel labor derivetur, peritiores antegressi sequentibus audaciam facilitatemque addent. Neque à Didascalo primum, nisi probè exculti, & ad personæ quam sustinent naturamficti, protrudantur, ne spectatoribus risum fastidiumve, sibi etiam ad peritè agendum desperationem concitent. Sed nec aliena tantum recitent, quæque illius quam terunt Scholæ experimenta vincant, quo enim hæc aut ingenio assequentur, aut judicio pronuntiabunt? Perquam fanè ridiculi mihi Ludimagistri illi videntur, qui in hanc Grammaticorum palæstram vel Heroum vel Tragicorum grandes versus inferunt, pedesque adolescentum nondum soccis idoneos, cothurnis aptant, cum hæc tota exercitatio discipulorum profectui debeatur, nisi fortè honorandi Magistratus, aut studiorum gratia, ex diversis plures classibus in hanc arenam evocentur.

---

§. 2.

Dissertatio Quintiliani ex lib. 1. Instit. Orat. cap. 1.

Quemadmodum pueri à prima ætate ad eloquentiam formandi educandique sint?

1. *Nutricum sermo non debet esse vitiosus, ne dediscenda discant, quod simili declarat.*
2. *Parentes eruditi proderunt, ut exemplis probat.*
3. *Pædagogi rudes & imperiosi submovendi sunt, ne vitiis imbuant, ut Alexandrum Leonides.*

1. PRotinus ut quisque parens factus erit, acrem quam maximè curam spei futuri Oratoris impendat. Ante omnia, ne sit vitiosus sermo nutricibus, quas, si fieri posset, sapientes fieri Chrysippus optavit, certè quantum res pateretur, optimas eligi voluit. Et morum quidem in his haud

haud dubiè prior ratio est, rectè tamen etiam loquantur. Has primū audiet puer, harū verba effingere imitando conabitur. Et natura tenacissimi sumus eorū, quæ rudibus annis percepimus: ut sapor, quo nova imbuas, durat, nec lanarum colores, quibus simplex ille candor mutatus est, elui possunt. Et hæc ipsa magis pertinaciter hærent, quæ deteriora sunt. Nam bona facilè mutantur in peius: nunc quando in bonum verteris vitia? Non assuescat ergo (ne dum infans quidem est) sermoni, qui dediscendus sit.

2. In parentibus verò, quam plurimum esse eruditionis optaverim. Verum nec de patribus tantum loquor, nam Gracchorum eloquentiæ multum contulisse accepimus Corneliam matrem, cujus doctissimus sermo in posteros quoque est epistolis traditus. Et Lælii filia reddidisse in loquendo paternam eloquentiam elegantiorem dicitur. Et Q. Hortensii filiæ oratio apud Triumviros habita legitur, non tantum in sexus honorem. Nec tamen si quibus discere ipsis non contigit, minorem curam docendi liberos habeant, sed sint propter hoc ipsum ad cætera magis diligentes. De pueris inter quos & educabitur ille huic spei destinatus, idem quod de nutricibus dictum sit.

3. De pædagogis hæc amplius, ut aut sint eruditi planè, quam primam esse curam velim, aut se non esse eruditos sciant. Nihil enim peius iis, qui paulum aliquid ultra primas literas progressi, falsam sibi scientiæ persuasionem induerunt. Nam & cedere præcipiendi peritis indignantur, & velut jure quodam potestatis quo ferè hoc hominum genus intumescit, imperiosi, atque interim sævientes stultitiam suam perdocent. Nec minus error eorum nocet moribus. Siquidem Leonides, Alexandri Pædagogus, ut à Babylonio Diogene traditur, quibusdam eum vitiis imbuit, quæ robustum quoque, & jam maximum regem ab illa institutione puerili sunt prosecuta. Si cui multa videor exigere, cogitet Oratorem institui, rem arduam, etiam cui ei formando nihil defuerit, præterea plura & difficiliora superesse. Nam & studio perpetuo, & præstantissimis præceptoribus, & plurimis disciplinis opus est. Quapropter præcipienda sunt optima: quæ si quis gravabitur, non rationi defuerit, sed homini. Si tamen non continget, quales maximè velim habere nutrices, pueros, pædagogosque; at unus certè sit assiduus, dicendi non imperitus. Qui si qua erunt ab

his

his præsente alumno dicta vitiosè, corrigat protinus, nec insidere illi sinat.

---

§. 3.

Prima ætas his studiis idonea.

Quintil. Inst. Orat. l. 1. c. 1.

1. *Memoria puerorum his studiis favet, quæ adolescunt cum ætate, ut simili à corpore desumpto probatur, tum exemplo Alexandri.*
2. *Ante literarum formulas, quam contextum parvuli capiant, quod fiet eburneis literis per lusum tractatis, confusisque ut puer distinguat.*
3. *Facilis literarum formandarum ratio per sulcos, cui velociter deinde scribendi à principio cura adjicienda est.*
4. *Utilia scribenti proponenda, quæ memoria tenaciter insideant.*
5. *Pronuntiatio per difficiles asperosque versus exercenda est.*

1. NOn perdamus primum statim ætatis tempus, atque eo minus, quod initia literarum sola memoria constant, quæ non modo jam est in parvis, sed etiam tenacissima est. Nec sum adeò ætatum imprudens, ut instandum protinus teneris acerbe putem, exigendamque plenam operam. Nam id inprimis cavere oportebit, ne studia qui amare nondum potest, oderit, & amaritudinem semel perceptam, etiam ultra rudes annos reformidet. Lusus hic sit, & rogetur, & laudetur, & nonnunquam nescisse se gaudeat. Aliquando ipso volente doceatur alius, cui invideat, contendat interim, & sæpius vincere se putet, præmiis etiam quæ capit illa ætas, evocetur. Parva docemus instituendum oratorem professi, sed est sua etiam studiis infantia: & ut corporum mox etiam fortissimorum educatio à lacte, cunisque initium ducit, ita futurus eloquentissimus, edidit aliquando vagitum, & loqui primum incerta voce tentavit, & hæsit circa formas literarum. Nec si quid discere satis non est, ideo nec necesse est. Quod si nemo reprehendit patrem, qui hæc non negligenda in suo filio putet, cur improbetur, si quis ea quæ domi suæ recte faceret, in pub-

licum promit? Atque eo magis, quo minora etiam facilius minores percipiunt, & ut corpora ad quosdam membrorum flexus formari nisi tenera non possunt, sic animos quoque ad pleraque duriores robur ipsum facit. An Philippus Macedonum Rex, Alexandro filio suo prima literarum elementa tradi ab Aristotele summo ejus ætatis philosopho, voluisset, aut ille suscepisset hoc officium, si non studiorum initia, & à perfectissimo quoque optimè tractari, & pertinere ad summam credidisset? fingamus igitur Alexandrum dari nobis impositum gremio, dignum tanta cura infantem (quamquam suus cuique dignus est) pudeatne me in istis statim elementis, etiam brevia docendi monstrare compendia.

2. Neque enim mihi illud saltem placet, quod fieri in plurimis video, ut literarum nomina, & contextum, priusquam formulas parvuli discant. Obstat hoc agnitioni ætatis eorum, non intendentibus mox animum ad ipsos ductus, dum antecedentem memoriam sequuntur: quæ causa est præcipientibus, ut etiam cum affixisse eas pueris, recto illo quo primum scribi solent contextu videntur, retro agant rursus, & varia permutatione perturbent, donec literas qui instituuntur facie norint, non ordine. Quapropter optimè, sicut hominum pariter & nomina, edocebuntur. Sed quod in literis obest, syllabis non nocebit. Non excludo autem id quod est notum, irritandæ ad discendum infantiæ gratia, eburneas etiam literarum formas in lusum offerre, vel si quid aliud, quo magis illa ætas gaudeat, inveniri potest, quod tractare, intueri, nominare jucundum sit.

3. Cum vero jam ductus sequi cœperit, non inutile erit, eas tabellæ quam optimè inscalpi, ut per illos velut sulcos ducatur stylus. Nam neque errabit, quemadmodum in ceris (continebitur enim utrimque marginibus (neque extra præscriptum egredi poterit, & celerius ac sæpius sequendo certa vestigia, formabit articulos, neque egebit adjutorio, manu sua manui superimposita regentis. Non est aliena res, quæ ferè ab honestis negligi solet, cura benè ac velociter scribendi. Nam cum sit in studiis præcipuum, quoque solo verus ille profectus, & altis radicibus nixus paretur, scribere, tardior stylus cogita-

cogitationem moratur, rudis & confusus intellectu caret.

4. Illud non pœnitebit curasse, cum scribere nomina puer (quemadmodum moris est,) cœperit, ne hanc operam in vocabulis vulgaribus, & fortè occurrentibus perdat, Protinus enim potest interpretationem linguæ secretioris, id est, quas Græci γλώσσας vocant, dum aliud agitur, ediscere & inter prima elementa consequi rem, postea proprium tempus desideratum. Et quoniam circa res adhuc tenues moramur, hi quoque versus, qui ad imitationem scribendi proponentur, non otiosas velim sententias habeant, sed honestum aliquid monentes. Prosequitur hæc memoria in senectutem, & impressa animo rudi, usque ad mores proficiet. Etiam dicta clarorum virorum, & electos ex poetis maximè (namque eorum parvis cognitio gratior est) locos ediscere inter lusum licet. Nam & maximè necessaria est Oratori, sicut suo loco dicam, memoria: & ea præcipuè firmatur atque alitur exercitatione, & in his de quibus nunc loquimur ætatibus, quæ nihil dum ipsæ ex se generare queunt, prope sola est, quæ juvare curam docentium possit.

5. Non alienum fuerit exigere ab his ætatibus, quo sit absolutius os, & expressior sermo, ut nomina quædam versusque affectatæ difficultatis & ex asperrimè coëuntibus inter se syllabis catenatos, & veluti confragosos, quam citatissimè voluant, χαλεποὶ græcè vocantur, res modica dictu, qua tamen omissa multa linguæ vitia, nisi primis eximuntur annis, inemendabili inposterum pravitate durantur.

---

§. 2.

Quæ causa cur multi, ex iis quoque, qui plures annos eloquentiæ præcepta tradidere, parum eloquentes sint?

QUod veteri proverbio fertur: *non omnes contingit adire Corinthum* hoc de eloquentiâ jure usurpaveris, quã plures aditu prensat, pauci assequuntur. Res ut ardua, sic eximia est de rebus dignè loqui. Hoc uno suum homo proximè creatorem imitari videtur, Rerum ille natura eleganti construxit ordine, Verborũ homo; iste linguã hic sermonẽ format. Nec alio magis cultu homo differt ab homine, quã ser-

Sermonis. Opes & honor extraneus, ratio omnibus communis; eloquentia cuique sua est, alii trivialis, aut difficilis: facilis aut sublimis alteri. Nec verò tardius multorum ad eloquentiam ingenium, quod naturæ auctor largitus est, accusari debet, cum possit corrigi. Durissima etiam saxa denique ad lævitatem expoliuntur, & cultum recipiunt, tantò abolendum seriùs, quantò difficilius admissum. Instaurari utcunque naturæ detrimenta arte queunt, & labore vinci cunctantis ingenii tarditas. Nemo desperet, quem nec læva mens, nec fortuna depressit. Industrio tantùm ad hanc rem animo, & præceptis non multis magnisque contendendum est.

1. Non illum promitto eloquentiæ apicem, quem paucos hactenus inter Græcos Latinosque obtinuisse comperimus. Raros invenias quos cum Demosthene vel Cicerone, aut natura, aut ars, & industria comparavit, plerosque horum aliqua, nonnullos etiam universa destituunt. Ceterùm multos, neque à natura inhabiles, neque à labore vacuos, periti Magistri, ducisque neglectu inter felices eloquentiæ conatus hæsisse compertum est. Nimia præceptionum moles non paucos obruit, qui cum omnia memoria complecti laborant, quæ hac de re à diversis loquendi scribendique Magistris tradita sunt, aut confusione rerum aberrant, aut desperatione assequendi deficiunt. Sunt etiam qui sine ordine judicioque hanc disciplinam aggrediuntur, nec quid primum potissimumque sit, quid ad postremas curas rejiciendum, despiciunt. Quod leges in rep. faciunt, cum nimiâ crescunt mole, hoc in arte eloquentiæ præceptionum multitudo, pleræque negliguntur. Qui rectè ordinatam & remp. cupiet, & artem, plura non præcipiat, quàm quæ operi commodum mandentur. Præpostera res est leges scribere, quibus nemo obsequatur. Invenies etiam non desidis otii adolescentes, qui post exhaustas, memoriæque traditas Rhetorum præceptiones, nihil admodum emolumenti ad perfectioris eloquentiæ assecutionem fecêre, Latio tantùm sermone, & plerumque rudi Minerva, orationem vestire soliti; at hanc ad præscriptos inveniendi locos, disponendi ordinem, eloquendique, vel ornatum, vel copiam extollere, nunquam videas. Cui hoc vitium imputabis, nisi quod in sola præceptorum contemplatione fixi, hausta ad experientiam non traduxêre? Hæc disci-

disciplina exercitio præcipuè capiatur. quod faciendum didiceris, opere firmandum est, non satis est tenere, quod cithara ictu, quo loco, quibus chordis serienda sit; ni manum applicaveris, otioso tantùm spectaculo mentem oblectabis, artem nunquam capies.

2. Neque satis est quovis ad eloquentiam opere, etiam *per fixas* Rhetorum leges, conniti. Non pauci, Magistrorum quoque, infelici hic conatu oleum operamq; consumpsêre, dum sine exemplari operis ad opus provolant, & idonei desunt quos imitentur. Pictura quædam est eloquentia: suos & ductus habet, & lucem, & umbras, non uno tamen colore adumbratur, nec absque prototypo rudimenta absolvit. Proponendus est, cujus lineamenta artemque sequaris. Neque quivis ad hoc facilè assumendus auctor. Vt quam optimos nanciscaris duces providendum est. Tutius hos ponè sequeris: nam ut multa non statim sequaris; vitia certè tecum non trahes, nisi quæ attuleris. Virtutes ubi sæpius imitatus fueris, denique æmulaberis, & si omnes non hæreant, multorum in te colorem duces. Minus vix delinquunt, qui imperitos sibi Magistros imitandos proponunt, quàm qui nullos. Siquidem vitia, ut in monstris, sic in eloquentiâ maximè eminent, & insuetas ad hæc aures studio novitatis convertunt. Facilius gibbum pictor in corpore, maculamqne in vultu, quam elegantem utriusque habitum imitando finget. Vitiorum prompta imitatio est. Vidi ego quosdam his etiam disciplinis juventuti tradendis perfunctos, qui tamen plurium annorum opera incultum nequicquam stylum formaverant, duri, steriles, & impoliti: quibus neque res, neque verba deerant, sed ornatus utrorumque. Hi vel, imitatione neglecta, in sui sese capitis partus effuderant, vel si quem *imitandum* sumpsissent, hunc potius delegerant, qui insolenti novitate saperet, quàm qui usitato Rhetorum apparatu orationem condiret. Memini hac in re jam provectæ ætatis virum, materiam calamo dignam sicco asperoque sermonis genere deformantem, ita vitiis palam expositis, idoneoque ad scribendum prototypo exhibito, à me correctum, ut intra octiduum, planè à se diversus, stylum duceret minimè aspernandum. Cùm enim nihil illi, neque ad verborum neque ad rerum deesset

copiam, neruus tamen cultusque scribentem defecerat, quod nec verbis delectus, nec ordo sententijs, nec periodis aptus numerus inesset. Quem cum regulis quibusdam exemplisque ad errorem corrigendum idoneis formassem, totum mox orationis habitum mutasse sensi, didicique tanti operis in eruditis non esse, vim formamque stylo addere quanti plerisque persuasum est. Parum esse, quod si hac in re observetur, non parum præstiteris.

3. Nonnulli immaturo ad scribendum conatu incumbunt,& magistri esse volunt,priusquam didicerint. Audiendi legendique periti hac in arte præceptores scriptoresque, illa quoque, de quibus haud multò post disseram, comparanda sunt dicturo scripturoue præsidia, & si aqua deinde laboraturo hæserit non pigeat ipsos scrutari atque excutere eloquentiæ fontes, quibus & copia, & gratia promitur. Tædiosum non sit Manutii Phrasiologiam inter scribendum revoluere, ubi stylus hæserit, Tursellinum poscere,ubi particulæ sese idoneæ non offerent:Erasmum scrutari, ubi parœmiæ locus est; Nizolium consulere, ubi ad Ciceronem formandus est. Quantumcunque scripseris, nisi hunc principio laborem devores, in arena scribes, æternitati non sufficies.

4. Nihil tamen magis quàm bonorum autorum,aut præterita,aut perfunctorio opere decursa lectio, multorum profectum impedit. Meditata lectio elaboratæ scriptioni miscenda est.Illa suppeditabit idonea imitaturo prototypa, & mutatum per intervalla laborem suavi temperamento moderabitur. Lautitiæ mensarum variatis constant epulis; neque eodem condimento idem diu cibus placuit. Lectio & varietatem adferet, & saporem orationi conciliabit. Aliquid semper hæret ex contemplatione perfecti operis, quod in animum calamumque scribentis transfunditur, & suo quodam colore sermonem imbuit etiam ignorantis.

5. Alij de materia scribendi potius, quàm cultu solliciti, rudem indigestamque molem rerum legenti obtrudunt: alij è diverso splendidis verborum phaleris, inaique sententiarum strepitu circumferuntur, neque dignius quippiam cassa nuce, & evanidis Gomorrhæ pomis lectori obtrudunt. Vtrique æque ridiculi, illi quia rem sine cultu, hi quia cultum sine re ponunt.Nonnulli deniq; tunc se utram-

que

qui implere paginam, quàm aptissimè, interpretantur, si nihil nisi ex vetustis eruderatum seculis, aut ex secretis artium naturæque haustum, aut denique melle ac sesamo troporum sententiarumque sparsum depromant, quibus illud plerumque, quod plaustris nimium onustis, evenit; ut nec procul, nec diu, quin fatiscant, innoxiè provehantur. Artis simul judiciique, multa lectione politi est, auream illam in verbis rebusque sectari mediocritatem, quæ & aures suis teneat illecebris, & animum digna rerum cognitione magis pascat, quàm obruat. Nimium est, quidquid ingenium memoriamq; audientium fatigaverit. Multorum errore in eloquentia stylus judicatur, & deligitur. Nonnullis, Appulei aut Sidonii Apollinares magis arrident, quàm Cicerones & Quintiliani: hi videlicet per ardua & prærupta ad eloquentiæ arcem frustra enituntur, nullis nisi sibimetipsis & imperitis hujus artis æstimatoribus (qui dicentes scribentesque stupida tantum admiratione prosequuntur) jure placituri. His quidquid insolens, abstrusumque, quidquid vulgò inauditum inusitatumque; hoc, velut lautæ orationis cupediæ, in deliciis est, hoc gemmas inter thesaurosque cultiores eruditionis seponitur. Equis quadrigisque exultim per avia inviaque ferri, quam pedestri Ciceronis incessu, via plana malunt ingredi. De his merito dixeris, quod hos multus eloquentiæ labor ad infantiam redigat; cum ista differant, quæ rari intelligant, eruditiores futuri, si plura ignorarent, eloquentiores si dicerent pauciora. Alii verò, ne vel cum Cæsare humi serpant, vel cum Salustio angustioribus sententiarum periodis includantur, ad poëticum sese rumorem cum Ammiano efferunt, vel tragicum aliquid ac sublime in cothurno moliuntur. His modò per adjuncta tenuem libet phrasin adipato dicendi genere expandere, modò per raros audacesq; tropos in altum extollere, nihilque in illa aut submissum, aut usitatum tolerare, qui mihi inter doctos Bacchinalia semper vivere, & nunc vino nimio tumultuari, nunc larvis alienam videntur personam fingere, nihil juxta naturam ordinemque rerum consuetum moliri. Suus Poëtis, & Oratori suus est habitus, qui alterutrum utrobivis sumpserit, personam à se induet

 alienam,

alienam. Aliis magis placet argutus ille sententiarum lusus vibratique, tanquam in epigrammate, aculei. Hic ubique captandis frigido nimium atque affectato conatu invigilant, gratiamque omnem scribendi prodigunt, dum sic venantur. Nasci illos opportunè, nec ubique, nec nusquam convenit; offerri debent, non intrudi; spargi velut acetum & piper, non totas operire epulas. Etiam mel in cibo desipit, cum nimium est. Denique alii sua tenuitate ab his vitiis remoti, triviali sermone vilescunt, nec vigor, nec succus orationem excitat. Hi mihi oratores velut submissis in portu velis, semper exspectare ventum, navigare nunquam videntur, tam ab omni utilitate remoti, quàm periculorum timidi. Audendum sanè est, & præstat nonnunquam longius provectum, lucraque eloquentiæ consectantem offendere, quàm in ista paupertate orationis vilem extenuatumque commorari. Nemo Mercator ex Indiâ dives opum rediit, qui discriminum fugiens, ex portu nunquam solvit.

6. Stylus, ut cum Cicerone loquar, præstantissimus dicendi effector, ac Magister est, sed magni plerumque laboris, & nisi hunc rectè auspicemur, non rarò irriti. Mira res, quod ipsi dicendi artifices, qui regulas ceteris, legesque eloquentiæ scribunt, hic sæpè hallucinentur, & viam ostendant, quam nesciunt: Mercuriabilis ad bivia statuis similes, quæ quod iter demonstrant, nunquam ingrediuntur. Quorum audaciâ meum hunc laborem, sat trepidâ mente manuque sumptum, primò solatus sum, aliorum erroribus meos protecturus. Neque facilè in hanc palæstram pedem intulissem, nisi ratus essem aliquo me artis compendio, præsidioque ad hanc suppeditato, quod ab aliis prætermissum videram, studiosis eloquentiæ profuturum.

Ipsum equidem legendi exercitium, quod cum studio optima quæque imitandi junctum esset, proximum ad eloquentiam iter esse semper arbitratus sum, Præceptorum molem ingentem, quo multorum libri implentur, onus esse sensi, non vehiculum. Apparatum hic tenuem regularum, instructam verò exemplorum copiam, paratam antiquitatis historiarumque notitiam, præsidia esse comperi ad eloquentiam certissima. Quæ me causa impulit, ut hunc meum laborem eò verterem, ut hæc pleraq; ad eloquentiã aspiranti in promptu essent; nisi quod historiam parcius

eam-

eamque præcipuè, quæ Ciceroni exponendo faceret, delibare necessum fuerit.

---

§. 2.

Cur sensim eloquentia apud Romanos olim floruerit, postea defecerit?

Quint. in Dialog. de Oratoribus, in fine.

1. *Ob pueritiæ educationem illam neglectam quæ olim fuerat, defecit eloquentia.*
2. *Olim in academiis per artes disciplinasque varias exercitati, non in solis Rhetorum scholis ad hanc facultatem instruebantur.*
3. *Optimo adiumenti in foro Oratori, magis, quàm in Rhetorum palestra, proficiebant.*
4. *In inditâ olim rep. quam potissimum regerent eloquentes quibus honores mandabantur, facilius eloquentia efflorescebat.*
5. *Caussarum magnitudo & multitudo in turbata rep. eloquentiam veterum exacuerunt.*

ELoquentia & ceteræ artes descivere ab ista vetere gloria, non inopia hominum, sed desidia iuventutis & negligentia parentum & inscientia præcipientium, & oblivione moris antiqui. Quæ mala primum in urbe nata, mox per Italiam fusa, jam in provincias manant: quanquam nostra nobis notiora sunt. Ego de Vrbe & his proprijs ac vernaculis vitijs loquar, quæ natos statim excipiũt, & per singulos ætatis gradus cumulantur, si prius de severitate ac displina majorum circa educandos formandosque liberos pauca prædixero. Iam primùm suus cuique filius ex castâ parente natus, non in cella emtæ nutricis, sed gremio ac sinu matris educabatur, cujus præcipua laus erat, tueri domum & inservire liberis. Eligebatur autem aliqua major natu propinqua, cujus probatis spectatisque moribus, omnis cujusquam familiæ soboles committere-

tur, coram qua neque fas erat dicere quod turpe dictu, neque facere quod inhonestum factu videretur. Ac non studia modò curasque, sed remissiones etiam lusúsque puerorum, sanctitate quadam ac verecundiâ temperabat. Sic Corneliam Gracchorum, sic Aureliam Cæsaris, sic Atticam Augusti matrem præfuisse educationibus, ac produxisse Principes liberos accepimus, quæ disciplina ac severitas eò pertinebat; ut sincera & integra, & nullis pravitatibus detorta uniuscujusque natura, toto statim pectore arriperet artes honestas: & sive ad rem militarem, sive ad juris scientiam, sive ad eloquentiæ studium inclinasset, id solum ageret, id universum hauriret. At nunc natus Infans delegatur Græculæ alicui ancillæ, cui adjungitur unus aut alter ex omnibus servis plerumque vilissimus, nec cuiquam ministerio accommodatus, horum fabulis & erroribus, teneri statim & rudes animi imbuuntur. Nec quisquam in tota domo pensi habet, quid coram infante domino, aut dicat aut faciat; quando etiam ipsi parentes nec probitati neque modestiæ parvulos assuefaciunt, sed lasciviæ & libertati. Per quæ paullatim impudentia irrepit, & sui alienique contemptus. Iam verò propria & peculiaria hujus urbis vitia pœne in utero matris concipi mihi videntur, histrionalis favor, & gladiatorum equorumque studia, quibus occupatus & obsessus animus quantulum loci bonis artibus relinquit! quorum quemque inveneris qui domi quidquam aliud loquatur? quos alios adolescentulorum sermones excipimus, si quando auditoria intravimus? Nec præceptores quidem ullas crebriores cum auditoribus suis fabulas habent, colligunt enim discipulos non severitate disciplinæ, nec ingenii experimento, sed ambitione salutantium, & illecebris adulationis.

2. Transeo prima discentium elementa, in quibus & ipsis parum elaboratur, nec in auctoribus cognoscendis, nec in evolvenda antiquitate, nec in notitiam vel rerum, vel hominum, vel temporum satis operæ insumitur, sed expetuntur quos Rhetoras vocant: quorum professio quando primùm in hanc urbem introducta sit, quamque nullam apud majores nostros auctoritatem habuit, statim intelliges de curiis. Referam necesse est animum ad eam disciplinam, qua usos esse eos oratores accipimus, quorum infini-

tus labor, & quotidiana meditatio, & in omni genere studiorum exercitationes, ipsorum etiam continentur libris. Notus est vobis utique Ciceronis liber qui Brutus inscribitur, in cujus extrema parte (nam prior commemorationẽ veterum Oratorum habet,) sua initia, suos gradus, suæ eloquentiæ velut quandam educationem refert, se apud Q. Mucium jus civile didicisse, apud Philonem Academicum, apud Diodorum Stoicum omnis philosophiæ partes penitus hausisse: neque his doctoribus contentum quoque & Asiam peragrasse, ut omnem omnium artium varietatem complecteretur. Itaque hercule in libris Ciceronis deprehendere licet, non geometriæ non musicæ, non grammaticæ, non denique ullius ingenuæ artis scientiam ei defuisse, Ille Dialecticæ subtilitatem, ille moralis partis utilitatem, ille rerum motus causasque cognovit. Ita enim est, optimi viri, ita, ex multa eruditione, ex pluribus artibus, & omnium rerum scientia exundat & exurberat illa admirabilis eloquentia, neque oratoris vis & facultas, sicut ceterarum rerum, angustis & brevibus terminis cluditur: sed is est orator, qui de omni quæstione pulchre & ornatè, & ad persuadendum aptè dicere pro dignitate rerum, ad utilitatem temporum, cum voluptate audientium possit. Hæc sibi illi veteres persuadebant, ad hæc efficienda intelligebant opus esse, non ut rhetorum in scholis declamarent, nec ut fictis, nec ullo modo ad veritatem accedentibus controversijs linguam modò & vocem exercerent, sed ut his artibus pectus implerent, in quibus de bonis & malis, de honesto ac turpi, de justo & injusto disputatur: Hæc enim est oratori subjecta ad dicendum materia. Nam in judicijs fere de æquitate; in deliberationibus de honestate dicimus, ita ut plerumque hæc ipsa invicem misceantur, de quibus copiosè & variè, & ornatè nemo dicere potest, nisi qui cognovit naturam humanam, & vim virtutum, pravitatemque vitiorum, & intellectum eorum, quæ nec in virtutibus neq; in vitijs numerantur. Ex his fontibus etiam illa profluunt, ut facilius iram judicis, vel instiget, vel leniat, qui scit quid ira: promptius ad miserationem impellat, qui scit quid sit misericordia, & quibus animi motibus concitetur. In his artibus exercitationibusque versatus orator sive apud infestos, sive apud cupidos, sive apud invidentes, sive apud tristes, sive apud timentes di-

cendum habuerit, tenebit habenas animorum: & prout cujusque natura postulabit, adhibebit manum, & temperabit orationem, parato omni instrumento, & ad omnem usum reposito. Sunt apud quos astrictum, & collectum, & singula statim argumenta concludens dicendi genus, plus fidei meretur, apud hos dedisse operam Dialecticæ proficiet. Alios fusa & æqualis, & ex communibus ducta sensibus oratio, magis delectat, ad hos promovendos mutuabimur aliquid à Peripateticis, hi aptos & in omnem disputationem paratos jam locos dabunt: Academici pugnacitatem, Plato altitudinem, Xenophon jucunditatem, ne Epicuri quidem, & Metrodori honestas quasdam declamationes assumere, hisque, prout res poscit, uti, alienum erit oratori, neque enim sapientem informamus, neque Stoicorum civitatem, sed eum qui non quasdam artes audire, sed omnes liberaliter debet. Ideoque & juris civilis scientiam veteres oratores comprehendebant, & grammatica, Musica, & geometria imbuebantur. Incidunt enim causæ plurimæ quidem ac pœnæ omnes, quibus juris notitia desideratur: pleræque autem in quibus hæ quoque scientiæ requiruntur. Nec quisquam respondeat: Sufficit ut ad tempus simplex quiddam & uniforme doceamur. Primum enim aliter utimur propriis, aliter commodatis: longèque interesse manifestum est, possideat quis quæ profert, an mutuetur. Deinde ipsa multarum artium scientia etiam aliud agentes nos ornant, atque ubi minimè credas eminet & excellit. Idque non doctus modo & prudens auditor, sed etiam populus intelligit: ac statim ita laude prosequitur, ut legitimè studuisse, ut per omnes eloquentiæ numeros esse, ut denique oratorem etiam fateatur. quem non posse aliter existere, nec extitisse unquam confirmo, nisi eum qui tanquam in aciem omnibus armis instructus, sic in forum omnibus artibus armatus exierit. quod adeo negligitur ab horum temporum disertis, ut in actionibus eorum fex quoque quotidiani sermonis, fœda & pudenda vitia deprehendantur, ut ignorent leges, non teneant S. C. jus civitatis ultrò derideant: sapientiæ verò studium & præcepta prudentium penitus reformident: in paucissimos sensus & angustas sententias detrudant eloquentiam, velut expulsam regno suo: ut quæ olim omnium artium domina pulcherrimo comitatu pectora implebat:

nunc

nunc circumcisa & amputata, sine apparatu, sine honore, pœne dixerim sine ingenuitate, quasi una ex sordidissimis artificiis discatur. Ergo hanc primam & præcipuam causam arbitror, cur tantum ab èloquentia antiquorum oratorum recesserimus. Si testes desiderantur, quos potiores nominabo quàm apud Græcos Demosthenen? quem studiosissimum *Platonis* auditorem fuisse memoriæ proditum est. Et Ciceronis ut opinor verbis, quidquid in eloquentia effecerit, *id* se non Rhetorum, sed Academiis spatiis consecutum.

3. Quoniam initia & semina veteris eloquentiæ satis demonstrasse videor, docendo, quibus artibus antiqui oratores institui erudirique soliti sint, persequar nunc exercitationem eorum: quanquam ipsis artibus inest exercitatio, nec quisquam percipere tot reconditas aut tam varias res potest, nisi ut scientiæ meditatio, meditationi facultas, facultati vis eloquentiæ accedat, per quæ colligitur eandem esse rationem, & percipiendi quæ proferas, & proferendi quæ perceperis, sed si cui obscura hæc videntur, & adolescentiam ab exercitatione separat, id certè concedet, instructum & plenum his artibus animum longè paratiorem ad eas exercitationes venturum, quæ propriæ circa oratoriam videntur. Ergo apud majores nostros juvenis ille, qui foro & eloquentiæ parabatur, imbutus jam domestica disciplina, refertus honestis studijs, deducebatur à Patre, vel à propinquis, ad eum oratorem qui principem locum in civitate tenebat, hunc sectari hunc prosequi, huius omnibus dictionibus interesse, sive in judiciis, sive in concionibus assuescebat, ita ut altercationes quoque excipere, & jurgijs interesse, utque sic dixerim pugnare in prælio disceret, magnus ex hoc usus, multum constantiæ, plurimum judicij juvenibus statim contingebat, in media luce studentibus atque inter ipsa discrimina, ubi nemo impune stulte aliquid aut contrariè dicit, quo minus & judex respua, & adversarius exprobret, ipsi denique advocati aspernentur. Igitur vera statim & incorrupta eloquentia imbuebantur: & quamquam unum sequerentur, tamen omnes ejusdem ętatis patronos in plurimis & causis & judicijs cognoscebant: habebantq; ipsius populi diversissimarum aurium copiam, ex qua facilè deprehēdebatur quid in quoq; vel probaretur vel displiceret. Ita nec Præceptor deerat optimus quidē & ele-

electissimus, qui faciem eloquentiæ non imaginem præstaret, nec adversarij & æmuli, ferro non rudibus dimicantes: sed auditorium semper plenum, semper nouum, ex invidis & faventibus, ut nec bene dicta dissimularentur. Scitis enim magnam illam & duraturam eloquentiæ famam, non minus in diversis subsellijs parari quam suis: quin imò constantius surgere ibi, fidelius corroborari. Atque herculè sub ejusmodi præceptionibus juvenis ille de quo loquimur, oratorum discipulus, fori auditor, sectator judiciorum, eruditus & assuefactus alienis experimentis, cui quotidiè audienti novæ leges, non novi judicum vultus, frequens in oculis consuetudo concionum sæpè cognitæ populi aures, sive accusationem susceperat sive defensionem, solus statim & unus cuicunque causæ par erat, Nonodecimo ætatis anno L. Crassus C. Carbonem, uno & vicesimo Cæsar Dolabellam, altero & XX. Asinius Pollio C. Catonem, non multa ætate antecedens Calvus Vatinium, in orationibus insecuti sunt, quas hodieque cum admiratione legimus. At nunc adolescentuli nostri deducuntur in scenas Scholasticorum, quæ rhetores vocantur: quos paullo ante Ciceronis tempore extitisse, nec placuisse majoribus nostris ex eo manifestum est, quod Marco Crasso & Domitio Censoribus eludere, ut ait Cicero ludum impudentiæ jussi sunt. Sed ut dicere institueram, deducimur in Scholas, quibus non facilè dixerim utrumne locus ipse, an condiscipuli, an genus studiorum plus mali ingenijs afferant. Nam in loco nihil reverentiæ, sed in quem nemo nisi imperitus æque intrat. In Condiscipulis nihil profectus, cùm pueri inter pueros, & adolescentuli inter adolescentulos pari securitate dicant & audiantur, Ipsæ verò exercitationes magnâ ex parte contrariæ. Nempè enim duo genera materiarum apud rhetores tractantur suasoriæ & controversiæ. Ex iis suasoriæ quidem etsi tanquam planè leviores & minus prudentiæ exigentes, pueris delegantur; controversiæ robustioribus assignantur, quales per fidem, & quàm incredibiliter compositæ! Sequitur autem ut materiæ abhorrentiâ veritate declamatio quoque adhibeatur. Sic fit ut tyrannicidarum prœmia, aut vitiatarum electiones, aut pestilentiæ remedia, aut incesta matrum, aut quidquid in schola quotidiè agitur, in foro vel rarò vel nunquam, ingentibus verbis persequantur:

quæ: cum ad veros judices ventum est rem cogitare: nihil humile, nihil abjectum eloqui poterat.

4. Magna eloquentia, sicut flamma, materiâ alitur, & motibus excitatur, & urendo clarescit. Eadem ratio in nostrâ quoque civitate antiquorum eloquentiam provexit. Nam etsi horum quoque temporum oratores ea consecuti sunt, quæ composita & quieta, & beata rep. tribui fas erat: tamen ista perturbatione ac licentia plura sibi assequi videbantur. Cum mixtis omnibus & moderatore uno carentibus, tantum quisque Orator saperet, quantum erranti populo persuaderi poterat: Hinc leges assiduæ, populare nomen, hinc conciones magistratuum pœnè pernoctantium in rostris, hinc accusationes potentium reorum, & assignatæ etiam domibus inimicitiæ, hinc procerum factiones, & assidua senatus adversus plebem certamina, quæ singula etsi distrahebant remp. exercebant tamen illorum temporum eloquentiam, & magnis cumulare præmiis videbantur. Quia quantò quisque plus dicendo poterat, tantò facilius honores assequebatur; tantò magis in ipsis honoribus collegas suos anteibat; tantò plus apud principes gratiæ, plus auctoritatis apud patres, plus notitiæ ac nominis apud plebem probabat. Hi clientelis etiam exterarum nationum redundabant: hos ituri in provincias magistratus reverebantur, hos reversi colebant. hos & præturæ & consulatus vocare ultrò videbantur. Hi ne privati quidem sine potestate erant, cùm & populum & senatum consilio & authoritate regerent, quin imò sibi ipsi persuaserant, neminem sine eloquentia aut assequi posse in civitate, aut tueri conspicuum & eminentem locum, nec mirum, cum etiam inviti ad populum producerentur: cum parum esset in senatu breviter censere, nisi qui ingenio & eloquentia sententiam suam tueretur: cum in aliquā invidiam aut crimen vocati, sua voce respondendum haberēt; cum testimonia quoq; in publicis non absentes nec per tabellam dare, sed coram & presentes dicere cogerentur. Ita ad summa eloquentiæ præmia, magna etiam necessitas accedebat & cōmoda. Disertum haberi pulchrū & gloriosū, sed contra mutum & elinguem videri, deforme habebatur. Ergo non minus rubore quàm prœmiis stimulabantur, ne clientulorum loco potius quam patronorum numerarentur.

tur.

tur: nec traditæ à majoribus necessitudines ad alios transferrent: ne tanquam inertes & non suffecturi honoribus, aut non impetrarent, aut impetratos malè tuerentur. Nescio an venerint in manus vestras hæc vetera, quæ antiquorum bibliothecis adhuc manent & nunc maximè à Muciano contrahuntur: ac jam undecim ut opinor, Actorum libris, & tribus Epistolarum composita, & edita sunt. Ex his intelligi potest Cn. Pompeium & Marcum Crassum, non viribus modò & armis, sed ingenio quoque & oratione valuisse: Lentulos & Metellos, & Lucullos, & Curiones, & ceteram procerum manum multum in his studijs operæ curæque posuisse: nec quenquam illis temporibus magnam potentiam, sine eloquentia consecutum.

5. His accedebat splendor rerum, & magnitudo caussarum, quæ & ipsa plurium eloquentiæ præstant. Nam multum interest utrumne de furto, aut formula, & interdicto dicendum habens, an de ambitu comitiorum, expilatis socijs, & civibus trucidatis, quæ mala sicut non accidere melius est, isque optimus civitatis status habendus est, quo nihil tale patimur: ita cum acciderent, ingentem eloquentiæ materiam subministrabant. Crescit enim cum amplitudine rerum vis ingenij, nec quisquam claram & illustrem orationem efficere potest, nisi qui caussam parem invenit. Non opinior Dimosthenem orationes illustrant, quas adversus tutores suos composuit: nec Ciceronem, magnum oratorem P. Quintius defensus aut Licinius Archias faciunt: Catilina & Milo, & Verres, & Antonius hanc illi famam circumdederunt: non quia tanti fuit R. P. malos ferre cives, ut uberem ad dicendum materiam oratores haberent: sed, ut subinde moneo, quæstionis meminerimus, sciamusque nos de ea re loqui, quæ facilius turbidis & inquietis temporibus exstitit. Quis ignorat utilius ac melius esse frui pace, quam bello vexari? plures tamen bonos præliatores bella quam pax ferunt. Similis eloquentiæ conditio. Nàm quò sæpius steterit tanquam in acie, quoque plures & intulerit ictus, & exceperit, quò major adversarius, eò acrior, qui pugnas sibi asperas desumpserit, tanto altior & excelsior, & illis nobilitatus criminibus, in ore hominum agit, quorum „ ea natura est ut secura nolint. Iam verò conciones assiduæ, & datum jus quoque potentissimum quemque vexandi,

tudi, atque ipsa inimiciarum gloria, cùm se plurimi disertorú ne à P. quidē Scipione, abstinuerint, aut Cn. Pompeio, ut est natura invidiæ, populi quoque histriones auribus mererentur, quantum ardorem ingenijs, quas oratoribus faces admovebant! Non de otiosa & quieta re loquimur, & quæ probitate & modestia gaudeat: sed magna ista & notabilis eloquentia, alumna licentiæ, quam stulti libertatem vocabant, comes seditionum, effrenati populi incitamentum, sine obsequio, sine servitute; contumax, temeraria, arrogans; quæ in benè constitutis civitatibus non oritur. Quem enim oratorem Lacedæmonium; quem Cretensem accepimus? quarum civitatum severissima disciplina, & severissimæ leges traduntur. Nec Macedonum quidem ac Persarum, ac ullius gentis, quæ certo imperio contenta fuerit, eloquentiam novimus. Rhodij quidam Athenienses plurimi oratores extiterunt: apud quos omnia populus, omnia imperiti, omnia ut sic dixerim, omnes poterant. Nostra quoque civitas donec erravit, donec se partibus & dissensionibus, & discordijs confecit, donec nulla fuit in foro pax, nulla in senatu concordia, nulla in judicijs moderatio, nulla superiorum reverentia, nullus magistratuum modus: tulit sinè dubio valentiorem eloquentiam, Sicut indomitus ager habet quasdam herbas lætiores. Sed nec tanti Reip. Gracchorum eloquentia fuit, ut pateretur & leges: nec bonæ formam eloquentiæ. Cicero tali exitu pensavit. Sic quoque quod super est antiquis oratoribus, forum non emendare, nec usquam ad votum compositæ civitatis argumentum est quidē, quod nemo nos advocat, nisi aut nocens aut miser, quod municipium in civitatem nostram venit, nisi quod aut vicinus populus, aut domestica discordia agitat: quam provinciam tuemur, nisi spoliatam vexatamque? Atqui melius fuisset non queri, quam judicari. Quod si inveniretur aliqua ciuitas, in qua nemo peccaret, supervacuus esset inter innocentes orator, sicut inter sanos medicus. Quomodo tamen minimum usus minimumque profectus ars medentis habet in his gentibus, quæ firmissima valetudine ac saluberrimis corporibus utuntur: sic minor oratorum obscuriorque gloria inter bonos mores, & in obsequium regentis paratos. Quid enim opus est longis in senatu sententijs, cum optimi cito consentiant? quid multis apud populum concionibus, cum de rep. non

imperiti & multi deliberent, sapientissimus & unus? quid voluntarijs accusationibus, cum tam rarò tam & parcè peccetur? Quid invidiosis & excedentibus modum defensionibus, cum clementia cognoscentis obviam periclitantibus eat? Credite optimi, & in quantum opus est disertissimi viri, si aut vos prioribus sæculis, aut isti quos miramur, his nati essent, ac Deus aliquis vitas vestras, vestra tempora repentè mutasset: nec vobis summa illa laus & gloria in eloquentiâ, neque illis modus & temperamentum defuisset. Nunc quoniam nemo eodem tempore assequi potest magnam famam, & magnam quietem, bonis seculi sui quisque, citra obtrectationem alterius, utatur.

CAPUT III.

Quæ ad eloquentiam consequendam virtutis, atque inprimis pudoris cura adolescentibus adhibenda sit.

VT bonas in herba segetes lolium invalescens deprimit, ita nascentem in puero eloquentiam vitia. Mineruam castam olim finxêre veteres, Musas injuges, liberum Apollinem; procul omnes ab infami flagitiosorum consortio. Nihis magis infestum bonis artibus, quàm dissoluta in lasciviam adolescentia, cui molle otium, infrenisque libertas plerumque sociantur. Quocirca non minor hic virtutum, quam studiorum cura & à moderatoribus juventutis suadenda, & ab adolescentibus suscipienda est. Cum enim eloquentia ad humanæ præsidium vitæ, virtutisque, cùm ornamentum, tum defensionem reperta sit; alienum planè sit, hac neglectâ, ad illius perfectionem conniti; umbram sectari, rem amittere. Via igitur ratioque nobis exploranda est; qua quisque, virtute, & sociâ, & duce, propositum sibi eloquentiæ studium felicius juxta expeditiusque prosequatur. Quod priusquam faciam, hujus rei necessitatem ab ethnico etiam homine non ignoratam, penitius lubet intueri.

§. 1.

Non posse esse oratorem nisi virum bonum; nec proficere ad eloquentiam qui in virtute deficiat, variis rationibus probatur.

Quintil. lib. 12. Inst. c. 1.

1. Sit ergo nobis orator, quem instituimus, is qui à M. Catone finitur: vir bonus dicendi peritus. Verum id quod ille posuit prius, etiam ipsa natura potius ac majus est utique vir bonus: non eò tantum, quod si vis illa dicendi malitiam instruxerit, nihil sit publicis privatique rebus perniciosius eloquentia; sed nos quoque ipsi qui pro virili parte conferre aliquid ad facultatem dicendi conati sumus pessimè mereamur de rebus humanis, si latroni comparemus hæc arma, non militi. Quid de nobis loquor? Rerum ipsa natura in eo quod præcipuè indulsisse homini videtur, quoque nos à cæteris animalibus separâsse, non parens sed noverca fuerit, si facultatem dicendi sociam scelerum, adversam innocentiæ hostem veritatis invenit. Mutos enim nasci, & egeri omni ratione satius fuisset, quàm providentiæ munera in mutuam perniciem convertere.

2. Longius tendit hoc judicium meum. Neque enim tantum id dico, eum qui sit orator virum bonũ esse oportere: sed ne futurum quidem Oratorem nisi virum bonum. Nam certè neque intelligentiam concesseris eis, qui proposita honestorum ac turpium via, pejorem sequi malint; neque prudentiam ijs, qui in gravissimas frequenter legum, semper verò malæ conscientiæ pœnas, à semetipsis improviso rerum exitu, inducantur. Quod si neminem malum esse, nisi stultum eundem, non modò à sapientibus dicitur, sed vulgo quoque semper est creditum, certè non fiet unquam stultus orator. Adde, quod ne studio quidem operis pulcherrimi vacare mens, nisi vitijs libera potest:

primum quod in eodem pectore nullum est honestorum turpiumque consortium: & cogitare optima simul & deterrima non magis est unius animi, quàm ejusdem hominis bonum esse ac malum, tum illa quoque ex causa, quod mẽtem tantæ rei intentam, vacare omnibus aliis, etiam culpa carentibus curis oportet. Ita demum illa libera, ac tota, nullo distringente, atque aliò ducente, causa, spectabit id solum ad quod accingitur.

3. Quod si agrorum nimia cura, & solicitior rei familiaris diligentia & venandi voluptas, & dati spectaculis dies, multum studiis auferunt (huic enim rei perit tempus, quodcunque alteri datur) quid putamus facturas cupiditatem, avaritiam, invidiam? quarum impotentissimæ cogitationes somnos etiam ipsos, & illa per quietem visa perturbant. Nihil est enim tam occupatum, tam multiforme, tot ac tam variis affectibus concisum atque laceratum, quàm mala mens. Nam & cum insidiatur, spe, curis, labore distringitur, & jam cum sceleris compos fuerit, solicitudine, pœnitentia, pœnarum omnium exspectatione torquetur. Quis inter hæc literis, aut ulli bonæ arti locus? Non hercle magis, quam frugibus in terra sentibus ac rubis occupata. Age, non ad perferendos studiorum labores necessaria frugalitas? quid igitur ex libidine ac luxuria spei. Non præcipuè acuit ad cupiditatem literarum amor laudis? num igitur malis esse laudem curæ putamus?

4. Iam hoc quis non videt; maximam partem orationis in tractatu æqui bonique consistere? dicetne de his secundum rerum dignitatem malus atque iniquus? &c. In hoc quota pars erit, quod aut innocentes tuebitur, aut improborum scelera compescet, aut in pecuniariis quæstionibus veritati contra calumniam aderit? Sed in majoribus clarius elucebit, cum regenda senatus consilia, & popularis error ad meliora ducendus. An non alium quendam videtur finxisse Virgilius, quem in seditione vulgi jam faces & saxa jaculantis moderatorem dedit?

Tum pietate gravem ac meritis si fortè virum quem
Conspexere; silent, arrectisque auribus adstant.

Habe-

Habemus igitur ante omnia virum bonum, posthæc adjecit peritum.

Ille regit dictis animos & pectora mulcet.

Quid? non in bellis quoque idem ille vir, quem instituimus, si sit ad prælium miles cohortandus, ex mediis sapientiæ præceptis orationem trahet? Nam quomodo pugnam ineuntibus, tot simul metus, laboris, doloris, postremo mortis ipsius exciderint, nisi in eorum pietas & fortitudo, & honesti præsens imago successerit? quæ certè melius persuadebit alijs, qui prius persuaserit sibi. Prodit enim se quamlibet custodiatur simulatio: nec unquam tanta fuerit eloquendi facultas, ut non titubet ac hæreat, quoties ab animo verba dissentiunt.

---

§. 2.

Ratio morum virtutisque inventuti cum eloquentiæ studio ad utilem profectum coniungenda.

NOn minus eleganter, quàm verè nonnemo dixit: *arcum frangit intensio: animum remissio.* Occupandus adolescentum animus, aut honesto rerum studio est, aut inhonestis suopte ingenio occupabitur. Stagnantes aquæ vitium putredinemque trahunt, desidia morum corruptio est. Digerendus igitur velut in certas stationes excubiasque adolescentum labor est, suum ante omnia pietati dandum tempus, suum studijs, suum & honestæ remissioni de singulis pauca.

§. I.

A Dei invocatione ducenda sunt studiorum exordia.

PRimam à somno matutino inter vigilias curam sibi Deus vendicat. Quid ni enim ad illam suspiremus ad quam nati sumus patriam; illam, ad quam tendimus, secu-turam immortalium vitam; illam quam supremo in quo-vis opere debemus Numini majorem Dei gloriam? Nam cum hic solus unicujusque vivendi scopus sit, ad hunc & a-gendi tota ratio, & votorũ summa erit referenda. Stultum enimverò, atque ad extremum stuporem degenerantis ani-mi aberratio sit, caput tantæ rei, quanta est æternæ felicita-tis possessio, & immortalium suppliciorum devitatio, ne-glectim transmittere, atque ad rerum fluxarum quisqui-lias, mentem, cogitationemque Dei capacem abjicere. Di-gnus vita non sit, quisquis tam vilis animæ spiritum du-xerit. Huc igitur rudis ætas ab ipsis incunabulis, ut primùm aliqua rationis lux oborta fuerit, à parentibus instructoribusque, quà præceptis, qua exemplis impel-lenda est; ut longo firmatoque constanter usu, summum nefas existimet, matutinum orationis ad Deum pensum vel somniculosè exequi, vel omnino præteriisse. Nec sa-tis fuerit, ita diem auspicari. Sua hic totus quædam pie-tatis transferendæque ad superos mentis intervalla occu-pet, satis in divina æde semel quotidie assistere con-suescat, & religio sit, ab hac religione unquam deficere. quid enim æquius, quam ex toto die, rebus ferè curisque perituris impenso, tantillum saluti animæ, æternoque Dei honori temporis consecrare, cujus omnino fructus operæ sit futurus immortalis? Sed nec ipsa deinde stu-diorum exercitia, velut inconsulta levique manu pren-set. hoc opus quoque Deo esse sacrum jubeat, ab ipso laborum nostrorum felicissimo auspice principium du-cat, ut qui mentem facultatemque discendi tribuit, ean-dem foveat, illustretque, ejus nobis fructum, sibi glo-riam decerpat. Denique ut ordiri diem jussimus, ita claudendum suademus. Nec somnum sibi capere fas exi-stimet,

ſtinet, non exorato, multoque etiam magis (ſi læſum fuerit) non antè conciliato Numine. Quocirca & exactæ diei functiones, excurſus, ſocij, acta omnia brevi mentis luſtratione pervaganda, atque ad honeſti rationes expendenda ſunt, ut ſicubi (quæ humana eſt fragilitas) noſtris offenſionibus divina illius majeſtas læſa ſit, æquo mentis dolore lacrymiſque pœnitentis animi hæc labes expietur: neque ſomni illius periculum adeat, qui cum morte ſociari poterit, noſque inimicos Dei æternitati transmittere. Grave diſcrimen eſt, quod duraturæ æternum felicitatis atque infelicitatis momenta ſuſtinet. Nulla hic ſolicitudo nimia, nulla negligentia non deteſtanda eſt. Qui temporalis fortunæ lucrique emolumenta, non indiligenti opere, conſectantur, ad rationes ſæpius calculos adhibent, ſomnumque facilè ad loculorum argentique tinnitum ſuſpendunt: tantillum non impetrent, theſauri illius in cælo deponendi lucra, quem fures non ſuffodient, nulla temporum vetuſtas atteret, nullus uſus conſumet? Viles atque indignæ non cæleſti tantùm, ſed & terrena felicitate animæ, quotquot ad tam excelſas cogitationes filiorum Dei obtorpeſcunt. Erubeſcat Chriſtianus, qui ab Ethnico homine intelligit, nec tamen ſatis intelligit:

A Ioue principium: Virgil.

Tantum ratio apud homines ſola naturæ luce inſtructos potuit, ut nullum niſi à Ioue principium operis ducendum ſentirent, atque æquum crederent ab illo quodvis opus auſpicari, à quo tota operis vis proſperitaſque dependeret. Hoc igitur primum eſto fixumque omni bonæ menti, nullum diem, nullum diei magis arduum opus, vel ordiri, vel claudere ſine implorato Dei omnipotentis Numine. Hinc primum cujuſque rei florem habeat, hic ultimum fructum decerpat. Alpha ſit idem & Omega ſtudiorum noſtrorum: principium finemque laboris obtineat, qui ſolus ſine principio ac fine complectitur univerſa nihil ei negetur, cui debentur omnia. Fruſtra omnem in ſtudijs operã conſumſeris, niſi hanc præ ceteris probè fueris diſciplinam aſſecutus. Noxium in manu improbi telum eloquentia eſt, plures occidit, quàm tuetur. Sed nec Magiſter vllã operæ in adoleſcentes collata, ſperet pretium,

tium, nisi virtutis simul ac literarum elementis primam ætatem imbuerit, magnum ab eloquentia rebus, præsidium est; sed periculum multò maximum, ubi illa improbitate armabitur. At si ista pietatis tirocinia defuerint, si à divinarum rerum cura aversus, ad studia feratur animus; profectus in literis trahet arrogantiam, cum qua omne facile scelus conciliabitur.

Quare ad illa quæ sunt proborum, sub clientela Tutelaris Angeli, aut magnæ Matris Virginisque sodalitia, tenero adhuc flexilique ævo traducendi sunt, quæ majori virtutum cura ac pietatis usu, firmiori etiam cœlitum apud Deum patrocinio nituntur. Qui hæc aversari ac subterfugere solius libertatis amore visi fuerint, jam tum futuræ improbitatis non leve præbent argumentum. Quæ juvenis fastidit, vir non ambiet. *Senex psittacus negligit ferulam.*

§ III.

Pudoris ratio cum studijs iungenda.

PUdoris verò inprimis ratio, & hanc decet ætatem, & ad eloquentiam magnis passibus deducit, quem ubi semel decoxerint, nihil est quod ab illa, vel ad virtutẽ, vel ad eruditionem speres eximiũ. Nullum adolescentiæ eloquentiæ quæ ornamentum majus verecundia, nullum gravius detrimentum impudentia est. Vbi jam vela modestiæ submovit oculis, ubi auribus laxavit ad scurrilia aditum, ubi lingua in libertatem soluta impuris vacat, ubi manibus licentia quævis contrectandi facta est, perijt illius ætatis flos, honos, studium, eruditio. Hoc primum innocentiæ naufragium, hic virtutum scopulus est. Compendiara res est improbitas, neque alia facilius via, quam hac adolescentiæ persuadenda. Nihil itaque perinde huic ætati inculcandum, quam sedula pudoris custodia: providendumque, quanta potest solertia, ne in quorundam perversorum hominum societatem incidant, qui innoxios, priusquam flagitia noverint, doceant perpetrare.

Hoc

Hoc etiamnum rudes atque inexperti scelerum doceantur, grande nefas esse, aut certè periculum; quicquam in se alisque pudori obnoxium, oculis manibusque; vel propriis, vel alienis exponere: ideoque omnem inter vestiendum, exuendumque, inter accubandum; aut, si ferret necessitas, lavandum quoque, cautionem esse tenendam ne quid proprios, ne quid alienos incurrat oculos, quod natura voluit occultari. Lethalem omnem contactum esse, qui blandienti manu lenocinatur; Intelligant *thesaurum* se ferre *in vase victi* (1.*Cor*.4.) frangi auferrique posse, & momento voluptatis levissimo; restitui nunquam posse. Horreant charybdim illam priusquam attigerint, fugiant sirenes priusquam asculrarint. Cognoscant summam esse hominis Christiani hac in vita felicitatem citra noxam mortiferam ætatem hanc transigere; summam calamitatem hanc incurrisse, reliqua mala periturum aliquod damnum trahere, hoc solum æternum.

Quocirca adolescens vitæ innocentis pretium, illlæsæque conscientiæ felicitatem æstimet, gaudeat nulla hostilitate divinam lædi amicitiam, filiumque sese at hæredem Dei magis, quàm hominum censeri, lætetur; contra tristem illum horrendumque Dæmonis mancipatum, flagitii turpitudinem, scelerumque pœnam aversetur, ac fugiat: cum ipsius Diaboli occursus, terribili quamvis Leonis specie metuendi, multò, cujusvis peccati imagine, minus sit formidandus.

Nihil itaque ipse sibi, nihil aut parentes, aut Magister eidem indulgeant, quod vel umbram abscœnitatis adferat. Levissimæ hic primùm offensiones severissima pæna castigandæ sunt: ut inviolati pudoris iura constare possint. Metus rudis adolescentiæ præceptor est facillimus. Quod memoria non teneret, ingenium non caperet, timor justus inculcabit. Teneriores plantulæ, ubi ad curuitatem degenerant, alligandæ sunt stipiti, cum adoleverint, serius admovendo. Hæc instructores cura tangit. Adolescentes noverint, si etiamnum innocentes sint, in hoc puncto præcipuum suæ felicitatis cardinem versari. Ingenuæ esse indolis, magis præmio, quàm pœna invitari, honore quàm commodo duci, amore quàm timore impelli. Extra hæc universa, nullius, nisi abjecti vilisque animi esse, pudore, atque adeo ipso Deo, neglecto inter sordes libidinis volutari.

tari. Quod si qui per imprudentiam malitiamve jam huic cœno voluptatis pedes immerserint, si pulcherrimũ innocentiæ florem venus inconsulta decerpserit, meminerint lubrico admodum sese loco consistere, jactam primò de æterna felicitate aleã malè cecidisse, in anceps sese periculorum pelagus esse conjectos: fore ut multo dolore hanc expient voluptatem, si minus æterno, certè temporario. Adamantinis olim vinculis Iupiter voluptati dolorem vinxisse fingitur; sed vera nimium fabula: qui præsentem vitant, æternum non effugient.

O cæca juventus, quibus hic te verbis, satis atrocibus severisque, satis ad omnem horrorem compositis interpellabo? Mare nagivas syrtibus scopulisque impeditum, ventos captas amœniores, sed austris brevi aquilonibusque turbandos. Vela tibi contrahenda, spectandus portus, ac tutiora legenda sunt litora. Sub pedibus tibi hians profundum, super caput de cœlo tempestas ac fulmina imminent. Cave pristinæ quicquam temeritati adjicias, & si naufragus es, pœnitentiæ tabula in portum eluctaris, neque iisdem te rursum periculis immergas.

Nam sapientis consultoris vox est: *qui amat periculum peribit in illo*. (Eccl.3.) Non de auri argentique pretio, non de mortali fortuna, aut honore, fluxis nimium bonis, nec flocci æstimandis, si in bonorum immortalium comparationem adducantur; sed de vita altera, de æternitate, de interminabili illa, vel felicitatis, vel infelicitatis extremæ possessione jacitur alea, discrimenque suscipitur. Nullum certius æternæ rejectionis argumentum est, quàm turpi illi vitiorum consuetudini immorari. Quo enim tardior fuerit, ab hoc scelerum labyrintho, tantò semper difficilior futurus est exitus. Vis te expeditum? primus temet oppugnantium cogitationum frangendus impetus est, quod eludendo atque aliò transferendo animum, quàm adversum pugnando, rectiùs feceris: firmandæ aurium oculorumque portæ, quibus hic in te hostis immittitur: soluta in lasciviam lingua suis est claustris adstringenda: nihil verò antè lubricam sociorum familiaritatem, nihil antè illa luxuriæ alimenta, vini, mensarumque, & copiam, & delicias, magis est devitandum. Minimè fallax D. Hieronymi vox est: *vinum & adolescentia duplex sunt incendium voluptatis*. Vbi verò hæc domina mentis occupaverit imperium, hic vix ullam

de

de literarum aut pietatis studio seria admitti cogitat in animum poterit, totum sibi illa vendicat, totum in sui considerationem amoremque abripit; rivalem cum virtute eruditionem nunquam diu constanterque patietur.

§. 3.

Ludendi nimia cupiditas studiis inimica.

SEd & alter eloquentiæ scopulus est indomita quædam ludendi cupiditas, ad quem tamen, vel pauciores adolescentum allidunt, vel ubi quandoque impegerint, vix pari jactura pertinaciaque adhærescunt. Est & felicior aliquantò pecuniæ, quàm innocentiæ semel amissæ instauratio. Temporis ætatisque tamen non leve est detrimentum. Reficiendus opportunis est lusibus animus, non affigendus. Non ad otium aut lusum, sed ad laborem homo natus est, condimentum illa esse studiorum debent, non vacantis animi pabulum. Indulgemus requiem aliquam, non languorem.

Quod caret alterna requie durabile non est. Ovid. in Ep. Her.

Ipsa tamen etiã quies debet esse honestis lusibus occupata. Iners otium vitiorum est seminarium.

Quæritur, Ægisthus quare sit factus adulter?
In promptu causa est, desidiosus erat. Ovid. de remed. l. 1.

Ita & in ipsis literarum feriis extrema hæc duo adolescenti sunt devitanda, hinc nimia ludendi prurigo, inde turpis otii segnities: utrũq; scabiẽ animi generat, & sanæ eruditionis integritatẽ corrumpit. Otium igitur nunc inter honestas deambulationes transactũ; simul & animum varietate locorum reficit, & corpus modica exagitatione vegetat. Quibus si jucundus comes accesserit, qui sapienti potiùs quam scurrili cõfabulatione æmoenitatẽ viæ adspergat; aut cursu nonnumquã tecum certet, sphæristeriũ quandoq; simul adeat, vel ad pilæ jectationẽ unà exerceatur; vacatio-

nem à studiis minimè damnatam amplecteris. Verùm si ad leviculorum hominum deflectas consortia, ubi sermo lubricus, vel narrat, vel suadet vitia; lusus parum laudatus, inter aleas pictasque chartas, ducitur; poculorum strepitus inter ancillarum ministeria auditur, jam scyllam inter charybdimque navigas, animum ad honesta non reficis studia, sed ad inhonesta deflectis, eruditioni insidiaris, disciplinam humaniorem artium subvertis. Hæc itaque cane peius & angue devites, quisquis eloquentiam consectaris. Decens moderatusque lusus sit, qui & nimius & nullus obest, quod ventus, igni, hoc lusus adolescentiæ est.

Nutritur vento, vento restinguitur ignis.
Lenis alit flammas, grandior aura necat. Ovid. lib. 2. de Rem.

CAPUT IV.

Quemadmodum post prima eloquentiæ fundamenta ad lectionem Tiro instruendus, perque suos gradus informandus sit.

§. 2.

Quæ primum, & quo tempore studiosis legenda.

POstquam ab illis eloquentiæ crepundiis ad grandio[...] Tiro experimenta traduceretur, primò ad bonorum au[...] torum lectionem provocandus est. Familiares Ciceron[...] epistolas, Cæsarisque etiam de bello commentarios, ut pertractatione discat voluere. Aut Pædagogus, aut Did[...] scalus lecturum præeat, quid notandum in verbis, sente[...] tiisque, quid in adversaria, & quo methodo, digerenda[...] moneat: argumentum, ubi defuerit, exponat: imitand[...] atque in alios pares disparesque usus transferendi ration[...] tradat, moxque etiam experiri jubeat, qua disciplin[...] hanc facilitate assequatur. Ab obviis scribendi formulis

remotiores transeundum est. Vltimas Ciceronis ad Libertum Tironem, ad uxorem Terentiam, filiamque Tulliam epistolas legenti primas esse velim, ac deinde sensim graviora amari. Ita quæ sine ordine numerisque, indigesta verborum ac sententiarum congerie hactenus complexus est, concinna discet compositione digerere, gratiam pondusque scriptioni conciliaturus. Frustra pictor colores, penicillos, tabulasque sua in officina congeret, nisi delectis propositisque ad imitandum exemplaribus, hausta artis documenta, suo ipse labore probavit. Oculi ad prototypon, manus ad tabulam adhibendæ.

1. Quod si tamen rudis ætas incoctumque judicium, huic satis lectioni, in adolescente, nondum sufficiant, certè in exitu Grammaticæ constitutus, atque ad illa oratoriæ facultatis progymnasmata transiturus, sine lectione utiliter admitti non poterit Quæ enim ætas his studiis idonea est, erit & lectioni. Neque enim difficilius futurum est, eleganter jam ab aliis scripta legere, quàm scribere legenda: Doctorum in oratione cultum ornatumque côntemplari, quàm proprio ingenio fingere; lacteam exundantemque in eloquentibus copiam venerari, quàm ex se natam profundere.

Planè judicium sapientiamque in his Ludimagistris requiro, qui rem ad discipulorum profectum usq; adeò conducentem negligunt, per quam plurimis ipsi sublevantur laboribus, & creditam sibi juventutem velut per ludum ad eloquentiam deducunt. Paucis hoc iter præceptionibus, magna legendi scribendique exercitatione tenendum est. Stet velut in excubiis Præceptor, legesque operis & præscribat, & exigat. Discipuli, tanquam apum examen aliquod, fundantur per herbas, floresque autorum delibent, sua domum referant onera, favos à melle distinguant, atque in suum aliorumque usum scriptione digerant. Iucundus hic, & agentibus, & spectantibus labor futurus est: eodem Magister discipulusque profectu lætabitur. Quocirca hanc industriarum apum curam non negligant, quæ.

Ignavum fucos pecus à præsepibus arcent. Virg.

§. 2.

Qui Autores Lectoribus devitandi.

CAvendum tamen, ne incauta adolescentia in eiusmodi autores offendat, qui venena prò melle præbeant. Sunt enim impura Veneris mancipia, quibus Musæ Virgines displicent, has velut prostibula meretricio fuco adornant, lenocinari docent, ad flagitia amoresque incestos instruunt. Poëtarum hic major, quàm Oratorum impudentia est. Ipsi, qui in multorum versantur manibus, Ovidius Horatiusq; hoc scelere notantur; tam proterva legentium (si hæc ament) fronte, quàm indigna scribentium petulantia. Terentium sermo purior, quàm sensus commendat. negligendus iccirco, quod non sola voluerit placere eloquii Venere. Arbitrum insolens lascivia prohibet juventuti. Vt mirum sit hac ætate lenones magis, quàm Doctores repertos esse, qui latentem hic conchis Cypridem in portum subduxerint, eamque suis commentationibus, in eiusmodi auctores vulgatis, operosè illustrarint. An non illa fatius æternis lateant tenebris sepulta, quàm in lucem prodeant, ignem inflammatæ cupiditati addituræ? Quot perpetrant flagitia tot aliorum flagitiorum participes! Cur lubrica hæc ætas in præcipitium magis impellitur, & eloquentia, nisi cum scelere, non suadetur? Argos hic esse Magistros cupiam, qui ita lectionem urgeant, ut ab his sirenum scopulis incautam adolescentiam simul avocent, nihil nisi ductu consilioque suo capessere jubeant. Vbi enim hic arctius adhærescere cœperint, innocentia juxta ac diligentia periit: enervatus ille vigor studiorum cum animo frangitur; suæ magis cupiditatis, quàm cultæ orationis illecebris occupantur.

Alter hic etiam politæ eruditionis occurrit scopulus, horrida aut peregrina & audax incultorum scriptorum dictio, quæ incautos admiratione & amore novitatis juvenes abripit, nullo in horum lectione fructu destinendos. Magna nascentis eloquentiæ clades est, si illius candidati ipsa orationis vitia pro virtutibus studiosè prensent; Si discant,

non

non quemadmodum mentis suæ consilia ad audientes candidè ornateque depromant, sed vel obscuris involucris obtegant, vel aspera incultaque dictione protrudant. Rectè Aristoteles Μόνη λέξεως ἀρετὴ σαφῆ εἶναι. Vnicã orationis laudem hanc esse si perspicua sit. Quorsum nata vox, & hominibus communicatus est sermo, nisi ut mentis clarus juxta fideli sque interpres esset? Quid enim refert, asinusne rudat, an homo loquatur, si neutrius sensum assequaris? Appuleio in horrida obscuraque scriptione ignoscendum, quandoquidem loquentem introducit asinum, à quo parum humanum cultumque sermonẽ exspectes. Hujus nisi quis malit, quàm Ciceronis imitator videri, scopulis hisce devitatis planum æquor naviget, neque facilè, seu priscum, seu novum autorem, sine periti Ducis arbitrio sequatur. Multum interest, quibus primum inventus observandis applicetur, siquidem.

Quo semel est imbuta recens servabit odorem
Testa diu. *Hor.*

§. 3.

Quantùm sedula lectio, & lectorum annotatio, ad profectum faciat.

QUantum verò hoc legendi studio adolescentibus brevi ad scribendi facultatem emolumenti accedat, ipse expertus novi. Orbilius mihi in trivialibus laudis instructor obtigerat, qui neque illas artes liberales, ut fas est, liberali institutione traderet; neque pensa discendi scribendique imperaret viribus æqua, ac legibus apposita. Vnde præcepta tantum memoria complexus, illorum usum ignorabam. Quare sine profectu aliquamdiu luctatus cum ignorantia, hanc denique palæstram annis pluribus declinavi, donec amicorum incitamentis revocatus Societatis nostræ disciplina longè dispari, lucem ex illa obscuritate prospicere, manumque ex cognitis jam Grammaticæ regulis tabulæ admovere cœpi. Syntaxeos vix capax, medio tamẽ anno decurri, postremosq; inter, ad eloquentiam pro-

progymnasmata in humanitate, accessi. donec ad Rhetoricam ægrè eluctatus Professorem nactus sum, qui suos legendo magnopére excoleret. Vix tamsui literarumq; negligens repertus quisquam est, qui non aliquem à poetis oratoribusque versaret manu, atque in suos degestum indices, scribendi argumentis aptaret. Sumptas de artibus disciplinisque de vitiis ac virtutibus heroum materias, semel iterumve in mense, per vinctæ ligatæve orationis patiebatur themata, quæ scribendo prosequerentur discipuli. Autores simul designabat idoneos, qui vel in manibus adolescentum essent, vel comparari poterant, in eadem re eruditè versatos. Certatim ad hos quisque aspirare, sollicitare parentes, obtinere, evoluere, atque ad scribendi propositum inflectere. Primùm rudiori opere, mox ad judicium Professoris correcto expolitoque. Illius cautelæ erat, ita providere lecturis scripturisque, ne vel reperirent omnino nihil, vel omnia; & ut, pro diversitate autorum; alius alia. Ita enim utilissimum hunc fecerat laborem universis; cum & domi ad imitationem lecto-um scribenda formarent; & in scholis audita, cum lectis à se scriptisque; conferrent, eratque non Magistro minus, quam ceteris jucundum auditoribus, idem diverso scribendi schemate excultum intueri. Qui; optimè rem assecutus pronuntiabitur; is sibi nihil minus, quàm Romanorum Dictaturam, aut Athenarum principatum occupasse visus est. Ego qui ad nullum bonarum artium præmium unquam aspiraveram, hic ex minoribus emergere subselliis, ac primum cum mediocribus, deinde & cum scholæ proceribus in aliquam comparationem venire. Faciebat hoc & legendi indefessa contentio, & nihil, nisi ad imitationem, scribendi. Non lubebat calamum sumere nisi reperissem imitanda. Ita quandoq; affluebã principiò, & non rarius egebam; donec non pauca legendo signandoque, res quidem per titulos, illustriores etiam phrases figurasque per verba, emensus; nunquam denique exemplorum inops ad scribendum accederem. Hæc contentio per dimidii partium anni cum ceteris me aliosque committebat, qua ex mediocribus ad primos enitebatur à primis rursum devoluebat ad medios; cùm quisque sibi tam vinci ignominio sum crederet, quàm vincere gloriosum. Solerti quædam Præceptoris industria, qui præmio nullum majore afficere poterat, quam declarare victorem; pœna, quàm

quàm victum. Quæ facilitas hinc multis nata, non facilè apud ignavos fidem reperiat. Adolescentem vidi, qui extemporali carminis tragici (quod per horæ dimidium dabatur) exercitio, triginta ex se versus funderet, ac deinde Magistro idoneus visus sit, qui tragicum Herodis filiorum exitum, iisdem versibus adumbraret. Quod tam felici Minerva executus est, ut re in scenam deducta, nihil infra Magistri dignitatem præstitisse judicatus sit. Ego qui tanta æmulatione præsertim veteranorum (quæ tunc erat) Rhetorum de principatu obtinendo desperarem occasionem aliò discedendi oblatam non invitè amplexus sum; ratus, ut evenit, alibi fortè minori contentione victoriam palmamque literariam, cujus aliqua cupiditate flagrabam, obtineri posse.

Sed ab angusto, ut veneram condiscipulorum numero, ad amplissimum translatus, magnum quidem principio ad spem excellendi compendium amisisse mihi videbar; verùm ubi minorem lectionis curam, sterilemque plerorumque, ex phrasiologis, aut capite depromptam scriptionem animadverti; tum enim verò, quamvis inter mediocres relictus, animum audaciamque cœpi, neque aliis ferè nixus quam lectis hactenus in succum nervosque orationis transeuntibus, ex ligata quidem primam, ex soluta alteram eruditionis palmam, in ultima dimicatione, obtinui. Par felicitas sociorum alteri, qui adversum Gymnasium una mecum emigraverat, obtigit; cum & primas ipse, ex numerosa juventute, lauros decerperet. Magistri hæc industriæ, meoque labori magis quàm ingenio imputo. Et quibuslibet ad hujus artis comprehensionem aliquam enitentibus autor sum, ut quantum commode possunt, lectioni tribuant, quam ad imitationem deinde scribendo vertant. Ego quotquot nactus sum discipulos, ejus consilii studiique amantes, tot insigni semper profectu comperi eminere. Quo hæc animo fusius narrando sim prosecutus, cùm Magistri, tum discipuli intelligent. Persuadere utrisque hanc lectionis curam, volui, cujus tam certo experimento fructum sensi, quæque, ut laborem habeat, dulci eundem gestu voluptatis perfundit.

CAPUT V.

Quarum potissimum rerum, quo ordine, qua legendi signandique methodo, lectio instituenda sit.

SEd qua ratione hæc lectio instituenda est, quique ad illam ex veteribus novisque autores potissimum adhibendi? qua denique lege formanda imitatio? Dicam ordine, & de lectione usu modoque primum, de ceteris suis deinde seorsim capitibus. Cum res sit eiusmodi, in qua præcipuum eloquentiæ præsidium collocetur.

§. 1.

Materia lectionis eiusque diversitas quaque in humili genere observanda sint.

In lectione bonorum auctorum primò Argumentum, & Materia est observanda. Triplicis ea universè generis habetur. Humilis quæ ad communem populi usum tractationemque admittitur, ut solet in Dialogis, seu colloquiis vulgo consuetis, in Epistolis illis, quæ res jocosque familiares complectuntur, in Narrationibus quæ ad simplicē nudæ veritatis expositionem spectant, in commentariis, quæ aliorum scriptorum reconditos sensus sententiamq; exponunt; artium denique ac disciplinarum præcepta, cognitionemque tradunt. Alia Mediocris est quæ vulgarem populi usum captumque excedit; moderato tamen ingenio sine magna orationis contentione affectumque concitatione pertractatur. Qualis reperitur in gravium virorum Consultationibus, in Epistolis de re magna vel ad magnos scriptis, in historiis rerum illustrium expositionem complexis, in locorum, rerum, factorumque descriptionibus, in virtutum laude, ac reprehensione vitiorum. Denique aliá Materia sublimis est, quæ in movendis concitandisque animorum versatur affectibus, ut in Epistolis, Orationibus, aut Poëmatis exhortativis, invectivis, criminatoriis, lamentato-

riis,

tiis, & quibuscunque denique scriptis rem tragicam, motibusque obnoxiam complectentibus solet reperiri.

Ab humili verò genere auspicanda Grammaticis lectio est, cujus dictio cum proprio familiarique nitore delectetur, ejus virtutes observandæ erunt, & quædam etiam, ne memoriam fugiant, scripto notanda.

1. In vocibus, siquæ rariores, & maximè significantes occurrerint.

2. In phrasibus illæ quarum syntaxis & rarior, & illustrior videbitur.

3. Elegantes particulæ quibus inter se voces sententiæque cohæserint.

4. Exquisitus minusque usitatus ordo, quo se mutuò voces consequentur, qui in Cicerone inprimis vim magnam elegantiæ obtinet, diligenter neglectus.

5. Ornamenta hujus generis humilioris, quæ sunt proverbia, sententiæ ethicæ, acutèque dicta, joci & urbani sales, mitiores figuræ ac torpi, aptæ ex rebus vulgaribus similitudines.

6. Præter hæc certæ orationis formulæ meritò observantur, quæ duplicis ferè generis sunt: aliæ quibus diversæ orationis partes inter se cohærent; ut sunt formulæ proponendi, partiendi, & digrediendi quarum alibi exempla fusius prosecutus sum: aliæ quæ rem ipsam certa ratione oculis pro materiæ diversitate subjiciunt: ut sunt formulæ suadendi, laudandi, reprehendendi; quæ se passim in quovis genere scriptorum offerunt.

Ceterum in tres classes has observationes rectè digeres, in quarum primam voces, phrases, particulas, collocationemque selectam conferat; in alteram ornamenta; in tertiam formulas. De qua re Sacchinum de ratione legendi c. 10. & 11. licebit adire.

Quod si aliquantò peritiores hæc ex lecto autore non incuriosè notent, simulque sententiarum ac periodorum mensuram, qua claudit, ac voluit dictionem observent; proptum erit plerisque expedita imitatione sic totum reddere, ut nisi lynceis eloquentium oculis, nequeat internosci.

§. 2.

Quæ in mediocris materiæ genere notanda sint.

Porrò ad mediocris generis materiam autoresque legendos non nisi robustiores eloquentiæ candidati, quiq; ad oratorum jam progymnasmata idonei sunt, admittantur. His jam in vocum phrasiumque proprietate hærendum non erit, nec particularum, salium, proverbiorumque usus, minus hic frequens, admodum observandus; sed neque ut inutilis repudiandus.

1. Itaque in vocibus, phrasibus, ac tota periodo ornamenta orationis spectanda sunt, cùm moderatum hoc dicendi genus ad delectationem comparatum sit. Videndum, quàm aptæ ducantur metaphoræ à rebus magnificis & illustribus, & quandoque etiam explicatæ fusius similitudines adhibeantur; an graviores sententiæ, apophtegmata? an veterum ritus moresque & exempla? & quæ denique figuræ verborum sententiarumque ad illuminandam orationem adhibeantur? Hæc ubi magis eminere senserit, in adversaria referet.

2. Iunctura, ordo, concinnitasque partium orationis inter se cohærentum observanda, quemadmodum nihil, aut ob vocalium, aut consonantium inter se plurium concursum, hiulcum, aut asperum; naturæ ordinem sequatur oratio, & minora majoribus anteferat, ut semper assurgens crescat, non membris nimium inæqualibus claudicet; sed paria paribus, relata relatis crebrò opponat, similiterque cadentibus ac desinentibus delectetur: quibus concinna oratio efficitur.

3. Numeri inprimis rationem habeat, cum nullum genus dicendi, perinde ut hoc mediocre, certo ambitu circumducta, & velut ad mensuram incedente oratione utatur. Omnia enim ad ornatum majestatemque quandam refert; & vel, ut splendidè culta virgo, vel in purpura trabeaque triumphans Imperator, progreditur. Nihil hic vulgatum, ut in tenui, nihil concisum infractumque, ut in sublimi charactere, aut dejicitur, aut extollitur, nisi, ut fit sæpius, cum rebus; aut remittēda sit, aut vibranda oratio. Rarò enim eidem constantes, ut rei, sic dicendi characteri insistitur.

tur. Ab illo quælibet oratio nomen ducit, quod in ea præcipuè eminet. Temperatum hoc genus orationis productiora inprimis membra, quæ epithetis crebrò illustribus, geminatisque substantivis extenduntur, amat. Gravioribus etiam vocibus, & inchoatur, & clauditur. In principio Creticum amat, Pœonem primum, alterumque, Dochimum, Dichoreum, Molossum, & Anapæstum: in fine, vel Creticum, sequente Dichoreo, aut Dactylo, aut altero etiam Cretico: vel Dochimum, vel Choreum cum Molosso, aut (quod affine) Trocheum, vel Iambum cum Spondeo, aut Dispondeo. In medio cura pedum minor est; nisi quod res celeres per tribrachos pyrrichiosque, graves per bacchios spondeosque, majestate plenas per dactylos & pœones rectius expressas videamus. Estque in his numeris, magnum ad orationem momentum.

§. 3.

Quæ in sublimis materiæ genere observare conveniat,

Accedimus ad tertium materiæ sublimis ordinem, in qua *neglecto* delectandi studio, auditorum animis orator dominatur, & in quam destinavit partem inflectit. In hac priusquam lectionem aggrediaris, cum dicentis, tum audientium personas nosse conveniat; alia enim juvenem, alia senem decent: aliter vulgus, aliter senatus flectendus est. De statu *verò* causæ ante pernoscendo nemini dubium esse poterit. Nam *in* Demonstrativo dicendi genere spectatur honestum, *in* deliberativo utile, in Iudiciali æquum. De his verò eorumque oppositis Arist. lib. 10. c. 5. 6. 7. 9. & 10. Videri poterit. Ex illis enim, tanquam propriis cuiusque generis fontibus, urgentia potissimum argumenta petuntur.

1. Igitur observandum quemadmodum hæc oratio figuris ornetur maximè ardentibus, per crebra incisa, hiulcè etiam nonnunquam præcipitatis.

2. Argumentorum vis & ratio, quibus propositum obtinere nititur hic inprimis attendenda est; & ad quos, qua via & arte, ex pugnandos dirigat.

3. Quibus moribus se orator, aut scriptor probat, & auditorum aptet ingenio: ut illorum favore subnixus, tanto facilius animos expugnet. Talis enim rectè morata oratio

dicitur qua sua se prudentia in cōsiliis, magnitudine animi in adversis, benevolo in Auditores affectu, primò insinuat, deinde eorum inclinationibus, sive ad honorem, sive ad commodum spectantibus opportunè utitur, huc enim, quò quisque propendet, facilè impellitur.

4. Affectum movendorum pervestiganda est ratio, in qua sola posita est oratoris hujus victoria. Quemadmodum in deliberativo spem metumve; pudorem incutiat, vel audaciam, de quibus concitandis agit Arist. l. 2. Rhetor c. 5. In demonstrativo observet, quid præcipuè voluptati conciliandæ faciat, an non ita alterius laudes tractet, ut ad ipsos simul auditores spectare videantur? quibus insidiis gratiam occupet? quibus ornamentis delectet? In judiciali videndum, quomodo regnũ illud affectuum administret; an illi concitandæ iræ sedandæque, movendo amori, misericordiæ, indignationi, invidiæ, & æmulationi adhibeat, de quibus Arist. lib. 2. cap. 2. & seq. usque ad 11. eruntque sue etiam à nobis loco pertractanda? Illud verò ad elocutionem hic ferè præcipuum; ut, cum duplex potissimum affectuum genus sit; alterum mite, quale est amoris & miserationis; alterum verò durum & acerbum, quale est odii & indignationis: diversum utrimque orationis contemplemur habitum; illum quidem suaviter & numerosè periodis longioribus profluentem: hunc contrà incisum subsultantem, asperum, pedibusque à brevibus in longas syllabas inclinatis, periodis variis; dictione nunc incitata, nunc rursum hærente. Prioris exemplum pro Milone & Rabirio posterius in prima Catilinaria habiturus es.

§. 3.

Qua ratione & qui in Scholis autores prælegendi? Quintil. Instit. Orat. l. 2. c. 5.

1 *Methodus prælegendi exponendique autores eloquentiæ.*

2 *Inepti quandoque autores, ad declaranda eloquentiæ vitia, inducendi, quod adolescentes corrupta pleraq; magis admirentur, ut tradit in simile.*

3 *Frequenti interrogatione discipulorum studium excitatur.*

4. Op-

4 Optimus quisque ab ipso etiam exordio prælegendi.
5 Duo potissimum cavenda, ne vel nimio antiquitatis studio obscuri, vel novitatis insolentes habeantur. Cum judicio ex utrisque deligendum.

1. PRælectio quæ in hoc adhibetur, ut facilè atque distinctè pueri scripta oculis sequantur, etiam illa, quæ vim cujusque verbi, si quod minus usitatum incidat, docet, multum infra Rhetoris officium existimanda est. At demonstrare virtutes, vel, si quando ita incidat, vitia: id professionis eius atque promissi, qui se magistrum eloquentiæ pollicetur, maximè proprium est: eo quidem validius, quod non utique hunc laborem docentium postulo, ut ad gremiũ revocari, quos quisque eorum velit, libri lectioni deserviant Nam mihi cum facilius, tum etiam multò magis videtur utile, facto silentio unum aliquem (quod ipsum imperari per vices optimum est) constituere lectorem, ut protinus pronuntiationi quoque assuescant: tũ exposita causa in quã scripta legetur oratio (nam sic clarius quæ dicentur intelligi poterunt) nihil otiosum pati, quodque in inventioni, quodque in elocutione annotandum erit: quæ in procœmio conciliandi judicis ratio: quæ narrandi lux, brevitas, fides: quod aliquando consilium, & quam occulta calliditas. Namqud ea sola in hoc ars est, quæ intelligi nisi ab artifice non possit. Quanta deinceps in dividendo prudentia, quam subtilis & crebra argumentatio: quibus viribus inspiret, qua jucunditate permulceat, quanta in maledictis asperitas, in jocis urbanitas, ut denique dominetur in affectibus, atq; in pectora irrumpat, animumq; judicum similem iis quæ dicit, efficiat. Tum in ratione eloquendi, quod verbum proprium, ornatum, sublime; ubi amplificatio laudanda, quæ virtus ei contraria, quid speciosè translatũ, quæ figura verborum, quæ lenis & quadrata, sed virilis tamen compositio.

2. Nec id quidem inutile, etiam corruptas aliquando, & vitiosas orationes, quas tamen pleriq; judiciorum pravitate mirantur, legi palam pueris, ostendique in his quam multa impropria, obscura, tumida, humilia, sordida, effœminata sint: quæ non laudantur modò à plerisque, sed (quod peius est) propter hoc ipsum quod sunt prava, laudantur. Nam sermo rectus & secundum naturam enunciatus

 nihil

nihil habere ex ingenio videretur; illa verò quæ ut cunque deflexa sunt, tanquam exquisitiora miramur: non aliter quam distortis, & quocunque modo prodigiosis corporibus apud quosdam majus est pretium, quam iis quæ nihil ex communis habitu boni perdiderunt: atque etiam qui specie capiuntur, vulsis, lævatisque, & inustas comas acu comentibus, & non suo colore nitidis, plus esse formæ putant, quam possit tribuere incorrupta natura; ut pulchritudo corporis venire videatur ex malis moribus.

3. Nec solùm hæc ipse debebit docere præceptor, sed frequenter interrogare, & judicium discipulorum experiri. Sic audientibus securitas aberit, nec quæ dicentur, perfluent aures: simulque ad id perducentur; quod ex hoc quæritur, ut inveniant ipsi, & intelligant. Nam quid aliud agimus docendo eos, quam ne semper docendi sint? Hoc diligentiæ genus ausim dicere plus collaturum discentibus, quàm omnes omnium artes, qui juvant sine dubio multum.

4. Quod si potuerit obtineri, non ita difficilis supererit quæstio, qui legendi sint incipientibus. Nam quidam illos minores, quia facilior eorum intellectus videbatur, probaverunt: alii floridius genus, ut ad alenda primarum ætatum ingenia magis accommodatum. Ego optimos quidem & statim & semper, sed tamen eorum candidissimũ quemque, & maximè expositum velim: ut Livium à pueris magis, quàm Salustium: & hic historiæ majoris est author: ad quem tamen intelligendum jam profectu opus sit. Cicero, ut mihi quidem videtur, & jucundus incipientibus quoque, & apertus est satis, nec prodesse tantum, sed etiam amari potest, tum (quemadmodum Livius præcepit) ut quisq; erit Ciceroni simillimus.

5. Duo autem genera maximè cavenda pueris puto: Unum, nequis eos antiquitatis nimius admirator, in Gracchorum, Catonisque, & aliorum similium lectione durescere velit. Fient enim horridi atque jejuni. Nam neque vim eorum adhuc intellectu consequentur: & elocutione, quæ tum sinè dubio erat optima, sed nostris temporibus aliena. contenti, quod est pessimum; similes sibi magnis viris videbuntur. Alterũ quod huic diversum est, ne recẽtis hujus lasciviæ flosculis capti, voluptate quadã prava deliniantur, ut prædulce illud genus, & puerilibus ingeniis hoc gratius, quo propius est, adamẽ. Firmis autem judiciis, jamq; extra

peri-

periculum positis, suaserim & antiquos legere, ex quibus si assumatur solida ac virilis ingenij vis, deterso rudis seculi squalore, tum noster hic cultus clarius enitescet: novos, quibus & ipsis multa virtus adest. Nec enim nos tarditatis natura damnavit: sed dicendi mutavimus genus, & ultrà nobis, quam oportebat, indulsimus, ita non tam ingenio nos superarunt, quàm proposito. Multa ergò oportebit eligere: sed curandum erit, ne iis, quibus permista sunt, inquinentur. Quosdam verò etiam quos totos imitari oporteat, & fuisse nuper & nunc esse, quidem libenter non concesserim modò, verum etiam contenderim. Sed hi qui sint non cuiusque est pronuntiare. Tutius circa priores vel erratur: ideoque hanc novorum distuli lectionem, ne imitatio judicium antecederet.

CAPVT VI.

Veterum Autorum Catalogus per suas ætates distributus.

Cum eruditorum omnium consensione firmatum sit Romanæ eloquentiæ rationem formamque ad veterum illorum scriptorum monumenta exigendam ducendamque esse, novorum verò quemque, ut his maximè similem, ita ceteris præferendum videri. Non abs re facturum me existimvi, si priscos Autores, qui aliquo in numero sunt. Catalogo quodam colligerem, atque in suas veluti ætates, cùm solutæ tum ligatæ eloquentiæ scriptores distinguerem. Commentatoribus plerorumque additis. Ita enim deinde planius erit de quibusque judicium. Quod omnino Lectori, ut eosdem cum fructu tractet, videtur necessarium.

LINGVÆ LATINÆ AUTORES ÆTATIS AUREÆ.

1. M. Tullij Cicer. opera, cum P. Manutij commentario, An. 1583. Venetij, in fol.

Ejusdem Orationum tomi tres, cum Epistolis familiar, notis Freigij illustratæ Francofurti An. 1592. in 8.

Tertium volumen orationum, cum Nicolai Abrami S.I. locupletissimis commentarijs. Parisijs An. 1931. in fol.

2 Varronis opera cum notis Augustini, Scaligeri, Victorii Parisiis in 8. An 1585. Item Lugduni Bat. & Ingolstadii in 8.

3 Catonis opera, quæ extant collecta Lugduni Bat. An 1590. in 8.

NB. Cato. Varro, Columella, Palladius rei rusticæ scriptores cum Victorii, Vrsini, & aliorum notis Heidelbergæ in 8. An 1593. editi sunt.

4 Marci Vitruvii Pollionis de Architectura, cum Comment. Philandri, Lugduni in 4. & Danielis Barbari, Venetiis in fol. An. 1567.

5 Trogi Pompeii historia, Iustino abbreviata, cum Modii, & Bongarsij notis Francof. in 8.

6. C. Cæsaris commentarii, cum variorum notis Francof. in 4. 1606.

7. Cornelii Nepotis, sive Æmilij Probi liber cum Lambini Comment. Francof. in 8. An. 1608.

8 Salustij opera, cum notis & comment. variorum Francof. in 8.

9 Li-

9 *Livii historia Francof. & alibi.*

10 *Fragmenta historicorum collectu ab Ant. Augustino cum notis Fulvii Vrsini Antverp. apud Plant. an.* 1595.

11 *Enni Annales editi Lugd. Bat. Eiusdem fragmenta poetica Neapoli* 1590.

12 *Plauti Comœdia cum Comment. Taubmanni in* 4.

13 *Terentii Comoed. cum Donati & Eugraphii Comment in* 4. *Parisiis* 1602.

14 *Lucilii fragmenta à Franc. Dousa collecta, Lugduni Bat. in* 4.

15 *Veterum Poetarum fragmenta, edita ab* Henrico *Stephano in* 8.

16 *Lucretii poemata, cum Comment. Dionysii* Lambini, *Francof. in* 8.

17 *Catullus, Tibullus, & Propertius, cum Comment. variorum in fol. & cum notis Passeratii de Comment. in Propertium in fol.* 1608. *Parisiis.*

18 *Virgilius cum Comment. Servii Parisiis in fol. Item cum Comment. P Iacobi Pontani in fol Rursum comment. P. de la Cerda. Deinde Comment. Nicol. Abrami in* 8. *Rothomagi An.* 1633. *denique Thomæ Farnabii Ambstelrod. Castigationes Pierii in Virg. Basileæ in* 8. *Varia lectio Pauli Gabiani Brixiæ in* 8.

19 *Horatii opera cum Lambini Comment, & Marsilii Parisiis in fol.*

Item cum paraphrasi Frider. Ceruti Veronæ in 4. *Deinde Com. Ioannis Bond in* 12. *Ambsterlodami An.* 1636. *Denique Com. P. Iodoci de Mares in* 12. *Duaci An.* 1938.

20 *Ovidii opera, cum Comment. variorum Franc. in fol. Eiusdem metamorphosis, tristia, & de ponto cum notis Iac. Pontani.* ÆTA-

ÆTATIS ARGENTEÆ.

1. COlumella, cum Varrone & Palladio de re rustica, cum notis Vrsini & Victoris in 8.
2 Pomponius Mela in 4. Antverp.
3 Petronius cum notis variorum in 12. Parisiis.
4 Asconius Pedanius in Ciceron. cum notis Hottomanni in 8. Lugduni, 1551.
5 Seneca Rhetoris & Seneca Philosophi opera cũ notis Pinciani, Lipsii, Schotti, Mureti, &c. Paris.
6 Senecæ Tragœdia cum Comment. P. Antonii Delrio in 4. & Thomæ Farnabis in 12. Amstelrodami An. 1632.
7 Aul. Persii Satyræ cum notis Vineti, Pithei, Marcilij &c. Parisiis in 4. An. 1613. Cum paraphrasi Freder. Cerati Veronæ, An. 1600. Casauboni Comment. Parisiis in 8. An. 1615. denique Thom. Farnabij Ambstelr. 1632.
8 Lucanus cum Comment. Hortensii & Io. Sulpitii Basileæ in fol. 1578.
9 Dictis Cretensis de bello Troiano cum Iosiæ Merceri notis Parisiis. sed hic liber spurius est.
10 Gratii Cynegeticon Parisiis inter vetera Poemata editum.
11 C. Iulius Hyginus Augusti libertus, cum alijs mythologicis latinis.
12 Phoedri Augusti, item Liberti fabulæ, Parisiis cum notis Rigaltij.
13 Curtii historia, cum Franc. Modii & Valencis Acidalii notis.
Item cum Raderi Comment. in fol. Colon. An. 1628
14 Velleius Paterculus cum notis Manutii, Lipsii, Acidalii, &c.

15 Ve-

15 *Valerius Maximus, cũ Pighii, Lipsii, Coleri notis.*

16 *Cornelius Celsus de re medica.*

17 *Plinius maior, cum recognitione Dalecampii vel Ciacconii.*

18 *Plinius minor, cum notis Minois & Casauboni, & Comment. Io. Mariæ Catanei in Epist. Geneva An. 1600. Et in panegyricum Traiani, cum notis Lipsii, Gruteri & aliorũ Argent. An. 1635.*

16 *M. Fabii Quintiliani institutiones oratoriæ, cum declamationibus eidem quamvis incerto, tributis Geneva An. 1604.*

20 *Tacitus cum notis variorum in 8. Francof. editus An. 1607.*

21 *Suetonius cum Torrentii, Casauboni, Gruteri aliorumque Commentariis.*

22 *Flori historia, cum notis & castigationibus variorum.*

23 *Iulius Solinus Antverp. An. 1582. per M. Anton. Delrio emendatus.*

24 *Frontini strategemata cum Vegetio edita Parisijs in 4. Anno 1607.*

Eiusdem de Aquaductibus & Colonijs tractatus extant apud Onuphr. Panuinium in Commen. reip. Rom. Parisiis in 8. An. 1588.

25 *Valerius Flaccus cum Lud. Carrionis notis Antverp. in 16.*

26 *Silius Italius cum notis Dan. Heinsii, Lugd. Bat.*

27 *Statius cum veteris grammatici commentario Parisiis in 4. An. 1600.*

Item cum veterum & novorum Commentarijs ibid. An. 1618. impressus.

28 *Martialis cum variorum Comment. Parisiis in 4. An. 1601. Item Commentarijs P. Raderi, Ramirez quoque & Gruteri.*

NB. Ple-

NB. Plerosque horum seculorum autores in parva forma Batavicis recens typis prodiisse.

ÆTATIS FERREÆ.

1 *Arnobius, & Minutius felix, à Petro Ciacconio & Fulvio Ursino emendati, Romæ in 4. An. 1583.*

2 *Apuleii opera, cum notis Petri Antverpiæ in 8. An. 1588. cum Beroaldi Comment Basileæ, cum Vulcanii notis Lugduni, Scioppii crisi Augustæ. An. 160*

3 *Auli Gellii, vel Agellii noctes atticæ, cum Henrici Stephani notis Parisiis, in 8. An. 1585.*

4 *Panegyrici duodecim à Grutero Acidalio & Ritershusio recogniti Francof. in 18. an. 1607.*

5 *Rhetores in quibus Rutilius Quintiliano ætate major Paris. in 4. An. 1599.* (158

6 *Iulius obsequens de prodigiis Lugduni in 16. a.*

7 *Ammianus Marcellinus Hamburgi in 4. An 160.*

8 *Historiæ Augustæ scriptores, ut Spartianus, Lampridius, Pollio, Capitolinus Vulcatius & Vopiscus, cum Casauboni & Claudii Salmasii Commentariis.*

9 *Apicus de re culinaria cum notis Gabriel. Humelburgii, Tiguri in 4.*

10 *Martianus Capella cum Hugonis Grotii Lugduni in 8. An. 1600.*

11 *Boethius de consolatione Philosophiæ. ibid. an. 160*

12 *Iulii Firmici de errore profanarum religionum Hamburgi in 8. an. 1605.*

13 *Lactantius cum Michael Thomasii notis Antverpiæ in 8. an. 1568.*

14 *Censorinus de die natali cum Aldi Manutii not. Venetiis an. 1581.*

15 *Aurelius Victor cum Andr. Schotti notis Antverp. 7. an. 1579.*

16 Sym

16 *Symmacha epistola cum notis Scioppij Moguntia An. 1602. in 4. & Franc. Iureti Comment. Paris. in 4. an. 1604.*

17 *Vegetius cum Frontino de re militari, cum Com. Godeschalci Stevechij Par. in 4. an. 1607. Et de re Veterinaria, sive Mulo medicina in 4. an. 1574.*

18 *Macrobius cum Io. Isacij Pontani notis Lugd. Bat. in 8. an. 1697.*

19 *Ausonius cum Elia Veneti Comment. in 4. & Iosep. Scaligeri in 8.*

20 *Prudentius cum notis Victoris Giselini 8. Antverp.*

21 *Claudianus cum M. Ant. Delrio notis Antverp 8.*

22 *Calphurnii & Nemesiani poemata, cum notis à Roberto Titio vulgatis Florentia 4.*

23 *Q. Sereni carmen de Medicina, & Symposij ænigmata Parisiis. an. 1590.*

NB. Inter veteres Grammaticos etiam referri Pedaniū, Festum, Nonnium Marcellum, & Fulgentium, Donatum: tum deinde Charisium, Diomedem, Priscianum, Victorinum, Terentianum Longum, quorum plures simul editi.

Vides, amice Lector, inclinatas sensim virorum eloquentium ætates, ab Ennio, Plauto, Lucidio, Varrone paucisque aliis, quorum scripta perdurarunt, eloquentia primum educari; à Cicerone & Virgilio robore virili firmari, ab Apuleio, Ammiano aliisque præcipitari rursum in seniū visa est. Nobis, ne per singulos operosè circumferamur, illi tantum designandi erunt, quorum cuique eloquentiæ studioso, lectio utilior futura est. Qua in re, cum pro dignitate autoris cuiusq; dimicatur, non una omnium sententia est; sed pro suo quilibet cùm naturæ, tum naturæ, tum styli, à se delecti ingenio controversiam decidit. Nos ut ex materiæ diversitate, diversum, tam scriptorum, quàm legentium ordinem facimus, fortassis & hic lucis aliquid ad litem facilius terminandam adferemus. Prius tamen Quintilianū, à Cicerone latinorum facilè oratorum principem, hac de re, cum in suis Institutionibus, tum in Dialogo de Oratoribus, eruditè juxta ac sapienter differentem audiamus.

§. II.

§. II.

De lectione bonorum autorum rectè instituenda.

Quintil. lib.10. Inst. c. 1.

1. *Lectio, scriptio, dictioque oratori futuro jungenda sunt.*
2. *Qua ratione Lectio instituenda sit.*
3. *Lectio Poetarum oratori quoque non est negligenda.*
4. *Historicorum lectio utilis.*
5. *Denique & Philosophorum.*

1. ELoquendi præcepta, ſicut cognitioni ſunt neceſſaria, ita non ſatis ad vim dicendi valent, niſi illis firma quædam facilitas, quæ apud Græcos ἕξις nominatur, acceſſerit, quam ſcribendo plus, an legendo, an dicendo conſequamur, ſolere quæri ſcio. Quod eſſet diligentius, nobis examinandum, ſi qualibet earum rerum poſſemus una eſſe contenti. Verum ita ſunt inter ſe connexa & indiſcreta omnia, ut ſi quid ex his defuerit, fruſtra ſit in ceteris laboratum, nam neque ſolida ac robuſta fuerit unquam eloquentia, niſi multo ſtylo vires acceperit: & citra lectionis exemplum, labor ille, carens rectore, fluit. Qui autem ſcierit, quo ſint quæque modo dicenda, niſi tanquam in procinctu, paratam quidem ad omnes caſus habuerit eloquentiam, velut clauſis theſauris incubabit, &c.

2. Alia verò legentes, alia audientes magis adiuvant. Excitat qui dicit ſpiritu ipſo, nec imagine & ambitu rerum ſed rebus ipſis incendit. Viuunt enim omnia & moventur, excipimuſque nova illa velut naſcentia cum favore ac ſolicitudine &c. Lectio libera eſt, nec actionis impetu tranſcurrit, ſed repetere ſæpius licet, ſive dubites, ſive memoriæ penitus affigere velis. Repetamus autem, & tractemus, & ut cibos manſos ac propè liquefactos dimittimus quò facilius digerantur; ita lectio non cruda, ſed multa iteratione mollita, & velut confecta memoriæ imitationique traditur. Ac diu non niſi optimus quiſque, & qui credentem

ſib

sibi minimè fallat, legendus est; sed diligenter, ac penè ad scribendi solicitudinem, ne per partes modo scrutanda, omnia; sed perlectus liber, utique ex integro resumendus, præcipueque oratio, cuius virtutes frequenter, ex industria quoque occultantur. Sæpe enim præparat, dissimulat insidiatur orator, eaque in prima parte orationis dicit, quæ sunt fortè in summa profutura. Itaque suo loco minus placent, adhuc nobis, quare dicta sint, ignorantibus: ideoque erunt congnitis omnibus repetenda. Illud verò utilissimum, nosse eas causas, quarum orationes in manus sumpserimus, & quoties contingit, utrimque habitas legere actiones, ut Demosthenis atque Æschinis inter se contrarias. Quin etiam easdem causas, ut quisque egerit, utile est scire, nam pro domo Ciceronis dixit Callidius, & pro Milone orationem Brutus exercitationis gratia scripsit, etiamsi egisse illum Cornelius Celsus falsò existimat.

Neque id statim legenti persuasum sit, omnia, quæ magni actores dixerint, utique esse perfecta. Nam & labuntur aliquando, & oneri cedunt, & indulgent ingeniorum suorū voluptati; nec semper intendunt animum, & nonnunquam fatigantur. Cum Ciceroni dormitare interim Demosthenes, Horatio etiam Homerus ipse videatur. Summi enim sunt, homines tamen: acciditq; illis qui quidquid apud illos repererunt, dicendi legem putant, ut deteriora imitentur (id enim facilis) ac se abundè similes putent, si vitia magnorum consequantur Modestè tamen, & circumspecto judicio de tantis viris pronuntiandum est, ne (quod plerisque accidit) damnent, quæ non intelligunt. Ac si necesse est in alteram errare partem, omnia eorum legentibus placere, quam multa displicere maluerim.

Plurimum dicit oratori conferre Theophrastus lectionem Poetarum: multique ejus judicium sequuntur: neque id immerito. Namque ab his & in rebus spiritus, & in verbis sublimitas, & in affectibus motus omnis, & in personis decor petitur, præcipueque velut attrita quotidiano actu forensi ingenia, optimè rerum alium blanditia reparantur. Ideoque in hac lectione Cicero requiescendum puta. Meminerimus tamen non per omnia Poetas esse Oratori sequendos, nec libertate verborum, nec licentia figurarum, totumque illud studiorum genus ostentationi comparatum, præter id quod solam petit voluptatem, eamque fin-

gendo non falsa modo, sed etiam quædam incredibilia, [...] ctatur, patrocinio quoque aliquo juvari: quod alligati a[d] certam pedum necessitatem, nō semper proprijs ut possin[t] sed depulsi à recta via, necessariò ad eloquendi quædam d[i]verticula confugiant: nec mutare quædam verba, sed extē[n]dere, corripere, convertere, dividere cogantur: nos verò ar[]matos stare in acie, & summis de rebus decernere, & ad vi[]ctoriam niti. Neque ego arma squallere situ ac rubigine ve[]lim, sed fulgorem his inesse, qui terreat, qualis est ferri, qu[o] mens simul visusque perstringatur: non qualis auri argen[]tique imbellis, & potius habenti periculosus.

4. Historia quoque alere orationem quodam molli ju[]cundoque succo potest. Verum & ipsa sic est legenda, ut sci[]amus plerasque ejus virtutes oratori esse vitandas. Est enim proxima poetis, & quodammodo carmen solutum: & scri[]bitur ad narrandum, non ad probandum: totumq; opus non ad actum rei pugnamq; præsentem, sed ad memoriam po[]steritatis, & ingenij famam componitur: ideoq; & verbis li[]berioribus, & remotioribus figuris narrandi tædium euitat. Itaq; ut dixi, neque illa Salustiana brevitas, qua nihil apud aures vacuas atq; eruditas potest esse perfectius, apud occu[]patū varijs cogitationibus judicē, & sæpius in eruditū, cap[]tanda nobis est: neque illa Livij lactea ubertas satis docebit eum qui non speciem expositionis, sed fidem quærit. Adde quod Marcus Tullius ne Thucydidē quidē aut Xenophon[]tē utiles oratori putat, quanquā illū bellicum canere, hujus ore Musas esse locutas existimet. Licet tamen nobis in di[]gressionibus uti vel historico nonnunquā nitore, dum in ijs de quibus erit quæstio, meminerimus non athletarū toros, sed militū lacertos esse: nec versicolorē illam, qua Demetri[]us Phalereus dicebatur uti, vestem benè ad forensem pulve[]rem facere. Est & alius ex historijs usus, & is quidem maxi[]mus, sed non ad præsentem pertinens locum, ex cognitione rerū exemplorumq; quibus inprimis instructus esse debet orator, ne omnia testimonia expetat à litigatore: sed plera[]que ex vetustate diligenter sibi cognita sumat: hoc poten[]tiora, quod ea sola criminibus odij & gratiæ vacant.

5. A Philosophorum verò lectione ut essent nobis multa petenda, vitio factum est Oratorū, qui quidem illis optima sui operis parte cesserunt. Nam & de justis, honestis, utili[]bus, quæque sunt his contraria, & de rebus divinis maximè

dicunt,

ticant, & argumentantur acriter: & altercationibus, atque interrogationibus oratorem futurũ optimè Socratici præparant. Sed his quoque adhibendum est simile judicium, ut etiam cum in rebus versemur ijsdem, non tamen eandẽ esse conditionem sciamus litium ac disputationum, fori & auditorii, præceptorum & periculorum. Credo exacturos plerosque, cum tantum esse utilitatis in legendo judicemus, ut id quoque adjungamus operi, qui sint legendi, quæ in quoque autore præcipua virtus. Sed persequi singulos, infiniti fuerit operis. Quippe cum Bruto M. Tullius tot millibus versuum de Romanis tantum oratoribus loquatur, & tamẽ de omnibus ætatis suæ, quibuscum vivebat, exceptis Cæsare atque Marcello, silentium egerit: quis erit modus si & illos, & qui postea fuerunt. & Græcos omnes, & Philosophos, & Poetas persequi velim? Fuerit igitur brevitas illa tutissima, quæ est apud Livium in epistola ad filium scripta: legendos Demosthenem atque Ciceronem; tum ita ut quisque esset Demostheni & Ciceroni simillimus. Non est tamen dissimulanda nostri quoque judicii summa. Paucos enim vel potius nullum, ex ijs qui vetustatem pertulerunt, existimo posse reperiri, qui judicium adhibentibus non allaturus sit utilitatis aliquid: cum se Cicero ab illis quoque vetustissimis autoribus, ingeniosis quidem, sed arte carentibus, plurimum fateatur adiutum. Nec multò aliter de novis sentio. Quotus enim quisque inveniri tam demens potest, qui ne minima quidem alicuius certè fiducia partis, memoriam posteritatis speraverit? qui si quis est, intra primos statim deprehendetur, & citiùs nos dimittet, quam ut eius nobis magno temporis detrimento constet experimentum.

---

§. III.

Qui ex Græcis Latinisque autores præ ceteris emineant?

Quintil. ibid.

Hæc cum universè Quintilianus tradidisset, & pro ingeniorum diversitate alios alijs placere scriptores docuisset, suum, priusquam Romanos commemoraret, de Græcis judicium pronuntiat, ac Poetarum quidem principem in Heroicis versibus Homerum, in

pastorali Musa Theocritum in Ecloga Callymachum, in Lyricis Pindarum, in Comicis Aristophanem in Tragicis Sophoclem atque Euripidem, illum sublimiorem hunc ad motum magis idoneum statuit. Historicorum diversa, *ait*, virtus laudem pene est parem consecuta. Densus & brevis, & semper instans sibi Thucydides: dulcis, & candidus, & fusus Herodotus, ille concitatis; hic remissis affectibus melior: ille concionibus, hic sermonibus: ille vi, hic voluptate &c. *Verbis Quintiliani pergam.*

Sequitur Oratorum ingens manus, cum decem simul Athenis ætas una tulerit quorum longè Principes Demosthenes ac penè orandi lex fuit, tanta vis in eo, tam densa omnia, ita quibusdam nervis intẽta sunt, tam nihil ociosum, is dicendi modus, ut nec quid desit in eo, nec quod redũdet, invenias. Plenior Æschines, & magis fusus, & grandiori similis, quò minus strictus est, carnis tamen plus habet, lacertorum minus. Dulcis inprimis, & acutus Hyperides: sed minoribus causis, ut non dixerim utilior, magis par. His ætate Lysias major, subtilis atque elegans, & quo nihil, si oratori sit satis docere, quæras perfectius, nihil enim est inane, nihil arcessitum: puro tamen fonti quà magno flumini propior. Isocrates in diverso genere dicendi nitidus, & cõptus, & palæstræ quàm pugnæ magis accommodatus, omnes dicendi veneres sectatus est: nec immerito: auditorijs enim se non judicijs cõpararat: in inventione facilis, honesti studiosus: in compositione adeo diligens, ut cura ejus reprehendatur. Neque ego in his, de quibus sum locutus, has solas virtutes: sed has præcipuas puto: nec ceteros parum fuisse magnos. Quin etiam Phalereum illum Demetrium (quanquam is primus inclinasse eloquentiam dicitur) multum ingenij habuisse, & facundiæ fateor, vel ob hoc memoria dignum, quòd ultimus est ferè ex Atticis qui dici possit orator: quem tamen in illo medio genere dicendi præfert omnibus Cicero. Philosophorum (ex quibus plurimũ se traxisse eloquentiæ M. Tullius confitetur,) quis dubitet Platonem esse præcipuum, sive acumine differendi, sive eloquendi facultate divina quadam & Homerica? multum enim supra prosam Orationem, & quam pedestrem Græci vocant, surgit: ut mihi non hominis igenio, sed quodam Delphico videatur oraculo instinctus. Quid ego commemorem Xenophontis iucunditatem illam inaffectatam, sed

quam

quam nulla possit affectatio consequi? ut ipsæ finxisse sermonem Gratiæ videantur. & quod de Pericle veteris comœdiæ testimonium est, in hunc transferri justissimè possit, in labris ejus sedisse quandam persuadendi Deam. Quid reliquorum Socraticorum elegantiam? quid Aristotelem? quem dubito scientia rerum, an scriptorum copia, an eloquendi suavitate, an inventionum acumine, an varietate operum, clariorem putem. Nam in Theophrasto tam est eloquendi nitor ille divinus, ut ex eo nomen quoque traxisse dicatur. Minus indulsère eloquentiæ Stoici veteres: sed cum honesta suaserunt, tum in colligendo probandoque quæ instituerant, plurimum valuerunt: rebus tamen acuti magis, quam (id quod sanè non affectarunt,) oratione magnifici.

2. Idem per Romanos quoque autores ordo ducendus est. Itaque ut apud illos Homerus, sic apud nos Virgilius auspicatissimum dederit exordium, omnium ejus generis poetarum Græcorum nostrorumque illi haud dubiè proximus. Utar enim verbis ijsdem, quæ ex Afro Domitio iuvenis accepi: qui mihi interroganti, quẽ Homero crederet maximè accedere, secundus inquit, est Virgilius, propior tamen primo quam tertio. Et hercle ut illi naturæ cœlesti atque immortali cesserimus, ita curæ & diligentiæ, vel ideò in hoc plus est, quod ei fuit magis laborandum: & quantò eminentioribus vincimur, fortasse æqualitate pensamus. Ceteri omnes longè sequentur. Nam Macer & Lucretius legendi quidem, sed non ut phrasin, id est, corpus eloquentię faciant: elegantes in sua quisque materia, sed alter humilis, alter difficilis. Attacinus Varro in iis per quæ nomen est assecutus, interpres operis alieni, non spernendus quidem, verum ad augendam facultatem dicendi parum locuples. Ennium sicut sacros vetustate lucos adoremus, in quibus grandia & antiqua robora jam non tantam habent speciem, quantam religionem. Propiores alij, atq; ad hanc phrasin de qua loquimur magis utiles. Lasciuus in Heroicis quoq; Ovidius, & nimium amator ingenij sui, laudandus tamen in partibus. Cornelius autem Severus, etiamsi versificator, quam poeta melior, si tamen, ut est dictum, ad exemplar primi libri bellum Siculum perscripsisset, vẽdicaret sibi jure secundum locum. Sed cum consummari mors immatura

tura non passa est: puerilia tamen ejus opera & maximam indolem ostendunt,& mirabilem præcipuè in ætate illa recti generis voluntatem. Multum in Valerio Flacco nuper amisimus. Vehemens ac poeticum ingenium Saleij fuit, nec ipsum senectute maturum. Rabirius ac Pedo non indigni cognitione, si vacet. Lucanus ardens, & concitatus, & sententijs clarissimus, &, ut dicam quod sentio, magis oratoribus quam Poetis annumerandus.

Elegia Græcos quoque provocamus: cujus mihi tersus atque elegans maximè videtur author Tibullus, sunt qui Propertium malint. Ovidius utroque lascivior: sicut durior Gallus. Satyra quidem tota nostra, in qua primus insignem laudem adeptus Lucilius, qui quosdam sibi deditos adhuc habet amatores, ut eam non eiusdem modo operis authoribus, sed omnibus poetis præferri non dubitent. Ego quantum ab illis,tantum ab Horatio dissentio; qui Lucilium fluere lutulentum, & esse aliquid quod tollere possis,putat. Nam & eruditio in eo mira, & libertas,atque inde acerbitas,& abunde salis. Multò est tersior,ac purus magis Horatius, & ad notandos hominum mores præcipuus. Multum & veræ gloriæ, quamvis uno libro, Persius meruit. Sunt clari hodieque & qui olim nominabuntur. Alterum illud est,& prius Satyræ genus,quod non sola carminum varietate mistum condidit Terentius Varro, vir Romanorum eruditissimus. Plurimos hic libros & doctissimos composuit,peritissimus latinæ linguæ, & omnis antiquitatis, & rerum Græcarum nostrarumque; plus tamen scientiæ collaturus, quàm eloquentiæ.

Iambus non sanè à Romanis celebratus est, ut primum opus,à quibusdam interpositus: cujus acerbitas in Catullo, Bibaculo, Horatio; quanquam illi Epodos intervenire reperiatur A Lyricorum idem Horatius ferè solus legi dignus. Nam & insurgit aliquando & plenus est jucunditatis, & gratiæ,& varijs figuris, & verbis felicissimè audax. Si quem adjicere velis, is erit Cæsius Bassus, quem nuper vidimus; Sed eum longè præcedunt ingenia viventium. Tragœdiæ scriptores Accius atque Pacuuius clarissimi, gravitate sententiarum, verborum pondere, & authoritate personarum. Ceterum nitor, & summa excolendis operibus manus,magis videri potest temporib' quam ipsis defuisse, virium tamen Accio plus tribuitur: Pacuuium videri do-

diorem, qui esse docti affectant, volunt. Iam Varij Thyestes cuilibet Græcorum comparari potest. Ovidij Medea videtur mihi ostendere, quantum vir ille præstare potuerit, si ingenio suo temperare, quam indulgere maluisset. Eorum quos viderim longè Princeps Pomponius secundus: quem senes parum Tragicum putabant, eruditione ac nitore præstare confitebantur. In Comœdia maxime claudicamus: licet Varro dicat Musas, Ælij Stolonis sententia, Plautino sermone locuturas fuisse, si latinè loqui vellet: licet Cæcilium veteres laudibus ferant: licet Terentij scripta ad Scipionem Africanum referantur: quæ tamen sunt in hoc genere elegantissima, & plus adhuc habitura gratiæ, si intra versus trimetros stetissent. Vix levem consequimur umbram, adeò ut mihi sermo ipse Romanus non recipere videatur illam solis concessam Atticis Venerem, quandò eam ne Græci quidem in alio genere linguæ obtinuerint. Togatis excellit Afranius, utinamque non inquinasset argumenta puerorum fœdis amoribus, mores suos fassus.

3. At historia non cesserit Græcis, nec opponere Thucydidi Salusthium verear: nec indignetur sibi Herodotus æquari T. Livium, cùm in narrando miræ jucunditatis, clarissimique candoris, tum in concionibus suprà quā enarrari potest eloquentem: ita dicuntur omnia cùm rebus tum personis accomodata: sed affectus quidem, præcipuè eos, qui sunt dulciores, ut parcissimè dicam, nemo historicorum commendavit magis. Ideoque immortalem illam Salustij velocitatem diversis virtutibus consecutus est.

4. Oratores vero vel præcipuè latinam linguam parem facere Græcæ possunt. Nam Ciceronem cuicunque eorum fortiter opposuerim Nec ignoro quantam mihi concitem pugnam, cum præsertim id non sit propositi, ut eum Demostheni comparem hoc tempore: neque enim attinet, cum Demosthenem inprimis legendum, vel ediscendum potius putem. Quorum ègo virtutes plerasq; arbitror similes, consilium, ordinem, dividendi, pręparanda, probandi rationem, omnia deniq; quæ sunt inventionis. In eloquendo est aliqua diversitas: densior ille, hic copiosior: Ille concludit adstrictius, hic latius pugnat: ille acumine semper, hic frequenter & pondere: illi nihil detrahi potest, huic nihil adjici: curæ plus in illo, in hoc naturæ. Salibus certe & commigratione (qui hoc affectus plurimum va-

valent) vincimus. Et fortasse epilogos ille mos civitatis abstulerit; sed & nobis illa, quæ Attici mirantur, diversa latini sermonis ratio minus permiserit In epistolis quidem, quanquam sunt utriusque nulla contentio est. Cedendum verò in hoc quidem, quod ille & prior fuit, & ex magna parte Ciceronem quantus est fecit.

Nam mihi videtur M. Tullius cum se totum ad imitationem Græcorum contulisset, effinxisse vim Demosthenis, copiam Platonis, jucunditatem Isocratis. Nec verô quod in quoque optimum fuit, studio consecutus est tantùm, sed plurimas vel potius omnes ex se ipso virtutes extulit immortalis ingenij beatissima ubertate. Non enim pluvias (ut ait Pindarus) aquas colligit, sed vivo gurgite exundat, dono quodam providentiæ genitus, in quo totas vires suas eloquentia experiretur.

Nam quis docere diligentius, movere vehementius potest? cui tanta unquam jucunditas adfuit, ut ipsa illa quæ extorquet impetrare eum credas, & cum transversum vi sua judicem ferat, tamen ille non rapi videatur, sed sequi. Jam in omnibus quæ dicit, tanta autoritas inest, ut dissentire pudeat; nec advocati studium; sed testis ac judicis afferat fidem Cum interim hæc omnia, quę vix singula quisque intentissimo studio assequatur fluunt illaborata: & illa quâ nihil pulchrius auditu est, oratio, præ se fert tamen felicissimam facilitatem. Quare non immerito ab hominibus ætatis suæ regnare in judicijs dictus est: apud posteros verò id consecutus, ut Cicero jam non hominis, sed eloquentiæ nomen habeatur, Hunc igitur spectemus, hoc propositum nobis sit exemplum. Ille se profecisse sciat, cui Cicero valde palcebit.

§.6. M.

§. 6.

M. Aper Diversis temporibus diversam eloquentiæ speciem placuisse contendit, *apud Quintil. in Dialog. de Orator.*

1 *Non unum esse dicendi genus ostendit, quodque probatur ab uno, ab alio reprehendi.*
2 *Vetus dicendi ratio propter temporum & judiciorum mutationem merito variata est.*
3 *Sublata illa judiciorum ratione, floridam atque altius assurgentem orationem amant, Cæsaris aliorumque humilitas displicet.*
4 *Cicero quoque in primis suis scriptis orationibus remissior, ætate profecit.*

NOn quæro, quis disertissimus, hoc probasse contentus sum, non esse unum Eloquentiæ vultum. Sed in illis quoque quos vocatis antiquos, plures species deprehendi: nec statim deterius esse quod diversum est: vitio autem malignitatis humanæ vetera semper in laude, præsentia in fastidio esse. Num dubitamus inventos qui pro Catone Appium Cœcum magis miraretur? satis constat nec Ciceroni quidem obtrectatores defuisse, quibus inflatus & tumens, nec satis pressus, supra modum exsultans, & superfluens, & parum antiquus videretur. Legisti utique & Calvi, & Bruti, ad Ciceronem missas epistolas, ex quibus facilè est deprehendere, Calvum quidem Ciceroni visum exsanguem, attritum, Brutum autem otiosum atque disjunctum. Rursumque Ciceronem à Calvo quidem male audivisse, tanquam solutum, & enervem: à Bruto autem, ut ipsius verbis utar, tanquam fractum, atque elumbem. Si me interroges, omnes mihi videntur verum dixisse. Sed mox ad singulos veniam, nec mihi cum universis negotium est.

2. Nam quatenus antiquorum admiratores hunc velut

 ter-

terminum antiquitatis constituere solent, quem usque ad Cassium Severum faciunt, quem primum affirmant flexisse ab illa vetere, atque dicendi via directa: non infirmitate ingenij, nec inscitia literarum, transtulisse se ad id dicendi genus contendo, sed judicio, & intellectu. Vidit namque, cum conditione temporum ac diversitate aurium formam quoque ac speciem orationis esse mutandam Facile perferebat prior iste populus, ut imperitus & rudis, impeditissimarum orationum spatia: atque idipsum laudi dabatur, si dicendo quis diem eximeret. Ita verò longa principiorum præparatio, & narrationis altè repetita series, & multarum divisionum ostentatio, & mille argumentorum gradus, & quidquid aliud aridissimis Hermagoræ, & Apollodori libris præcipitur, in honore erat: & si quis odoratus philosophiam, atq; ex ea locum aliquem orationi suæ insereret, in cœlum laudibus ferebatur. Nec mirum, erant enim hæc nova & incognita: & ipsorum quoq; oratorum paucissimi, præcepta Rhetorum aut Philosophorum placita cognoveram. At herculè peruulgatis jam omnibus, cum vix in cortina quisquam assistat, qui elementis studiorum etsi non instructus, aut certè imbutus sit, novis & exquisitis eloquentiæ itineribus opus est, per quæ orator fastidium aurium effugiat, utique apud eos iudices qui vi aut potestate non jure & legibus cognoscunt, & nec accipiunt tempora, sed constituunt, nec expectandum habent oratorem, dum illi libeat de ipso negotio dicere, sed sæpe ultrò admonent, atq; alio transgredientem revocant & festinare se testantur. Quis nunc ferat oratorem de infirmitate valetudinis suæ præfantem? qualia sunt ferè principia Corvini. Quis quinq; in Verrem libros exspectaverit? Quis de exceptione & formula perpetietur illa immensa volumina, quæ pro M. Tullio aut A. Cæcina legimus? præcurrit hoc tempore judex dicentem, & nisi aut cursu argumentorum, aut colore sententiarum, aut nitore & cultu descriptionum invitatus & corruptus est, aversatur dicentem.

3. Vulgus quoque assistentium, & affluens & vagus auditor, assuevit jam exigere lætitiam & pulchritudinem orationis; nec magis perfert in judicijs tristem & impexã antiquitatẽ, quam si quis in scena Roscij aut Torpionis Ambivij exprimere gestus velit. Jam verò juvenes & in ipsa studiorum, incude positi, qui profectus sui caussa oratores sectan-

ſtantur, non ſolum audire, ſed etiã referre domum aliquid illuſtre & dignum memoriâ volunt. Traduntque invicem, ac ſæpe in colonias ac provincias ſuas ſcribunt, ſive in ſuis aliquis argutâ,& brevi ſententia effulſit,ſive locus exquiſito & poetico cultu enituit. Exigitur enim jam ab oratore etiã poeticus decor, non Attij aut Pacuuij veteros inquinatus, sed ex Horatij & Virgilij, & Lucani ſacrario prolatus. Horum igitur auribus& judicijs obtemperans noſtrorum oratorum ætas pulchrior & ornatior extitit. Neque ideo minus efficaces ſunt orationes noſtræ, quia ad aures judicantium cum voluptate perveniunt. Quid enim ſi infirmiora horum temporum templa credas,quia non rudi cœmento & informibus tegulis exſtruuntur, ſed marmore nitent, & auro radiantur? Equidem fatebor vobis ſimpliciter,me in quibusdam antiquorum vix riſum, in quibusdam autem vix ſomnum tenere. Concedamus ſanè C. Cæſari, ut propter magnitudinem cogitationum, & occupationes rerum minus eloquentia effecerit, quam divinum ejus ingenium poſtulabat:tam herculè quam Brutum philoſophiæ relinquamus. Nam in orationibus minorem eſſe famâ ſua,etiã admiratores ejus fatentur, niſi fortè quiſquam aut Cæſaris pro Decio Samnite,aut Bruti pro Deiotario Rege, ceteroſque ejuſdem lentitudinis, ac tepòris libros legit, niſi qui & carmina eorundem miratur, fecerunt enim & carmina, & in Bibliothecas retulerunt, non melius quàm Cicero,at felicius, quia illos feciſſe pauciores ſciunt. Aſinus quoque quanquam propioribus temporibus natus ſit,videtur mihi inter Menenios & Appios ſtuduiſſe. Pacuuium certè, & Attium non ſolum tragœdiis, ſed etiam orationibus ſuis expreſſit,adeò durus & ſiccus eſt. Oratio autem, ſicut corpus hominis, ea demum pulchra eſt, in qua non eminent venæ, nec oſſa numerantur: ſed temperatus ac bonus ſanguis implet membra & exſurgit toris,ipſos quoque nervos rubore tegit, & decore commendat. Nolo Corvinum inſequi,quia non per ipſum ſtetit,quo minus lætitiam nitoremque temporum exprimeret,

4. Ad Ciceronem venio, cui eadem pugna cum æqualibus ſuis fuit,quæ mihi vobiſcum eſt.Illi enim antiquos mirabantur, ipſe ſuorum temporũ eloquentiam anteponebat, nec ulla re magis ejuſdem ætatis oratores præcurrit quam judicio. Primus enim excoluit orationem, primus & verbis

dele-

delectum adhibuit,& compositioni artem.locosque lætiores attentavit, & quasdam sententias invenit: utique in his orationibus quas senior jam & juxta fine vitæ composuit, id est, postquam magis profecerat, usuque & experimentis didicerat quod optimum dicendi genus esset. Nam priores eius orationes, non carent vitiis antiquitatis. Lentus est in principiis,longus in narrationibus, otiosus circa excessus: tardè commovetur, raro incalescit: pauci sensus optimi, & cum quodam lumine terminantur. Nihil excerpere,nihil referre possis: & velut in rudi ædificio, firmus sanè paries & duraturus, sed non satis expolitus & splendens. Ego autem oratorem, sicut locupletem ac laudatum patrem familiæ, non eo tantùm volo tecto tegi,quod imbrem ac ventum arceat, sed etiam quod visum, & oculos delectet: non ea solùm instrui, supellectile quæ necessarijs usibus sufficiat; sed sit in apparatu ejus & aurum, & gemmæ sumere in manus,aspicere sæpius liceat: quædam verò procul arceantur,ut jam obliterata, & olentia: nullum sit verbum velut rubigine infectum,nulli sensus tardâ & inerti structura, in morem annalium, componantur: fugiat fœdam & insulsam scurrilitatem, variet compositionem, nec omnes clausulas uno & eodem modo terminet.

CAPUT VII.

Nationum ingeniorumque diversitas magnam ad styli & eloquentiæ diversitatem inclinationem adfert. Qui igitur cuique hominum generi potissimùm autores, ad optimum eloquii genus consequendum, legendi sint.

§. 1.

Natio, educatio, ætasque diversa diversitatem styli amat.

NOn minor sententiarum in styli delectu, quam ingeniorum humanorum varietas. Locus,tempus, natio,

educa-

educatio, consuetudo, ipsa, eodem in homine, mutata aetas, hoc mutabit judicium. Olim magni ad eloquentiam intererat Athenas nutrices sortitum esse: nec, ut quidam alii Graecorum, *Boeotum in patria, crassóq; sub aere nasci.* Et hac aetate nostras Athenas habemus, neque omnis abolita Boeotia est. Vt coelo, sic ingeniis dissidemus. *Non omnis fert omnia tellus*, Indoles Francorum laeta & facilis, profususque natalis sermo; Hispanorum contra gravis magnificusque: illos florenti, hos magis ad majestatem elato scribendi dicendique genere oblectabit. Circumspectius Italorum ingenium, Germanorum moderatius, quandā styli mediocritatem praeferet; quo neque exundanti verborum apparatu affluant, neque superbo efferantur. Ipsa adeo Germania, ut nativo sermonis genio inde mollius inflectitur, hinc cunctantius graviusque assurgit, ita illum Romanae eloquentiae characterem praeferet, qui à patrio minimū deflexerit. Quare si Belgarum inter se Bojorumq; eloquentissimos conferas, quantum discrimen! Illis facilis, amoena, limpida, tanquam rivus in pratis, manat oratio; his ardua & circumducta, nunc abrupta, nunc elata, nunc rursum praeceps, velut torrens inter montes, voluitur: illi mella & bellaria apponunt Attica; hi durioribus nos cibis pascunt: illi citharas tangunt, hi tubam inflant: illic in pace deliciari, hic belligerare Musas existimes. Ceteri Germanorum, ut linguae vernaculae, ita & Romanae usum temperata quadam mediocritate inflectunt, faciliusque illud quod in medio est decorum assequuntur. Quis igitur unum solumque his omnibus genus dicendi optimum esse persuaserit, nisi ante plerique senserint, ab hoc se quod potissimum est, vel natura, vel arte deflectere?

Ipsa educatio quid non faciet? Des alteri Tullium, alteri instructorem Tacitum; ille Quinctilianos, hic Sidonios formabit. Neutri neutris placituri sunt. Sibi quisque videbitur Suadelae proximus. Quibus olim palatum cibis innutriveris, hi diu sapient: peregrinis tardius assuefeceris. Deinde ubi semel corruptae familiariter eloquentiae adhaeseris, nulla aurium animique offensione eadem excipies. Vt qui molarum malleorumve strepitum didicerunt ferre, facile tolerant; quod recens admotis solet esse gravissimum. Sic illi cui Persius, cui Tacitus, cui Ennadius, cui Sidonius, aliique id genus scriptores sine nausea volvuntur, minus

minus Tullius Cæsar, Æmilius Probus aliique placituri sunt.

Rursum ipsa in nobis ætatum discrimina orationis sæpe habitum affectumque cum natura inclinant, & qui bullienti juvenilibus in venis sanguine lætum, incisum, exultansque, aut poetico tumore elatum dicendi genus admirati sunt, moderato per ætatem sanguine spirituque, magis circumducto compositoque ad Tullianam gravitatem stylo delectantur. Quod doctissimis etiam viris evenisse comperimus, unum si exceperis Lipsium maturo jam in ævo à Ciceronis moderatione ad exultantem levitatem flexo, seni haud absimilis, qui post sparsam toto vultu canitiem, nigricantibus rursum barbæ capitisque pilis iuvenili incipit colore insolescere. Sed de stylo cum ætate inclinato loquor. Paulus Manutius de se in Epist. ad Vidum Fabrum non obscurè fatetur. *Ego à Bunello*, ait, *maximum habebam beneficium, quod me cum Politianis, & Erasmis nescio quibus, miserè errantem in hanc rectè scribendi, Ciceronis more, viam primus induxerat.* Quin & Erasmus denique receptui cecinit, postquam Dialogum in Ciceronis imitatores rudi Minerva malè procudisset. Ita enim in Tuscul. qq. prooemio ad Ioan. Vlattenum, ait: *Mihi puero minus arridebat Cicero, quàm Seneca, jamque natus eram annos viginti, priusquam ferrem diutinam ejus lectionem, cum ceteri penè omnes placerent. An ætatis progressu profecerim nescio. Certè nunquam mihi magis placuit Cicero, tum cum adamarem illa studia, quàm nunc placuit seni, non tantum ob divinam quandam orationis felicitatem, verum etiam ob pectoris eruditi sanctimoniam. Profectò meum afflavit animum, meque mihi reddidit meliorem. Itaque non dubitem hortari juventutem, ut in hujus libris evolvendis, atque etiam ediscendis bonas horas collocent potius, quam rixosis in & pugnacibus libellis, quibus nunc undique scatent omnia.*

Sed & ipsa temperamenti humani diversitas, ut affectuũ, sic orationis stylique post se diversitatem trahit. Tardior graviorque melancholia dominante eluctatur sermo; pituita gravante humilis vilisque fluit; sanguine bulliente lætus florensque spargitur; bile inflammante audax præcepsque fertur. Qualis natura, talis oratio; nisi ars illius modera-

moderatrix, vim huic gratiamque tribuerit. Melitidæ, qui ſupra quinque numerando complecti non poterat, fruſtra Senecam compares duo nominum milliaſemel audita memoria colligentem: nihil ad Mithridatem Regem viginti & duarum gentium linguis loquentem Calviſius attulerit, nec Priami quidem atque Vlyſſis nomina ſatis aſſecutus.

§. 2.

Diverſa ſcribendi genera ſtylum amant diverſum?

Iam verò ſi ad ipſam Romani ſermonis naturam conſiderandum vertamur, tum diverſa illius genera, tum ſingulorum etiam generum indolem virtutemque deprehendemus diverſam, quodque alteri vertitur laudi, vitio eſſe alteri. Quis enim neſciat alias vinctæ, alias ſolutæ orationis leges eſſe, nonnunquam ita pugnantes, ut quod uni adſtruunt, uſurpatæ in altero deſtruant. Neque ſolis in numeris vis eſt, nam etſi Virgilium ab illis numerorum vinculis inſolutæ orationis libertate aſſeras, multa tamen inveneris Rhetori devitanda: & ſi contra Tullij verba Poetarum nexibus illiges, nihil hac attuleris eloquentia dignum.

Neque his tantum formis utraque à ſe invicem diſcedit oratio, in alia quoque diſcrimina ſolvitur. Nam, ut poeta Elegiacus ab Heroico, uterque à Satyrico Lyricoque, & hi rurſum inter ſe non una divelluntur ſpecie, ita ſolutæ orationis vultus cultuſque, alius in epiſtolis, alius in hiſtoria, alius in panegyri; alius in curia & foro; alius in permovendis animis; alius in morum diſciplinarumque formatione eſt. Atque ut Elegiacum reperias, qui vel Maronis, vel Horatiani plectri gravitatem non aſſequatur; Cothurnatum, qui in ſocco imperitè ambulet; ita & offendas facili per epiſtolas ſermone influentem; qui vim Oratoris nunquam attingat, Rhetorem etiam, qui hiſtorici perſonam minus apte gerat. Imò erit qui Atticam Ciceronis brevitatem non exprimat, familiarem illi ſtylum ſimilem ducat. Sicut in ſcena erunt qui petauriſtarum ſaltum audeant, & pyrrhicham ignorent. Et ſanè alius ſatyram, alius comœdiam, tragœdiam alius ſaltationum modus decet. Pantomimus rarus ſit, qui omnium perſonam actuſque repræſentet, quique quod in vetuſto epigrammate eſt:

Pugnat, ludit, amat, bacchatur, vertitur, adstat.
Illustrat verum, cuncta decore replet.

Vbi talem nobis formaveris eloquentem, qualem Cassiodorus lib. 4. Ep. ult. describit Pantomimum, rem feceris admiratione dignam. *Cum primum,* ait *in scenam plausibus invitatis advenerit, adsistunt consoni chori diversis organis eruditi, tum illa sensuum manus, oculis canorum carmen exponit, & per signa composita, quasi quibusdam literis edocet intuentis aspectum, in illa leguntur apices rerum, & non scribendo docet, quod scriptura declaravit. Idem corpus Herculem designat & Venerem, feminam repræsentat & marem, regem facit & militem, senem reddit & iuvenem, in uno credo esse multos vana imitatione discretos.* Talem Rhetoricis ad apicem disciplinis eruditum, magis voto, quàm exspectatione prensamus. Quod si quisquam tamen in soluta oratione unquam fuerit, fuit Cicero, quo uno nemo propius omnia est assecutus, nemo præceptis juxta styloque expressit verius.

Sunt tamen & suæ aliis scribendi dotes, quibus vel Tullio suppares, vel majores etiam quandoque eminent, sed in partibus; nemini universè tam incorrupta eloquentiæ integritas possessioque contigit Expendemus hæc pressius, ubi antè de styli & materiæ distinctione admonuero observanda, quæ supra tradidimus.

§. 3.

Qui in stylo familiari Principes legendi sint.

In tenui igitur stylo & familiari loquendi scribendique materia, Cicero absque controversia principatum obtinet, isque ante omnes volvendus est. Donec purum perspicuumque ex illo sermonem hauseris.

Cum tamen ad nervosè loquendi aspiras facultatem, quam hic idem character ambit, non solum ejusdem Tullii ad Atticum epistolas, sed & Plinii Iunioris tibi inprimis suaserim. Vtraque enim hic virtute pollet, aliquantò Cicerone grandior, acutiorque, imò & apertior; cum ut ille verba non premat, & ænigmatum umbras luci confundat Nihil etiam voluit inquinari sermonis, tutò cum eodem locu-

locuturus es: superaturus quandoque etiam, ubi nonnullam eius duritiem numeris Tullianis molliveris, & suavissimum intuleris particularum usum. Illud tamen juxta tenendum; non eundem ubique aut Ciceronem in epistolis esse, aut Plinium. Ille ad Atticum vulgari sermone quidem non vulgariter tamen utitur. sæpe amputat, & tacens plura, quàm scribens loquitur.

In familiaribus etiam, cum rebus, sæpe grandescit, & tenuitatem supergreditur; præsertim, ubi longioribus epistolis, aut fortunam temporum adumbrat, aut disciplinam moresque instituit. Quales aliquæ sunt ad Consules & Quintum fratrem. Plinius verò qui sæpe nervoso concisoque stylo fertur, nonnunquam & insurgit elatius, ut lib. 8. Ep. 17. ad Marcinum, & fertur circumscriptius ut lib. 9. Ep. 19. & floridius spargitur. ut lib. 1. Ep. 20. ad Tacitum.

Hæc de Epistolographis, quos si Neotericorum lectione (non magnopere nisi jam firmatis stylo viribus, suadenda) misceri cupias, Bembus, Sadoletus, Manutius, Muretus epistolas dabunt, ad ingenium Ciceronis formatas: quanquam succus idem sanguisque non vegetet.

In Epistolis quoque & Dialogis esset, quem suaderem, Terentius, quo nemo purius exquisitiusque locutus est, nisi innocentiæ adolescentum magis, quàm eloquentiæ faverem. Utinam esset, qui his sordibus expurgatum, scitéque ad res honestiores, inflexum signatis quæ antiquitate obsoleverunt, publici juris usúsque in scholis faceret. Operam Musis & Gratijs dignam collocaret. Me inclinata jam ætas munerisque ratio ad alias cogitationes inflectunt. Sed nec unquam mihi tantum indulgere volui, ut illic ubi prorsus depuduit, legerem.

§. IV.

Qui in historia cuique præcipuè sint volvendi.

In historia illis quibus durior graviorque natalis sermo est, ut Germanis superioribus, Bavaris, Hispanisque ante reliquos Iulium Cæsarem suasero, ut tenuem illius orationis vim habitumque prius induant, quam alio ornatu vestiantur. Quod si qui tamen ex his Attici strictique magis

esse cupiant Æmilium Probum (alij Cornelium Nepotem dicunt) illis dedero, cujus limata quidem, at non longè accersita dictio, egregium cum elegantia vulgati sermonis candorem junxit, ut puri fontis instar ad fundum inoffensa cogitatione penetretur. Gallos ceterosq; profusa oratione luxuriantes à T. Livio temperare, atque ad C. Salustium Crispum applicare animum jusserim. Frangendus enim ille principio est impetus, qui licet faveat eruditioni, simul ad vitia seducit, & naturam firmat, haud facilè deinde ad diversa inclinandam. Plantarum naturam arte corriges dum teneræ sunt, sed ætate duratas, citius franges, quàm inflectas. Certè Livius par exundanti per sicca Nilo sterilitatem multorum irrigabit lactea ubertate & effusa fandi copia; Salustius gravia mœnaque brevitate constringet solutì nimium styli luxuriem. Germanis Belgis Italisque nihil Q. Curtio aptius repererim, imò ad hunc si proximè se cujusvis nationis ingenia aptaverint consultissimum hoc fortassis cuique studium futurum est tum verò deinde, ut se quisque comparatum senserit, in alterum licebit autorem adjungere, qui super Curtium turgidius sese efferri senserit, Cæsarem adeat: qui sterilius ferri, Livium consulat: qui circumscriptius evagari, per Salustium se adstringat: qui humilius repere, per Lucilium Florum, sed evitatis illius offensionibus, se nonnihil extollat: qui denique in sententijs ethicis politicisque (ut Curtius est) sterilem esse, Cornelium Tacitum, & Velleium Paterculum, sed rursum cautè, verset. Postremò, qui vim sibi argutam in disserendo nonnunquam deesse senserit, Annæum Senecam Rhetorem, suis in controversiis adeat, Valerio etiam Maximo circumspectè utatur, experietur oleum huic studio operamque rectè collocatam.

Vniversè si me interroges; quid jubeam vitare? In velleio, inquam, obscurus quandoque circuitus, quandoque sermo abruptus; in Floro audacia poetica; in Tacito dura, ac prærupta obscuritas; in Seneca Rhetore vibrati inter tenebras aculei: in Valerio, alibi nimium affectata, alibi neglecta oratio displicet. Hæc si vitaveris prudenter, utiliterque sequeris. Quod si deinde quæsieris: quem reliquis præferam? super Curtium nullum habeo, qui majestatem historiæ pari styli dignitate exæquet. De quo Lipsius *Probus*, inquit, *me judice, legitimusque historicus si quisquam fuit,*

fuit. Mira in sermone ejus facilitas, in narrationibus lepos. Adstrictus idem & profluens, subtilis & clarus sine ulla cura accuratus: Verus in judiciis, argutus in sententiis: in orationibus, supra quam dixerim, facundus. Iustinus Trogi compendiator legi præter hos sine noxa poterit: nam ut magnis virtutibus non abundat, ita nec vitiis. Suetonius rerum novitate, quam styli elegantia lectorem magis occupabit, & infimet. Hæc pauca de veterum te historicis monuisse sufficerit.

Quod si tamen historiæ recentioris cognitionem ad eloquentiæ studium adjungere decreveris, habes Ioan. Petr. Maffeium Indicæ historiæ scriptorem cultissimum, qui pura candidaque ac Romano digna nomine Oratione fluit: habes & Famianum Stradam præter Curtianam venustatem, summa prudentia mores informantem, partesq; ab solerti historici penè omnes assecutũ; habes deniq; Horatium Tursellinum eleganti nervosaque scriptione veteris novæq; historiæ synopsin complexum. Quos si stylum spectes jure cum priscis scriptoribus comparaveris, si leges Historico servandas, Famianum multis etiam prætuleris. Maffeius candore, Tursellinus etiam nervo, Famianus utrisque dotibus clarus est, sed magis temperatis. Primus fluit, alter graditur, tertius insistit: omnes & sermone delectant, & rebus erudiunt. Sed de historicorum lectione infra agendum disertius, ubi de historia seorsum differemus.

Quod si his affinem materiam tractare lubeat, si in moribus, vel artium disciplina instituere, nihil post Ciceronem Quintiliano disertius, nervosius, exquisitiusque habiturus es, ad quorum numeros stylumque si quando Senecæ Philosophi hiulcam cespitantemque dictionem aptaveris, rem pulcherrimam dignè exornaveris. In re Medica alterum Ciceronem habebis Cornelium Celsum, eloquentia hic potius, quàm arte principem. In juris scientia Digestum vetus, quod Pandectarum etiam nomine celebre est, Vlpianos, Paulos, Papinianos aliosque exhibet novos omnes in curia Tullios, singulari proprietate ac nitore, legum scita formulasque prosecutos. In re denique agresti Columella facilè eloquendi princeps est. Rerum naturalium Plinius Major, quanquam obscurior nonnunquam, elatiorque, tamen scriptor est absolutissimus.

§. I.

Qui in mediocri dicendi genere versandi.

In medio verò dicendi genere non tanta à veteribus ad nos scriptorum copia promanavit. Solus in eo Cicero, & multitudine, & varietate scribendi antevertit ceteros, ac minus quidem circumscriptis periodis in Tusculanis quæstionibus, paradoxis, & aliis quibusdam Philosophis discursibus hoc genus tractavit, magis verò eloquenter in orationibus pro lege Manilia, & Pompeio, Marcello, Deiotaro Rege & Archia Poeta. Maximus verò Tyrius Platonicus & Isocrates ex Græcis hoc eodem in genere disertissimè versati sunt, digni qui omnium ad eloquentiam adspirantium manibus versentur. Quanquam & ipsius Demosthenis hic potissimum eloquentia luxuriet, magisque ad ornatum, quàm affectum legentem erudiat.

Recentium uberior scriptorum messis est, quæ depulsa jam foro eloquentia in Academiis provenit. Admiranda hic Perpiniani facilitas & exundantis styli luxuries, maturiori solum judicio castiganda: minor, sed circumspectior Mureti copia, utraque Ciceronis indolem flexa.

His Bembum, Stephonium, Bencium, Petaviumque rectè junxeris, ab hac linea haud procul deflectetes: nisi quod primus tertiusque cum Tulliano nitore quandoque languidior, alter nonnunquam in translationibus audacior, quamvis in descriptionibus cum profusióne morosior. Quod si assurgere fortassis dicendo lubeat; poetica quadam libertate sese effert Causinus, Cellotius etiam effundit, non ingrata legentibus copia, ideoque ille nimium remissis; hic verò inprimis sterilibus voluendus est. Noverit tamen in hoc luxum, in illo granditatem moderari.

Siquid politicis rationibus excutiendum sit, stylo justa ac scribendi argumento Adamus Conzen, arguta brevitate, sententiarumque pondere viam munit. Vbi Philosophicis etiam disceptationibus laudare visum fuerit, non ineptum Sophistam Daniel Heinsius suis in orationibus adumbravit. Scaligerorum quoque oratio soluta, quàm ligata floridior. In hac docuerunt, censorem, quàm imitatorem bonorum facilius reperiri: in ista, Orationem liberam

citius

citius arte ad comptam aliquam venustatem, quàm Poema formari posse, si natura obluctetur. Est & Belgarum eruditus, utriusque styli, nitor, quo Imaginem primi seculi Societatis JESU adumbrarunt. Claram, sua more, modesteque pictam elegantiam sequuntur.

§. 6.

Qui in eodem scribendi genere elatiores videndi.

Offert sese in hoc genere & alia quædam, eaque gemina scriptionis species, hac magis ætate, quàm aureo Ciceronis seculo culta, altera poeticis figmentis pigmentisque ornata, grandi quadem elataqua majestate assurgit: altera vibrantibus argutisque librata sententiis epigrammatico quodam acumine, velut inexspectatis ubique clausulis suspendere primùm, ac denique ferire animum gestit. Ad delicias ferè utraque hæc dictio comparata, doctarum aurium voluptati, modò ad instructionem modò etiam ad laudem reprehensionem ve aliorum, his veluti condimentis gustui aptandam servit. Ad Principum igitur virorum honorem, atque ad hostium etiam contumeliam hic stylus frequenter vertitur. Alibi se enim magnificè extollit; alibi figit acutè. Hic ferit; illic blanditur: hic infligit, illic demulcet vulnera, blandum atroxque; apis instar, mel gerit & aculeum. Non tamen facilè confundendum est (ut faciunt nonnulli) grande illud, & hoc acutum; ne gemina laboret obscuritate, & oratio nascatur ænigmatica. Quidquid gravatè cunctanterque assequimur, placere non potest eruditis. Nolunt illi cum imperitis & pueris sola admiratione pasci. Granditas in loco eminenti, subtilitas in luce exponenda est, illic & videntur, & placent. Flore verò Orationis ita vestiantur, ut vultu non lateant; sed tamen ornentur: alias genus hoc acutum in tenui charactere, sede ipsi propria, subsidet. In grandiori illo scribendi genere optima moderatione, verum turpissimo scriptionis argumento versatus est Petronius Arbiter in suo Satyrico; qui in eodem cum suo autore rogo flagrare debuit, non alia luce dignior, Hunc tamen Ioannes Barclaius in sua Argenide si non vincere, certè æquare superiori ætate visus est; sed & in gymnasticis suis de stylo exercitationibus Famianus Strade, &

Vincentius Guinisius, ille in Prolusionibus (sic librum inscribit) hic Allocutionibus eodem dictionis lenocinio usi sunt, mihique idem quamvis temperatum, placuit, in Anno seculari Societatis nostræ, in quo ver æstatem que, præcipitante licet calamo, adumbravi. Bidermanni Vtopia in eodem charactere mitior, Bisselij Icaria dutior, Erycii Puteani Comus succinctior. Plerique unius Argenidis gratia vincuntur, dum affectata, vel raritate, vel majestate vincere laborant. Alterum illud scribendi genus, quod acumine sententiisque ludit, olim in libris controversiarum Seneca Rhetor illustravit; at siccè nimium, ac sine floribus, ideoque sæpe à tenui vix charactere assurgit.

Hæc ætate alii eodem delectantur, sed infelici Minerva plures, illi præsertim, qui Romæ ad illam subtilitatem conati sunt majestatem elatæ orationis conjungere. Felicissimè Emanuel Thesaurus assecutus videtur suis inscriptionibus, Masculus eodem grandior copiosiorque, in multis non contemnendus. At delectum in utrisque haberi cupiam, & in soluta oratione minus densè has argutias usurpari. Puteani Laconismus & Thyrsi Philotesii vim illis nervumque adderent; illi Puteano acumen. Ego singulari libello Argutiarum ad hanc scriptionem adspirantibus fontes plures, pro copia facilitateque aperui, infra etiam pro oratione soluta nonulla adjecturus.

§ 7.

Qui in sublimi & incitato orationis genere evolvendi sint.

In materiâ orationis sublimi solus propemodum inter profanos scriptores regnat Tullius. Quare alium hic nullum præscribo: nisi fortè inter Græcos Chrysostomus placeat, qui & in isto affectum regno dominatur. Ceterum ubi mitiores doceri motus volueris, Tulii defensiones; ubi vehementiores, accusationes & invectivas consulas, nihil utrobique humile molitur, præsertim cum perorando in omni genere amplificationum exardescit, Animadvertes illum attroces, tristesque, ac lamentabiles rerum imagines oculis objicere: quorundam calamitates aliorum improbitatem describendo, exaggerandoque producere: execrando,

lo, deplorandoque miscere omnia: nunc ad homines præsentes confugere; nunc absentium, demortuorumque clara implorare nomina; ad ipsa denique, tanquam homines deficerent, saxa ferasque ad aras & sacra, ad Deorum etiam obtestationem converti: tanto illic quoque, ubi viva deficit vox, scribendi impetu, ut qui cum sensu legerit, sine sensu sit, nisi percellatur. Hæc propius intelliges, cum suo loco exemplis atque imitatione fuerimus prosecuti. Ceterum frustra in hoc genere excellere conabitur, quisquis priores dicendi characteres neglexerit. Ad hanc eloquentiæ arcem non nisi per gradus enitimur, ab inferioribus ad supremos est transitus; per saltum nemo assequetur.

Hæc aliaque quisquis plenius ex optimis præceptoribus haurire voluerit, ille, post Rhetoricam Aristotelis, Oratorias Ciceronis præceptiones voluat, Brutum præsertim & de Oratore librum tertium, cum notis Strebæi commentatoris elegantissimi. Quintilianum deniq; disertissimè instituentem. Quod si his Ludovicum Carbonem, Iacobum Omphalium, sive etiam Methodum eloquentiæ Calcagnini, Melchioris Iunii, Voelli artificium, ac tres præcipuè Caussinum, Vossium, Palatiumque eloquentiæ Gallorum addere placuerit, magna offerentur ad eloquentiam præsidia, quam Veterum ac Ciceronis imprimis exemplis locupletarunt.

De Poetarum lectione, qui ad hanc, qualesque deligendi sint, hic non ago, cum in Palæstra Eloquentiæ ligatæ hæc abundè præstiterim.

CAPVT VIII.

De imitatione post lectionem adhibenda.

QVoniam lectioni succedit imitatio, in quæ præcipuum studiorum momentum, omnes docti collocant, & de illa nobis agendum est. Multa in una eminent eloquentia, quæ natura nulli suppeditat; artis cultura opus est, quæ solis præceptionibus non circumscribitur. Iungenda manus operi est, penicillus sumendus, proponendum exemplar.

Quod verò potissimum, quidque in illo studio cavendum, quid maximè sequendum, malo ante disertissimorum virorum judicio discuti, quam mea unius sententia definiri. Sunt qui multos, sunt qui unum Ciceronem imitanti spectandum existiment. Quintilianus illis favet; his suavissimus hujus seculi scriptor & fortissimus Martyr Edmundus Campianus. Vtrumque de eloquentia eloquenter disserentem audiamus. Claudam in Paulo Cortesio, qui Tulliana facundia Tullium imitandum suasit.

§. I.

Quintilian. lib. 10. c. II.

1. *Imitationem eloquentiæ studioso utilem esse tradit.*
2. *Per se tamen ad perfectionem negat esse necessariam, quod primi eloquentes sine duce fuerint, & suopte multa ingenio repererint.*
3. *Negat spem nobis præcisam supra veteres proficiendi, cum & sua his non desint vitia, & nobis contendendum sit, ut etiam antecedamus.*
4. *Cavendum ne malos imitemur, aut vitia (quod pronum est) pro virtutibus.*

5. Quæ

5. *Quaedam, ob naturam repugnantem nobis inimitabilia, levius pertractabimus.*
6. *Cuique scribendi generi suam esse indolem, observandum est, ne uno omnia colore ducamus.*
7. *Non igitur suadendum, ut uni se quisquam Demostheni, aut Ciceroni addicat.*

EX his ceterisque lectione dignis autoribus & verborum sumenda copia est, & varietas figurarum, & componendi ratio: tum ad exemplum virtutum omnium mens dirigenda. Neque enim dubitari potest, quin artis pars magna contineatur imitatione. Nam ut invenire primum fuit, estque praecipuum, sic ea quae bene inventa sunt, utile sequi. Atque omnis vitae ratio sic constat, ut quae probamus in aliis facere ipsi velimus. Sic literarum ductus, ut scribendi fiat usus, pueri sequuntur; sic musici vocem docentium, pictores opera priorum, rustici probatam experimento culturam in exemplum intuentur. Omnis denique disciplinae initia ad propositum sibi praescriptum formari videmus. Et hercule necesse est, aut similes, aut dissimiles bonis simus. Similem rarò natura praestat, frequenter imitatio. Sed hoc ipsum, quod tanto faciliorem nobis rationem rerum omnium facit, quàm fuit ijs, qui nihil quod sequerentur habuerunt, nisi cautè, & cum judicio apprehenditur, nocet.

2. Ante omnia igitur imitatio per se ipsa non sufficit, vel quia pigri est ingenij, contentum esse ijs, quae sunt ab alijs inventa. Quid enim futurum erat temporibus illis quae sine exemplo fuerunt, si homines nihil nisi quod jam cognovissent, faciendum sibi aut cogitandū putassent? Nempe nihil fuisset inventum. Cur igitur nefas est reperiri aliquid à nobis, quod ante non fuerit? An illi rudis sola mentis natura ducti sunt in hoc, ut tam multa generarent, nos ad quaerendum non eo ipso concitemur, quod certe scimus invenisse eos, qui quaesierunt; Et cum illi, qui nullum cujusquam rei habuerunt Magistrum, plurima in posteros tradiderint, nobis usus aliarum rerum ad eruendas alias non proderit, sed nihil habebimus, nisi beneficij alieni? quemadmodum quidam pictores in id solum student, ut

describere tabulas mensuris ac lineis sciant. Turpe etiam illud est, contentum esse id consequi, quod imiteris. Nam rursus quid erat futurum, si nemo plus effecisset eo quem sequebatur? Nihil in poetis supra Livium Andronicum, nihil in historijs supra Pontificum annales haberemus: ratibus adhuc navigaremus: non esset pictura; nisi quæ lineas modò extremas umbræ, quam corpora in sole fecissent, circumscriberet. Ac si omnia percenseas, nulla sit ars qualis inventa est, nec intra initium stetit: nisi forte nostra potissimum tempora damnamus hujus infelicitatis, ut nunc demum nihil crescat: nihil enim crescit sola imitatione.

3. Quod si prioribus adijcere fas non est, quomodo sperare possumus ullum Oratorem perfectum? cum in ijs, quos maximos adhuc novimus, nemo sit inventus, in quo nihil aut desideretur, aut reprehēdatur. Sed etiam qui summa non appetunt, contendere potius, quam sequi debent. Nam qui agit, ut prior sit, forsitan etiam, si non transierit, æquabit. Eum verò nemo potest æquare, cujus vestigijs sibi utique insistendum putat, necesse est enim semper sit posterior, qui sequitur. Adde quod plerumque facilius est plus facere, quam idem. Tantam enim difficultatem habet similitudo, ut ne ipsa quidem natura in hoc ita evaluerit, ut non res quæ simillimæ videantur, discrimine aliquo discernantur. Adde quod quidquid alteri simile est, necesse est minus sit eo quod imitatur, ut umbra corpore & imago facie, & actus histrionum veris affectibus. Quod in orationibus quoque evenit. Namque ijs quæ in exemplum assumimus, subest natura, & vera vis: contra omnis imitatio ficta est, & ad alienum propositum commodatur. Quo fit, ut minus sanguinis ac virium declamationes habeant: quam orationes: quod in illis vera, in his assimulata materia est. Adde quod ea, quæ in oratore maxima sunt, imitabilia non sunt, ingenium, inventio, vis, facilitas, & quidquid arte non traditur. Ideoque plerique cum verba quædam ex orationibus excerpserunt, aut aliquos compositionis certos pedes, mirè à se, quæ legerunt, effingi arbitrantur: cū & verba intercidant in valescantque temporibus, ut quorum certissima sit regula in consuetudine, eaque non sua natura sint bona aut mala (nam per se soni tantum sunt) sed pro-

ut

ut opportunè proprieque aut secus collocata sunt: & compositio cum rebus accomodata sit, tum ipsa varietate gratissima.

4. Quapropter exactissimo judicio circa hanc partem studiorum examinanda sunt omnia: Primum, quos imitemur, nam sunt plurimi qui similitudinem pessimi cujusque & corruptissimi concupierint. Deinde in ipsis quos elegerimus, quid sit ad quod efficiendum nos comparemus Nam in magnis quoque autoribus incidunt aliqua vitiosa, & à doctis inter ipsos etiam mutuò reprehensa, atque utinam tam bona imitantes dicerent melius, quam mala pejus dicunt. Nec verò saltem ijs, quibus ad evitanda vitia judicij satis fuit, sufficiat imaginem virtutis effingere, & solam ut sic dixerim, cutem, vel potius Epicuri figuras, quas è summis corporibus dicit effluere. Hoc autem ijs accidit, qui non introspectis penitus virtutibus, ad primum se velut aspectum orationis aptârunt: & cum ijs felicissimè cessit imitatio, qui verbis atque numeris sunt non multum differentes, vim dicendi atque inventionis non assequuntur, sed plerumque declinant in peius, & proxima virtutibus vitia comprehendunt fiuntque pro grandibus tumidi, pressis exiles, fortibus temerarij, lætis corrupti, compositis exultantes, simplicibus negligentes. Ideoque qui horridè atque incompositè quidlibet frigidum illud, & inane extulerunt, antiquis se pares credunt: qui carent cultu atque sententijs. Atticis scilicet: qui præcisis conclusionibus obscuri, Salustium atque Thucydidem superant: tristes ac jejuni Pollionem æmulantur: ocio si & supini, si quid modo longius circumduxerunt, iurant ita Ciceronem locuturum fuisse. Noveram quosdam, qui se pulchre expressisse genus illud cœlestis hujus in dicendo viri sibi viderentur, si in clausula posuissent, esse videatur. Ergo primum est, & quod imitaturus est quisque intelligat: & quare bonum sit, sciat.

5. Tum in suscipiendo onere consulat suas vires. Nam quædam sunt inimitabilia, quibus aut infirmitas naturæ non sufficiat, aut diversitas repugnet. Nec cui tenue ingenium erit, sola velit fortis & abrupta: cui forte quidem, sed indomitum, amore subtilitatis & vim suam perdat, & elegantiam quam cupit non assequatur. Nihil enim est tam indecens, quàm cum mollia durè fiunt. Atque ego illi præceptori quem institueram in libro secundo, tradidi

didi non ea sola dicenda esse, ad quæ quemque discipulorum natura compositum videret. Nam is adiuvare debet quæ in quoque eorum invenerit bona, & quantum fieri potest, adijcere quæ desunt, & emendare quædam & mutare. Rector enim est aliorum ingeniorum atque formator. difficilius est naturam suam fingere. Sed ne ille quidem doctor, quanquam omnia quæ recta sunt, velit esse in suis auditoribus quàm plenissima, in eo tamen cui naturam obstare viderit, laborabit.

6. Id quoque vitandum (in quo magna pars errat) ne in oratione Poetas nobis & Historicos, in illorum operibus Oratores aut declamatores imitandos putemus. Sua cuique proposita lex, suus decor est. Nec Comœdia in cothurnos assurgit, nec contra Tragœdia socco ingreditur. Habet tamen omnis eloquentia aliquid commune. Id imitemur quod commune est. Etiam hoc solet incommodi accidere ijs, qui se uni alicui generi dediderunt, ut si asperitas his placuit alicuius, hanc etiam in leni ac remisso causarum genere non exvant: si tenuitas aut nuditas, in asperis gravibusque causis ponderi rerum parum respondeant; cum sit diversa non causarum modo inter ipsas conditio, sed in singulis etiam causis partium: sintque alia leniter, alia asperè, alia concitatè, alia remissè, alia docendi, alia movendi gratia dicenda: quorum omnium dissimilis atque diversa inter se ratio.

7. Itaque ne hoc quidem suaserim, uni se alicui propriè, quem per omnia sequatur, addicere. Longè perfectissimus Græcorum Demosthenes, aliquid tamen aliquo in loco melius alij, plurima ille; sed non qui maximè imitandus, etiam solus imitandus est. Quid ergo? non est satis omnia sic dicere quomodo Marcus Tullius dixit? Mihi quidem satis esset, si omnia consequi possem. Quid tamen noceret, vim Cæsaris, asperitatem Cœlij diligentiam Pollionis, iudicium Calvi, quibusdam in locis assumere? Nam præter id quod prudentis est, quod in quoque optimum est, si possit, suum facere: tum in tanta rei difficultate unum intuentes, vix aliqua pars sequitur. Ideoque cum totum exprimere quem elegeris, penè sit homini in cõcessum: plurium bona ponamus ante oculos, ut aliud ex alio hæreat, & quo quidq; loco conveniat, aptemus. Imitatio autem (nam sæpius idem dicam) non sit tantum in verbis. Illuc intendenda mens; quan-

quantum fuerit illis viris decoris in rebus, atque personis, quod consilium, quæ dispositio, quam omnia etiam quæ delectationi videntur data, ad victoriam spectent: quid agatur procemio: quæ ratio & quam varia narrandi, quæ vis probandi ac refellendi: quanta in affectibus omnis generis movendis scientia, quantaque laus ipsa popularis utilitatis gratia assumpta, quæ tum est pulcherrima, cum sequitur, non cum arcessitur. Hæc si perviderimus, tum verè imitabimur. Qui verò etiam propria his bona adiecerit, ut suppleat quæ deerant, circumcidat si quid redundabit, is erit (quẽ quærimus) perfectus orator: quem nunc consummari potissimum oportebat, cùm tanto plura exempla benè dicendi supersint, quam illis, qui adhuc summi sunt, contigerunt. Nam erit hoc quoque laus eorum, ut priores superasse, posteros docuisse dicantur.

---

§. II.

An? quis? quid imitandum?

EDMVNDVS Campianus Soc. IESV Martyr in Anglia.

AD apparatum sermonis ornatumque quod attinet, nullum existimo fructum esse, nisi voluminum Ciceronis, ut eorum qui Ciceronem feliciter expresserunt. Sed hoc dico; in ceteris legendis censores nos esse debere, in Cicerone discipulos; illos notare, hunc suspicere; illos gustare, hunc vorare & concoquere, & in sanguinem penitus succumque nostrum vertere. Habent illi delicias quasdam partè à nobis cautèque libandas; hic plenas mensas & opiparas dapes, confidenter avideque sumendas. Ex hoc igitur solo conficietur elocutio: sicut enim nemini cutis, aut color, aut certa corporis constitutio nascitur ex epulis quas attingit, sed ex quotidiano pastu quo vegetatur, & alitur: sic oratio, quamvis nonnulla de aliorum scriptis, tanquam de alieno convivio se ponat, forma tamen eius & natura ex uno Cicerone, cui semper assuescat, tanquam ex constanti pabulo orietur.

rietur. Hæc eò spectant, ut probem, qui Ciceronianus non sit, eloquentem esse neminem. Aliter sensisse video & Angelum Politianum, cujus extat ea de re ad Paulum Cortésium Epistola, & Ioannem Picum admirabili doctrina Principem: cujus rationes dissolvit Petrus Bembus Cardinalis. Ac mihi quidem attentius cogitanti, explodenda videtur inprimis eorum sententia, qui prorsus imitationem sustulerunt, & suum cuique ductum in scribendo relinquunt, nec audiendi sunt, qui omnes bonos latinitatis auctores præfigere maluerunt: nusquam enim est, qui ubique est. Certe inter scriptores ipsos probatos & bonos, dictio tam dissimilis reperitur, ut, qui horum vestigijs omnium velit insistere, & optima deserat, & non consequatur mediocria. Unde illud proverbium inolevit: *qui plures insequitur lepores, nullum capit*. Sed & illi aberrant à vero, qui Ciceroni in imitatione primas styli, non tamen soli deferunt. Quis pictor qui artē didicerit ab Apelle, Polygnoti aut Timantis tabulas, è quibus doceretur adhibuit; quis fictor, quem Lysippus eduxerit, Calamidis signa rigida magnopere fuit contēplatus? Illud est expeditissimum, ut unus ponatur ob oculos, unus ad imitandum constituatur. Quod si unus, quis nisi M. Tullius? cui natura suas omnes opes contulit, cui Latinus sermo patrius fuit: cui literæ, linguæ, artes ingenium iudiciumq; perpolierunt: cui cum ætate hoc studium adolevit atque consuevit: cui exercitatio dicendi & scribendi assidua mirabilem facultatem peperit: cui dignitas in Republica sapientiā cumulavit, & auxit diligentiam: cui deniq; hoc ipsum curæ & cordi fuit, eloquentiam Latinam perficere.

Non diffiteor inter eos qui Ciceroniani dici volunt, quosdam esse, qui ridiculo ineptoque labore, sic ipsum, velut hominem simioli, non quod naturale est, veluti filij patrem referant. Nam & pagellas expilant manifestè, & verba capiunt importunè, & vim faciunt sententiæ, & deformem serviunt servitutem. Itaque rectò præcipiunt, qui dicunt, si placuerit tibi inventio, vestire verbis tuis, id est, alijs: si verba, libentius illis uti, non recusantibus. Sunt enim qui sensa vocibus ligent, nactiq; phrases pulchras, & plausibiles, rem quamlibet in eas, tanquam in vincula, conijciunt. Contra factū oportuit, nam de re primū, post de vocabulis cogitandū. Aliud quoq; mandant non inutile, sed nō in perpetuū. Scribis epistolam: delige Ciceronis unam in eo ge-

nere

nere quam sequaris. Peroras, vel differis aliquid; quære in illius operibus exemplar, quod inspicias semper; cave ne tu te prodas, vel ut inopem, vel ut captivum. Tertium hoc sit: Contemplabimur in egregio corpore lineamenta, venas, cutem, colorem, partes & virtutes singulas: quàm illud solidum & succi plenam, quam formosum, quàm subactum, quam illuminatum, quàm varium & concinnum appareat. Illius exordia statim conciliant animos, narrationes suspendunt, contentiones expugnant, motus possident; exempla, loci, communes, amplificationes, omnis varietas artis & orationis copia mirificè delectat. Sic ille grandis est, ut non turgeat, sic humilis, ut non vilescat, sic medius & venustus, ut nullas unquam accersat ineptias. Hæc dum amabimur & sequemus, studiosè vitabimus κακοζηλίαν.

§. III.

Quam diversi diversa in Cicerone imitentur, & quam fluctuans eorum sit oratio, qui certum ducem non sequuntur.

Paulus Cortesius Angelo Politiano.

PErmagni interest, utrum quis videatur quenquam velle imitari, aut neminem. Ego statuo, non modo in Eloquentia, sed in alijs etiam artibus necessariam esse imitationem. Nam & omnis doctrina ex antecedenti cognitione paratur; & nihil est in mente, quin prius in sensibus perceptum. Ex quo intelligitur omnem artem naturæ esse imitationem, sed natura fieri, ut ex eodem genere dissimilitudo nascatur. Homines enim cum inter se dissimiles, similitudine conjunguntur; & quanquam alij coloratiores, alij pallidiores, alij venustiores, alij proceriores sint, una tamen est omnibus figura & forma. Illos autem quibus, aut crus, aut manus, aut brachia desunt, non omnino ex omnium hominum genere excludendos, sed aut mancos, aut claudos appellandos putarem. Sic eloquentiæ una est ars, una forma, una imago, qui verò ab ea

declinant, sæpè distorti, sæpè claudi inveniuntur. 1 Aspice nunc eos homines qui sibi elegerunt M. Tullium imitandum, quantum ab eo distent, quantum etiam inter se dissimiles sint. Profluentem quandam sine modestia ubertatem Livius arripuit, acumen Quintilianus, sonum Lactantius, lenitatem Curtius, elegantiam Columella: quorum cum esset unum propè imitandum propositum, nihil est tam dissimile, quam ipsi inter se; nihil tam distans si comparentur, quàm ipsi à Cicerone. Ex quo intelligitur maximè & cum judicio ponderandam esse imitationem, & eum ipsum hominem mirabilem fuisse, ex quo tam diversa ingenia, tanquam ex perenni quodam fonte, defluxerint. Omnino, Politiane, certis autoribus insistendum est, quibus ingenia formentur, & tanquam alantur. Relinquunt enim in animo semina, quæ in posterum per se ipsa coalescunt.

Qui autem neminem imitari, & sine cujusquam similitudine laudem cōsequi videri volunt, nihil, mihi crede, roboris, aut virium in scribendo præ se ferunt: & illi ipsi, qui se niti dicunt ingenij sui præsidiis & viribus, facere non possunt, quin ex aliorum scriptis eruant sensus, & inserciant suis. Ex quo nascitur maximè vitiosum scribendi genus; cum modò sordidi & inculti, modò splendidi & florentes appareant: & sic in toto genere, tanquam in unum agrum plura inter se inimicissima sparsa semina. Fieri enim non potest quin varia ciborum genera malè concoquantur, & quin ex tanta colluvione dissimillimi generis inter se verba collidantur. Nec minus hujus corruptæ orationis asper concursus aures ferit, quam ruentium lapidum fragor, aut strepitus, aut quadrigæ transcurrentes. Quid enim voluptatis afferre possunt ambiguæ vocabulorum significationes, verba transversa abruptæ sententiæ, structura salebrosa, audax translatio, nec felix ac intercisi de industria numeri? Quod necesse est his omnibus accidere, qui ex singulis verba & sensus eruunt, & neminem imitantur. Horum sanè omnis oratio est tanquam Hebræorum domus, quibus sunt ad quoddam tempus oppignerata diversorum hominū bona. Nam ibi & lacernæ, & amictus, & penulæ & multorum sæpe pallia suspensa internoscuntur. Ego autem tantum interesse puto inter eum qui neminem imitatur, & qui certū ducem consectatur, quantū inter eum qui temerè vagatur, & qui rectà proficiscatur. Ille devius inter spinas volutatur; hic

hic autem ex proposito itinere ad constitutum locum sine lapsu & molestia contendit. Præterea, Politiane, sic habe, neminem eloquentiæ laudem consecutum, qui non sit in aliquo imitationis genere versatus. Apud Græcos non modò oratores, Demosthenes, Hyperides, Lycurgus, Æschines, & Dinarchus: sed etiam illi Philosophi virtutum magistri, alicuius imitatores esse voluerunt. De nostris hoc loco taceo, ne videar tibi uni omnium doctissimo quasi scholam quandam explicare. Nec item aliquid de Marco Tullio dicendum puto: exploratum est jam illud omnibus, ut qui se ad M. Tullium effingendum contulerit, si minus aliquam imitandi gloriam consequatur, in eo tamen ornetur, quod illum sibi elegerit exprimendum: ut illud fuisse naturæ & ingenij videri possit, hoc judicij. Vale.

CAPUT IX.

Quinam, præcipue autores imitandi sint? Veteres ne tantum an qui hanc etiam ætatem sunt assecuti?

Mirum cuiquam videri possit, qui fiat, quod cum Principem Romanæ eloquentiæ Ciceronem penè faciant universi, eidem tamen in hujus quæstionis definitione non conveniant: Solus ne Cicero, an quisquam præterea imitandus? Si solus eminet, cur alios præter hunc imitemur? si plures rectè imitamur, quomodo solus eminet? an fortè deteriores etiam sequemur artifices neglecto meliore, nec ad optimum quisque statim adspirabit? Quid in latè sparsis sectantur rivulis, quod in uno fonte totum possidemus, ut purius sic & copiosius? At rursum legendi plures, cur igitur imitandus solus? an nemo aut extra, aut supra Ciceronem quippiam? an Cæsar minori puritate fluit, Quintilianus venustate, Curtius lenitate, Livius concitatione, acumine Plinius? Et demus una aliqua virtute singulos; Ciceronem eminere universis? an non propius veriusque unius alicuius virtutis seorsim expressæ lineamen-

ta assequar, quam si omnium simul ducendarum imagini intentus confundam omnia: cùm & difficilius junctæ distinguantur, & exprimantur tardius? Quis artifex suis protinus discipulis perfectissimum artis exemplar objicit? an non à rudioribus ducuntur principia, ne desperent, priusquam augeant? Illud quidem nemini inter prima eloquentiæ rudimenta concessero, ut sibi exemplar sumat, quod ex æquò vitia cum virtutibus misceat; cum illa etiam sine Magistro hæreant, & pronum sit deteriora sectari, virtutis præsertim speciem induta; sed exhibere ejusmodi, quod singulis potius emineat virtutibus, quam universis, hoc minimè esse duxero imprudentis.

Pluribus intentus minor est ad singula sensus.

Verùm quid si unus Cicero ita quidem hæc assecutus sit, ut tamen non ubique omnia? alibi lenis, alibi concitatus, acutus alibi? Quid si quamlibet cum ceteris ita misceat dotibus, ut suo quæque loco ubi vim gratiamque possidet maxime, illic & excellat. Id profectò si compertum fuerit, non est cur à Tullio divellamur.

Equidem, sic statuo; supra Ciceronem, qui quidem in plerisque universè excellat, reperiri omnino neminem. Illum unum rebus, personis, temporibus ita aptasse orationem, ut si affectatam illam rerum abs se gestarum commemorationem, importunè nonnunquam ingestam, sustuleris illud quod jure requirimus decorum, nemo aptius expresserit. In epistolis puro, perspicuoque nitore fluit: in docendo clarus ac disertus. In disputando acer subtilisque; in differendo, cum mores instruit, gravis ornatusque; cum sententias discutit, prudens atque amœnus; in defendendo lenis copiosus ac circumscriptus; in accusando vehemens, concisus, atque incitatus. Quo, ut par est, agnito anceps minime disquitio nobis relinquitur; an præ ceteris, imitandus sit Tullius?

§. I.

§. I.

Qui & quomodo cum Cicerone adhibendi sint.

Qua in re minimè affirmare dubitem, optimè facturum qui Ciceronem, inter prima eloquentiæ cultius per imitationem formandæ tirocinia, illosque qui hunc dicendo secuti sunt (quorum facilis purusque sermo est) planè consectetur, neque ad alios se transferat, priusquam illorum ingenium indolemque traxerit. Non igitur excludo, in materia scribendi diversâ versatos, Cæsarem, Terentium Curtium, Quintilianum, Æmilium Probum, Columellam, Celsum, tum etiam recentes scriptores Tulliana suavitate fluentes. Nam ut omnia elegantiæ lineamenta assecuti non sint, ad Ciceronem tamen ducunt, ijs quibus eminent virtutibus. Horum verò dictionem ad Tullianam componi eloquentiam, atque illa qua ipse lucet elegantia, illis quibus splendet ornamentis cupiam illustrari.

Quædam isti autores minus adferent culta, quæ Tullius excolet; quædam vibrantibus strictâ sententijs, aut numerorum incessu ac pondere animosiora, quæ cum laude retinebis. Ita etiam cum Tullium non omnino expresseris, optimos tamen eloquentiæ trahes colores, eritque nonnunquam virtus ab illo defecisse. Etenim non me pigeat quandoque in historia cum Quintiliano & Curtio nunc incedere pressius, nunc acutius finire sententiam. Vis aliqua vigorque huic inest dicendi generi, quem Cicero ubique non possidet. Sed hoc politioris jam eloquij judiciique opus est, adolescentes ex ceteris autoribus copiam, ex Cicerone etiam formam eloquendi hauriant: illos comites, hunc ducem accipiant: illos non negligant, hunc etiam venerentur.

Est & alia quædam ratio universè imitandi Ciceronem, alijs quoque autoribus, ab eodem longius remotis, in idem tamen præsidium advocatis. Sed roboratæ jam in stylo tenui hæc exercitatio eloquentiæ est. Sunt qui cæso illo acutoque dicendi genere delectentur. quo Salustius ac Plinius olim, hoc etiam tempore Puteanus claruit, & Lipsius ante hunc magis oblectatus est, quàm excelluit. Illud quidem scribendi genus non ignorare, laudabile, cum ejus loco ac tempore usus possit esse gratissimus; passim tamen

isto omnem infercire orationem, ut ingratum, sic vitio, quàm virtuti propius duxero. His igitur opportunè eodem usuris suaserim, ut quædam in eis duriora. Tulliana condiant suavitate, quemadmodum suis postea exemplis traditurus sum.

Sed & alij futuri sunt, quibus nonnunquam assurgere à vulgato loquendi usu, sive cum Tacito pressius, sive cum Floro elatius libeat. Quibus idem hoc meum consilium quantum emolumenti ad profectum allaturum sit, haud multo post elucescet, frangat nunc illorum duritiem Cicero; nunc ariditatem irriget; nunc corrigat audaciam. Verum hæc imitatio, ut dixi robustiorum est, quique utrorumque autorum vim assequantur, sententiasque ponderent. Non cuiuis hæc arma corpori aptanda sunt. Est manus quæ gladium tractare norit, non possit acinacem. Vires ætasque multorum profectum adiuuant.

§. 2.

In alio atque alio scribendi genere alij etiam deligendi sunt duces.

Iam & illud observandum cautè est, quo in genere studiorum scribendique verseris, qui sis ipse, quibuscum, quo loco ac tempore, & qua de causa disserat? hæc enim tantum non solùm ad materiæ, sed & styli sæpe, diversitatem pondus adferunt, ut quandoque singula ad illius prudentem inflexionem sufficiant. Vnde oritur, ut nec quibuslibet in locis Cicero, nec à quovis ratione eadem, nec solus ille, atque unicus nobis imitandus relinquatur. Nam & quædam esse scribendi genera, quæ nusquam pertractarit Cicero, & quædam eo temporis locique ab eodem usurpata, ut si hæc mutentur, oratio minus conveniat. Illæ certè orationes ab eodem in foro dictæ, ac curia, si nunc ad causarum tractationem eo dicendi genere transferantur, nihil nisi fastidium parient: auditor lectorque etiam defuturus est. Ad solas conciones in rebus sacris potentissima illarum imitatio futura est: plurimumque, meo judicio, hac ætate delirant, qui alium ab illo Tulliano dicendi characterem huc inferunt, vel suspensa brevitate incisum, vel poetica libertate inflatum, vel aculeata importunè dictione affectatum: ubi

ubi solo rationum pondere, & affectuum moderatione, clarissima in luce veritas omnium oculis animisque esset exponenda.

Dicentium audientiumque persona, quoties orationem imitationemque mutat, alia adolescentem, alia virum decet: illum deliciæ quædam, & exundantis orationis luxuries, molliterque nunc fluens compositio, nunc per cæsa etiam exultans membra, nunc per tropos audaciores insurgens commendat, quæ virilem dictionẽ non solum non ornant, verum etiam dedecent. Graviores hæc sensus sententiasque postulat, nec facile otiosa atque ad solos numeros ornatumque composita verba patitur, quibus Cicero maturior peccasse haud immeritò videretur, nisi auribus aliquid populoque rudiori dandum fuisset, cujus tarditatem repetitis quandoque vocibus juvit oppugnari. Minus etiam tropis, figurisque cultioribus luxuriari senem convenit. Sit pressa & rebus densa solidaque, sit axiomatis gnomisque instructa, sit ad mores formandos composita oratio. Quæ ut senibus apta est, ita adolescentes sine autoritate dicturos parum ornabit. Tantum personæ ad dictionis formam momenti adferunt. Quid, quod aliter à Principe ad subditum, aliter à subdito ad Principem scribendum dicendumque sit? illi verbis parcè, iisque gravibus, tum amplis significantibusque utendum sententiis; huic copiosior demissiorque etiam per ambages quodammodo ducenda oratio est, ut etiam cum suadet, hortaturque, orare simul videatur. Quin & *Philosophum* secus, quàm Rhetorem, aut Sophistam loqui fas est, illum purus simplexque & ad solius veritatis investigationem compositus sermo decet, quique ut senator gravis moderatusque incedat; hunc velut adolescentem comptulum crispatumque, affluens dicendi lepos, & latè per diversos orationis flores effusa dictio commendabit. Alia denique illius, qui poeticis fictionibus laudem, reprehensionemque, aut quamcunque demum veritatem exornat, scriptio esse debebit, quàm alterius nudè per eadem dicendi spatia evagantis, illum enim Poetæ, hunc propiorem historiæ ipsa rei natura fecit. Et his omnibus, quis ubique unum, in pari licet materia, Ciceronem imitandum præscripserit? Miror equidem Romanæ linguæ assertores, vel tam reperiri Ciceroni amicos, ut omnibus unum dotibus credant excellere; vel tam inimicos, ut eloquentia princi-

patum ei ausint derogare. Aliud sanè est primum obtinere in regno locum, aliud possidere universa.

§. III.

Quid priscis, quid novis scriptoribus deferendum sit?

Ad eloquentiam igitur suis numeris absolutam, quemvis dicendi characterem sive ex imitatione, sive ex suo ductum ingenio, & prudentiam exercitatæ jam ætatis adferre necesse est; ut cum assecutus omne scribendi, dicendique genus fueris, personis, temporibus, ac rebus noveris accommodare. Hoc illud decorum est, quod arte simul judicioque obtinetur, Græcisque δεινότης appellatur, quæ ut ait Hermogenes de oratore, est χρῆσις ὀρθὴ πάντων εἰδῶν τῦ λόγυ, recta ursurpatio omnium generum dicendi. Ciceronem tuto sequêris, ubi cum materia par locorum, temporum, personarumque sese offeret conditio, nemo enim illo, vel aptius, vel copiosius: ubi verò horum; vel aliqua, vel universa deficient, illos quos supra legendos præscripsi, ea, qua monui, lege, vel assectabere, vel etiam, cum via ratioque se aperiet, studio judicioque antevertes. Certè, ut facultas id præstandi desit, voluntate, quà potes, enitere. Multos quos audacia non destituit, promptitudo denique secuta est. Desperantium nulla victoria est Cicero Demosthenem imitatus est, Homerum Virgilius, uterque suum ducem prævertit; hic ligata, ille soluta oratione longè potentior. Neque hujus ætatis ingenia, vel hebetudinis, vel inertiæ arguenda sunt. In Poetis manifestum est, nihil infra ætatem illam auream nos possedisse, solo fortè scribendi argumento dissidemus à Virgilio, stylo nihilo inferiores. Elegiaci Lyricique ac Tragici, si non victi, certè æquati sunt. Ciceronem etiam suis expressum partibus nemo rectè negaverit. Quis enim Campianum aut Cortesium sic, ut ante vidimus, differentes, eo in genere quicquam stylo asserat infra Tullium præstitisse? Non faciet, quisquis sanæ integræque orationis dotes expenderit. Quod si Deus Perpinianum ad parem ætatem usumque, par forum, causasque ac tempora transtulisset, ac dicendi ornatu, copia, vi impetuque cederet? Habet nunc etiam Muretus quæ illum cum Tullio in partibus comparent.

Vt quid enim illorum vel judicium vereamur, vel sectemur ingenium, qui ne cuiquam suorum coætaneorum quicquam tribuant, quo suam atteri gloriam credunt, ad priscæ ætatis scriptores transferunt universa, & quorundam etiam exoletas sordes pro oblectamento habere malunt, quàm dignam suo ævo venerationem deferre. Illud in Romana nos lingua priscis debere fateamur, quod verborum originem eorumque construendi usum, ex illorum penu haurire teneamur, in ceteris juxta nos recentibus priscisque, in opportuna eloquentiæ tractatione, obligatos censeamus. Ego Famiano Stradæ vix historicos veteres æquavero, si universas in uno historiæ virtutes exigas.

Habet verò illud etiam commodum recentium autorum cùm lectio, tum imitatio; quod materiam sæpe afferant Christianis institutis, nostrisque exercitationibus magis idoneam, cum veterum tenebræ, & magnum sint, ignaris eorum temporum adolescentibus, impedimentum, & minus propinquam expeditamque imitaturis viam aperiant. Illa & tractare, & legere jucundius est, quæ in nostros sese sensus cognitionemque inferunt. Minus nos tangunt peregrina & tot submota ætatibus, quàm præsentia & nobiscum nata. Ego ex his, & facilius, & majori cum voluptate, hoc, quantulumcunq; est quod teneo, me sensi assecutū. Muretum adolescens non minus, quàm Ciceronem mihi in oratoria facultate profuisse sensi: illum penetrabam, hunc sæpe tantum admirabar, non verbis sed argumento reconditum. Sed ne in quosvis sese autores citra Magistri consilium immittat iuventus; ne ignoranda quandoque hauriat, & vitijs dicendi imbuatur priusquam virtutes noverit.

CAPUT X.

Qua, & quotuplex imitandi sit ratio, praxi, exemplis, atque autoritate doctorum hominum ostenditur.

§. 1.

Imitatio diversa diversis conceditur.

IMitatio, de qua hic agimus, *est*, quædam *conformatio sermonis nostri, ad optimam Romanæ eloquentiæ ideam, rebus earumque adiunctis accommodata*. Hæc verò conformatio, aut ijsdem verbis fieri poterit, sed constructione, numero ordine, figura vel periodo mutata; aut certè similium illis vocum surrogatione erit instituenda. Non enim una eademque, sed forma pari inducetur. Illa enim quæ tironibus eloquentiæ libertas indulta est, lectas ex Cicerone aliisque communium locorum descriptiones in suum usum, citra mutationem transferendi, non nisi rudiorum est, probrosa viris, atque inconcessa. In adolescentibus mutuum ex quo fenerentur, in adultioribus furtum est, & alienæ eruditionis violatio, plagij crimine apud jurisperitos damnata. Quare quam nonnulli puerilem imitationem vocant, ego honestam in adolescentibus facultatem appello usurpandi tantisper rem alienam, dum abundent propria. quam liberaliter ab his arripiendam, à Magistris censeo indulgendam fovendamque: ne semper egeant proprijs, qui nunquam abundare norunt alienis. Sic adolescens, ut exemplo utar. Catilinaria Ciceronis oratione magna parte uti poterit, adversus Zwinglium, quem ab Ecclesia ad conjuratos suæ religionis hostes jubeat discedere. Sic & illa quæ pro lege Manilia de Pompeij virtutibus Cicero differit, ut hunc dignissimum belli Imperatorem ostenderet, Carolo Quinto adversus Solimanni potentiam ab Europæis deligendo facilè aptaverit, & hæc materiæ quædam ac dispo-

sitionis

sitionis potius imitatio futura est, quam illius, de qua maximè laboramus, elocutionis.

§. 2.

Quando verba & phrases eadem ab imitante adhiberi possint.

Vniversè igitur, ut dixi, styli confirmatio, vel iisdem fit verbis, vel similibus. Iisdem verbis utendum est, quando paria atque æquè idonea non suppetunt: ita & passim verba & lectæ ex Tullio alijsque phrases, adhibentur. Vt *operam dare, periculum facere, ex animi sententia* rem agere, & quæ pari verborum aut phrasium venustate, sive etiam proprietate nequeunt immutari, quæque etiam, si ex multis pauca retineantur, nullum incutiunt imitanti ruborem. Hoc tamen imitandi genere liberalius tunc uti concessum est, quando in diversa scribendi versamur materia. Ita quod Clodio Tullius in oratione pro domo sua in principio exprobrat; indignum scilicet esse, quod Senatores inconstantiæ arguat, hoc tu Luthero Patres antiquos erroris in fide arguentis jure adhibueris. *itane vero, quod in* fide divina *est vitiosissimum varietas & inconstantia, & crebra, tanquam tempestatum, sic sententiarum mutatio; hoc impostor iste* ad Patres transferat, *quos ab inconstantia gravitas, à perversa sententia, certæ definitaque leges religionis, vetustas exemplorum, autoritas literarum, monimentorumque deterret?* Quod penè totum habet Cicero, nisi quod pro fide divina *imperita multitudine,* pro perversa *libidinosa,* pro leges, *jus*, parvo discrimine, adhibeat persona denique utatur secunda. Interea toto genere diversa res agitur. Et hæc maximè libera rudisq; hoc in ordine est imitatio. Paulò eruditior futura est, si (quod facile) contrarium hoc modo persequaris. *Itane vero, quod in prisca ætatis Patribus laudatissimum est fides & constantia, hoc tu ab illis auferas, quos ad certam definitamque sententiam* S. *literarum autoritas, ad constantiam gravitas, ad pietatem religio educavit?* Quæ quidem una & inter amplissimas, & perfectissimas est rationes imitandi, atque in eadem etiam materia locum reperit, de qua nunc agendum est.

§. 3.

Quando, & quomodo phrases similes (non verò eadem) rectè usurpentur.

Altera imitandi ratio est si verba phrasesque, non eædem, sed similes, in eadem loquendi materia, adhibeantur. Vt si illud quod Cicero ibidem adversus Clodium Tullis exulis domum consecrantem & Bonæ Deæ sacra incestu violantem usurpat, eidem Luthero in pari causa pro religione laboranti & ejusdem per incestum violatæ reo adhibeas. Post medium sic habet. O Dii immortales (vos enim hæc audire cupio) P. Clodius vestra sacra curat? vestrum numen horret? res omnes humanas religione vestra contineri putat? hic non illudit autoritati horum omnium, qui adsunt, summorum virorum? non vestra Pontifices gravitate abutitur? ex isto ore religionis verbum excidere, aut elabi potest? cum tu eodem ore accusando Senatum quod severè de religione decernèret, impurissimè teterrimeque violasti. Adspicite, adspicite, Pontifices hominem religiosum, & si vobis videtur quod est bonorum Pontificum monete eum, modum quendam esse religionis, nimium esse superstitiosum non oportere. Quid tibi necesse fuit, anili superstitione, homo fanatice, sacrificium quod alienæ domi fieret invisere. Quæ tanta te mentis imbecillitas tenuit, ut non putares Deos satis posse placari, nisi etiam muliebribus religionibus te implicuisses? Hactenus Cicero. Imitemur nunc plerorumque aut verborum, aut phrasium, aut etiam figurarum vel numerorum immutatione hanc penè eandem rerum in Luthero sententiam.

O generis humanis servator Christe (te enim hac audire cupio) Mart. Lutherus, tuorum sacrorum curam gerit? tui Numinis reverentiam habet? res mortalium divina religione contineri existimat? Hic autoritati horum omnium non illudit, qui adsunt Ecclesia, antiquissimorum Patrum? Principem benevolentia, & Pontificum humanitate ad suam perfidiam non abutitur? Ex isto ore verbum aliquod sacrum sanctumque potest effluere, quo senatum ille orthodoxum severè integreque de religione decernentem teterrima impuritate violavit? Intuemini, ô fideles Christiani, intuemini religiosum hominem, & si

fat

fui esse creditis, quod proborum est hominum, publicaque utilitatis cupidorum, monete eum; vastum esse sacrarum scripturarum Oceanum, nimium huic suo fretum ingenio, sine lege, sine duce immergi, perquam esse periculosum. Quæ tanta te consilii perversitas occupavit, tanta te, homo arrogantissime, incessit audacia, ut non existimares pura Deum religione coli posse, nisi tu veterum leges, sanctorumque Pontificum decreta labefactares, nisi fixa olim religiosarum Virginum claustra temere convelleres, In hoc exemplo imitationis patet, me plerisque phrasibus, nunc verbi, nunc nominis immutatione, nunc additione, nunc detractione inflexis, vim tamen habitumque universæ orationis, qui in figuris erat retinuisse: ne dissimilis existeret, atque imitando Ciceronem, alium, quàm Ciceronem exprimerem. Quod si tamen universæ orationis habitum ad similem quempiam Tullio alibi non inusitatum transferre libeat, fas erit ex verbis phrasibusque ejusdem tibi plura vendicare. Vt in adducto supra exemplo *Quid tibi necesse fuit, &c.* sic mutata illud figura sequar. *Nimirum illud tibi necesse erat, homo impurissime, ut occultos monasticarum Virginum recessus inviseres. Tanta te libidinis insania, tanta mentis imbecillitas tenebat, ut Deum satis religiosè coli posse non arbitrare, nisi incestis sacratarum mulierum thalamis te implicuisses.* Hic liberiorem Tullianarum phrasium usum figuræ excusabit immutatio.

§. IV.

Quæ potissimum in Ciceronis imitatione observanda sint.

Vt verò hæc imitatio Ciceronis à suis ritè initiis ad finem perfectionemque deducatur, necesse est, illa diligenti lectione signasse, in quibus Cicero reliquis scriptoribus potior illustriorque eminet.

Vt quod 1. lectissimis verbis phrasibusque utatur, quas perinde cultas in ceteris vix reperias. 2. Quod raro eleganti que vinculorum nexu ita societ, ut amicè inter se cohærere, non velut inter compedes, reluctante natura, constringi videantur. 3. Quod ordo verborum in sententiis, sententiarum in periodis, periodorum in oratione, tam suavis consentiensque, tam simul varius plenusque ac virilis sit, ut

nullibi

nullibi hiet oratio, & legentem pluraque exspectantem destituat; nullibi addensetur, & jam satiatum plenumque animum cum fastidio remoretur, nullibi subsultet levius, tumidius assurgat, aut cunctantius hæreat, nullibi ad principium redire cogat, ut prima ultimis, aut ultima primis, suspensa frustrataque cognitione, componat. 4. Quod troporum ac figurarum præcipuè insignis quidam in Cicerone splendor emineat. 5. Alia quædam orationis egregia sunt ornamenta, ut adagia, gnomæ, & apophthegmata, acutè & sapienter dicta, quæque venerandæ antiquitatis memoriam ingerunt. Illa tamen non minus in ceteris scriptoribus quàm Tullio, parcius hæc non raró usurpante, reperias, magnopere tamen studioso eloquentiæ observanda.

Quocirca hoc primum tuum exercitium sit, ut verborum phrasiumque aliquem delectum instituere noveris (de quibus paulò post Campianum disertius loquentem introducam,) Ut, legis, apud Tullium, *ad vulgi opinionem abiit*, vel *cum vulgo sentit*: alius habet; vulgi opinionem sequitur. Cicero *affectum jam bellum*, vel *inclinatum*; alius, prope finitum, dicet. Cicero: *navem appulit*, vel *navis appulsa est*, alius, navis appulit. Cicero. *desiderium tui non fero*; alius dicet, absentiam, Cicero, *hoc mihi non sumo*, alius, non arrogo. Cicero *abesse bidui*; alius, duorum itinere dierum. Cicero, *ab aliquo stare vel esse*, alius, pro aliquo facere dicet. Cicero, *cum rem heredibus confecit*; alius transegit. Cicero, *contra quàm speraveram accidit*: alius, contrarium accidit. Cicero, *defunctum se periculo arbitratur*; alius liberatum se credit, &c. Sed hæc de fontibus elocutionis pluribus exemplis prosequimur, quæ nisi scriptione frequenti ad familiarem traducas usum Ciceronianus esse vix poteris. Idem de particularum nexu, numerorum pondere atque ordine sententiarum esto judicium, de quibus nos ibidem consule, præsertim 4. fonte phrasium, & §. 3. de fontibus periodorum. Nunc alios laudatissimos autores ex Andrea Schotto Tullian. qq. l. 2. rationem imitandi eruditè tradentes audiamus.

* * *

§. 5.

De Triplici Imitatione Ciceronis, in verbis, Phrasi, Compositione.

Edmundus Campianus.

TRia igitur quam accuratissime in Cicerone observanda, imitandaque censet fortissimus, eloquentissimusq; ille vir, illi adolescenti, qui supra vulgus erigere sese aliquando, nomenque inter disertos habere aliquod velit.

I. Verbum.

Verbum, *inquit,* recipio, nullum, quod non ille recepisset: multa autem admitto, quæ ille non protulerit; prolaturus sine dubio si tulisset occasio. An ego dubitem, quin vir gravis, & sapiens, pertractans Philosophica, voces convenientes fecerit, idque, ut augeret linguam Latinam, sicut ipse affirmat. Item si de agricultura fusius disputasset, plurima dixisset cum Varrone, Catone, Columella: præsertim, cum in uno libello de senectute, & *occatum, & occatio, & arista, & acinus vinaceus, & repastinatio, & consitio & pomaria* legantur, alibi apud hunc nusquam? Quid? qui semel de legibus, *virgeta* nominavit, semel ad. Q. Fratrem, *Silvam viridicatam,* semel de Faro *Mulierosum*, semel in Tusculanis, *multiplicabilem*, semel in Paradoxis, *mutilum*, semel in Epistolis *Sportellas & artologanos*, semel ad Atticum, *dieticulam*, semel de universitate, *dividuum*, semel in Verrem, *divaricari*, semel in natura Deorum, *viticulas*: ille non ejusdem generis alia prodidisset, vel sæpius, vel copiosius talia disseruisset? quid si recuperari possent ipsius volumina de Republica quæ exciderunt; an non suppeditarent bona vocabula, quæ tamen nullus adhuc. Nizolius in reliquo Cicerone viderit? cujus rei conjecturam ex eo capio, quod in somnio Scipionis & *extimum globum, & stelliferum cælum, & immobilem terram, & Lunarem cursum* reperio, quæ non reperissem, nisi hoc fragmentum ex illius sexto de Republica libro superesset. Non igitur linguā Ciceronis, quæ

multa

multa reticuit non fortunam temporum, quæ multa perdidit, sed Ciceronem ipsum facio censorem & judicem dictionum, sic loquar, ut ipse eloquebatur, & paratus erat loqui. Militiæ verba, quæ in ipso desiderio, sumam de Vegetio: Agriculturæ de Varrone & Catone: Architecturæ, de Vitruvio, Medicinæ de Celso, Philosophiæ de scholis: sed ita sumam, ut imitationi, quam urgeo; nihil in commodem. Neque enim si reliquus sermo sui similis fuerit, vocabula quædam adscita & perspersa rarius, quæ vel necessitas peperit, vel usus emolliit, figuram universam corrumpere & depravare poterunt. Sed ne quis hinc libertatem vertat in audaciam, duo præscribo. *Primum*, ut quoad eius fieri possit. Cicero totus exquisitissimè referatur, & exprimatur. *Secundum*, ut extra Ciceronem nihil assumatur, quod non ingens utilitas necessitasve flagitetur. Utilitatem interpretor cum vim, lucem pondus securitatem apportat una dictio, quâ repudiatâ, vel obscuritas; vel error, vel offensio non modica bonorum hominum jure timeri debeat. Nempe apud Ciceronem, *Perpessio* non *Passio* invenitur: num propterea Christiani, non audebimus *Passionem* Christi totidem litteris & syllabis enunciare? *Per me quidem potius in Tiberim omnia Ciceronis opera conjiciantur, quam hujus unius dictiuncula jactura fiat.* Quare? sic enim increbuit jam significatio rei Sanctissimæ, & maximæ, ut non sit tutum abolere. Idem existimo de *Pænitentia*, quæ fortius & valentius Ecclesiæ Catholicæ sensum loquitur, quam *Resipiscentia*, quæ mihi videtur non solum infirmior, sed sono etiam jejunior. Jam verò quis nesciat, *Sacramentum* apud illos Ethnicos non idem significasse. quod hodiè apud Christianos? aut *vetus novumque Testamentum*, ex talium auctorum sententia, pro sacris Bibliis accipi non posse? Quid ergo? nomen antiquabimus? Confessio fidelium, & religio vetat. Aliquid etiam copiæ largientur, sed magna cum cautione, & in vocibus admodum luculentis, quæ licet nihilo plus efficacitatis, aut commoditatis afferant; tamen si dignæ videantur Ciceronis auribus, locupletandi sermonis gratia vivant; ut *gracilis* pro *tenui, strigoso, subtili, exili, exiguo*, cur damnetur? Cicero non habet, *Gracilitatem* habet, quæ proxima est. At *gracilitudinem* & *gracilentum* nolim, quæ nihil utilitatis, multum insolentiæ secum ferunt. Sed quoniam ad Ciceronis mentem in hoc delectu provocavimus, quid

ille

ille senserit eliciamus, ex eo quod fecerit lib. 2. divinat. *Soritem*, inquit, *si necesse sit. Latino verbo liceat. Acervalem appellare: sed nihil opus: ut enim ipsa Philosophia & multa verba Græcorum, sic Sorites satis latino sermone tritus est.* Ecce cum res postularet, finxit vocabulum, quantò magis uteretur jam factis, non à quolibet audaculo, & imperito, sed ab idoneis & disertis, neque semper, sed verecundè, nec ubique, sed suo loco. Hæc si tribuimus commoditati; inopiæ certè, & necessitati plusculum dabimus. *Vt fibula* Cæsaris, Ciceronis non est, qui tamen in Bruto dat eidem Cæsari de puro, & in corrupto sermone honorificum, & liberale testimonium: *Acetum frigorificum*, dixit Gellius. Alterum rectum est, alterum ineptum, neutrum Ciceronis; illud amplectimur, hoc reijcimus. Cum ergo deest vocabulum rei quotidianæ, vel satis usitatæ, quam circum loqui molestum sit, quis non concedat aliunde ex laudatissimis auctoribus esse petendum? ut sunt, *abstemius, accipiter accentus, abolitus*, & similia: quæ quidem incerta, nihil officiunt imitanti, imo paucissimis exceptis, eadem nihilo secius manebit phrasis, compositio, & figura styli semper eadem.

II. Phrasis.

Omnino servanda est unius locutio Ciceronis, nec ullâ societate scriptoris alterius, vel idomatis contaminanda. Labemur autem facilè in multis, nisi hanc legem sanctè custodiemus. Vulgus enim non ita diceret: *Propius absum. Contra rem meam venit. Abdo me in Bibliothecam. Moveor insolentiâ loci Quantum honoribus mandatum voluisti. Allegat illis homines nobiles. Tua prædia sibi depactus est &c.* In hac tanta elegantia, quam lucidus, quam planus est M. Cicero! Vtitur etiam peculiari cum gratia quadam certis particulis, ut: *A mendacio stare. A nobis est, mecum facit. Vnus de illis. De amicorum sententia. In ante Calendas. Pro templis. Ad urbem pugnatum est. Cum tum. Qui tum. Verò. Planè. Sanè. Quippe &c.*

III. Compositio.

Connectit etiam mirifica diligentia & varietate clausulas,

culas, atque periodos, ut: *Siquidem. Neque enim. Nisi forte. Sed quamobrem. Reliqua vero. An est quisquam. Quod si. Cur igitur. Atqui. Mihi vero. At enim. Perinde quasi. Quonam igitur pacto. An vero. Quid, quod. Huc accedit. Ad illa venio, Ad alia festinat oratio &c* Et hujus generis sexcentæ minutiæ, inter legendum minimè contemnendæ. Denique accuratissimus est in numeris

Illud moneo. Ne quis huic parti satisfactum putet, si (quales se novisse testatur Fabius) in fine posuerit, *esse videatur*. Quare ut opus expediam, concludo paucis.

Cum sit unum in quoque genere perfectissimum (quod si non sensu, mente tamen comprehenditur) unam speciem quoque, & idæam cœlestis eloquentiæ, quam sequamur à nobis esse contemplandam: ad eam Cicero sine controversia proximus accessit. Hujus ergo maximè ingenium, vim, motus, acumen, ordinem æmulabimur, alios interim non excludemus, qui beneficii satis, nihil apportant periculi. At in apparatu sermonis universo, in verbis, in phrasibus, ornamentis, solius M. Tullii similes esse cupiemus: nam etsi necessarias aliunde voculas rarò mutuabimur, nihilo tamen secius hunc solum, si volumus, in stylo referemus.

Quod cum faciemus, non homini donum hoc, sed præsenti Deo, qui fons est omnis scientiæ, referemus acceptum: multoque religiosius Christum in vita, quam Ciceronem in lingua imitari conabimur.

---

§. VI.

Quomodo verba & phrases Tullianæ transferendæ, mutandæ, convertendæ.

Iulius Pogianus de ratione imitandi.

DUo in Cicerone legendo mihi proponebam, *quid, & quomodo* diceret. In quo videbam interdum pauca multis explicari, interdum plura comprehendi breviter, & absolutè: sæpius eandem variari rem, ut cum idem diceretur, tamen commutatis verbis atque sententijs aliud dici videretur. Mirabar verò partium, & quasi membrorum pulcher-

cherrimam compositionem, qua sic alia ex aliis nexa & apta sunt, nihil ut Lectori possit esse jucundius.

Quid dicam de artificio vinciendæ orationis, denique copia, & quasi silva elegantium vinculorum? quibus cum multi, vel quasi compedibus quibusdam scriptiones suas colligent, vel ita dissolvant ac dissipent, ut capti membris corporis, ac ne corporis quidem speciem habeant. Sic Cicero res nectit & verba, ut sola ejus oratio liberè moveri, magnificeque ingredi videatur. Cogitabam verò etiam de singulis verbis, de conjunctione verborum, de eorum numero, atque forma. Qua in cogitatione mihi veniebat in mentem mirari, quænam esset causa paucitatis eorum, qui divinas Ciceronianæ orationis virtutes imitarentur, hujus autem erroris, & inscitiæ multorum, duplicem aliquando culpam animadverti. Sunt enim qui à Cicerone abhorrentes, se ad alios, nescio quos, scribendi magistros contulerunt. Qui quod judicium habeant, cum appareat, facilè negliguntur. Alii sunt, quorum est levius peccatum: imo verò non illi quidem cupiditate peccant, qui Ciceronis simillimi velint esse, si possint; sed consilii, & imitandi modo falluntur. Nam hi Tullii verba mordicus tenent, nec ullam ferè syllabam audent ab eo discedere, & dum verentur ne parum Ciceroniani videantur, illius etiam sensa totidem verbis transferunt in suas litteras, scilicet (quod miserrimum est) nunquam sunt in scribendo sui, sed ineptè ac putidè alieni.

Quid igitur eos in errorem induxit? Puerilis illa suspicio, quod sermonem Ciceronis in id modò convenire sunt arbitrati, ad quod ille semel accomodavit. In qua si ipse Tullius sententia fuisset, non jam eum copiæ atque ubertatis magistrum, sed inopiæ & jejunitatis doctorem haberemus. Quæ cum viderem, putavi mihi elaborandum, si modo id assequi possem, me ut ab illa balbutientium turba sejungerem, conjungeremque cum illis, qui planè & latinè loquuntur. Nam ut quisque mihi occurrebat Ciceronis lacus, illam loquendi formulam ad alia transferebam, & ejusdem, & alterius generis sensa, quasique unis ab illo sumptis vestimentis studebam vestire & ornare res innumerabiles. Exempli causa, quod hæc dictans legebam forte, *Publii Rutilii adolescentiam, ad*

opinionem, & innocentia, & juris scientia P. Scaevola commendavit domus. Quis prohibet eò traducere? ***Hannibalis Minalis adolescentiam, ad opinionem & Eloquentia, & Philosophia Flaminii Nobilis consuetudo commendavit.*** Vides genus.

Sed quoniam intelligebam, quædam esse sententiarum lumina quibus scripta illustrarentur, sumebam illa vel ab ipso Cicerone, vel à quovis; sed ita, ut in eadem exercitatione alia quadam ratione uterer ab illa superiore. Vt enim illic tanquam ex eadem cera multas fingebam imagines; sic hic quasi eundem hominem alio habitu vestiebam. Qua re fiebat, ut quæ ab aliis parta essent, à me inventa viderentur.

Sunt autem hæc ornamenta, & lumina sententiarum, ut: *Ne quid nimis, Latè patet invidia*; & hujusmodi sexcenta; quæ si ita efferas, *Tenendus est omnium rerum modus*, &, *nihis non occupat invidia*, quis tua esse neget? Huc pertinet illud Ciceronis, imitandos esse bonos fures, qui earum rerum, quas ceperunt, signa commutant. Vt enim illi pallium si cui furantur, ne id is agnoscat, ex pallio sagum faciunt: sic qui aliorum sententias commutatis verbis enuntiant, quæ communia sunt, propria facere videntur.

Neque verò non etiam conabar interdum quodammodo cum ipso Cicerone certare acumine contrariorum: ut si ille, *in lætitia doleo*; ego contra, *in dolore lætor*. Si idem dicat, *Tardius faceres*; hoc ego interpretor, *diligentius*. item, ipse *celerius*; id est, *negligentius*, in contrarium conversa sententia.

Quod institutum mihi si meo arbitratu diutius tenere licuisset, in hac laude fortassis aliquis essem; sed ab ea me consuetudine avocavit necessaria quædam barbaries, de qua nunc quidem nihil attinet plura scribere. Tibi certè, quid de tota hac ratione sentirem, significandum putavi: qui etsi scio quanta occupatione destinearis, tamen non dubito, quin pro excellenti tuo ingenio, proque eo, quantum profecisti in hac latinè scribendi ratione, cum istum graviorem studiorum cursum confeceris, huc redieris, teque in hac laude exercueris, brevi etiam in principibus futurus sis hujus facultatis. Quamquam aliquid interea asse-

quêre,

quære, si cum vacuus quotidie fueris à legum studiis, animi causa stylum prehenderis, & in hac exercitatione, quam dixi, subsecivas operas posueris. Sed quod mihi pænè exciderat, multa ex Cicerone tibi memoriæ mandanda sunt, & paranda tanquam magna supellex, tibi ut suppetat in variandis & mutandis sensibus multus & elegans vestitus orationis. Et quoniam, ut in victu & vestitu prius necessaria, quam voluptaria quærimus, sic in oratione propriorum primùm verborum, deinde translatorum copia comparanda est: haud scio an illæ ad Atticum Epistolæ, in quibus nulla est elaborata concinnitas, nullum exquisitæ voluptatis aucupium, plurimùm proficiant ad latinè, & emendatè loquendum. Quemadmodum nonnunquam etiam gemmarum vis, non tam arte disposita, aut distincta auro, quam pura atq; nativa delectat; ita latini sermonis ubertas sine fuco, aut peregrinis quodammodo deliciis orationis, in illis maximè probatur epistolis. Etsi hæc admonitio accommodata est iis, qui nunc primum in eam rationem ingrediuntur, tibi, qui tantum jam scribendi exercitatione profecisti, fortasse minus est necessaria. Cum igitur tibi, ut nunc est, facultas non sit, ex illis optimos leges, & edisces, quæ multum te delectabunt, & scriptionem tuam adjuvabunt.

§. 6.

Quemadmodum Ciceronis imitatio per adjectionem, detractationem, aut commutationem, &c. instituenda sit.

Q. Marius Corradus Vritanus Lib. XIII. de Lingua Latina.

SIqua tradi certa ratio potest imitandi, illam video probatam à doctissimis veterum, quam plurimis illorum exemplis cognitam, à bonis ingeniis animadversam; ut vel ordo mutetur, vel pluribus verbis, vel paucioribus, vel mutatis, vel contrario, vel simili modo res dicatur. Esto enim ex M. Tullio principium illud Epistolæ ad M. Varronem: *Ex ijs literis quas Atticus à te missas mihi legit, quid ageres, & ubi esses cognovi.* Inversione ordinis cavendum, ne quid perturbatè dicamus. Permissum est hoc igitur, quoties non repugnet natura; ut: *qua*

valetudine quibusvè in locis esses, certior sum factus ex illis litteris quas à te Atticus accepit. Nihil obest imitationi, si quod verbum, aut sententiæ pars relinquatur. Explicare autem hæc pluribus, nihil erit negotii, cum singulis etiam ex verbis, singula, vel plura argumenta, ducere soleamus; ut: *Ex proximis tuis litteris, quas Atticus familiaris meus ad se amantissimè scriptas, ex mandato tuo, mihi legit, id quod vehementer scire cupiebam, ubi locorum esses, & qua valetudine uterere, cognovi.* Poterit hoc dici etiam plenius. Verum solet hoc genus in vitium incidere ineptiarum, si pluribus verbis, vel majore numero ac sono orationis, quam par est, sententia oneretur. Contraria huic illa ratio est, si multa in pauciora contrahimus, ut: *Ex tuis ad Atticum litteris de te cognovi.* Nec una est via, qua ex multis pauca, ex paucis multa facere possimus. Inter alias numerantur, cum vel totum, vel genus in partes formasque dividimus; vel cum pro his, contrà, ipsum genus, vel totum ponimus. Illa quoque est ratio Aristotelis, ut breviter cum dicere volumus, nomen pro definitione: cum verò placet idem uberius explicare, unius loco nominis tota nobis & plenior definitio repetenda est. Aliis verbis idem variabimus hoc pacto: *Ex epistola quam Atticus à te accepit, ad qua loca veneris, ac de tuo statu sum admonitus.* Mille modis eandem sententiam licebit immutare; qua ex re imitatori, ex optimis autoribus optimæ sententiæ suppeditari poterunt: quod apud animum cujusque multò majoris debebit esse momenti, quam de verbis laborare. Esto enim, in verbis & concinnitate orationis plurimum ponatur; sæpius tamen fit, ut cum adsint hæc duo, inepta sint & ridicula, quæ scribuntur. Itaque prior cura ac diligentia sententiarum, secunda sit verborum, tertia componendæ orationis. In prima, quis non videt, quantum veteres & M. Tullius præcipuè, ac Virgilius laboraverint? Hoc maximè Cicero à Demosthene, Platone, ac ceteris; hoc propè solum Virgilius in Homero, suisque autoribus, sibi imitandum putavit. Quare non sumptis de medio ac de trivio sententiis agendum; sed urbanis, acutis, & plurimùm in scriptis veterum consuetis assuescendum erit. Vertere in contrarium sententias cum opus, quivis facilè poterit, ut: *Nec literas à te mihi Atticus legit ullas, nec ego de te ac rebus tuis, quibusvè in locis esses, à quoquam scire potui.* Similia denique

sunt,

funt, quoties non eadem, sed paria de propositio nobis exemplo ad rem accomodamus; quale est: *Ex iis quae mihi tuo nomine Dolabella pueri nuntiaverunt, de mei adventu fratris, & commutate statu rerum, omnia cognovi.* In hac exercitatione memoria opus est illustrium ex M. Tullio ceterisque magis autoribus locorum, quae pueri eloquendo, vel scribendo recordentur, & aliquo ex his, quibus dixi modis, in suam orationem, suumque jus aptissimè convertant. Fiet enim, ut (quemadmodum omni in sermonis genere discendo accidit) quae dicimus, non furto ac per injuriam ab aliis surrepta, sed nostra, & nobiscum esse nata videbuntur. Cumque sex ea sint, quae imitando spectari oporteat *inversio, additio, detractio, immutatio, contrarium, simile*, possunt eadem nos gravioribus etiam in rebus adjuvare. Sive enim carmen, sive historia scribatur, sive oratio, seu quidquid mandari solet litteris, locos etiam integros, & argumenta librorum quibimus imitari. Ac ne fieri quidem potest, quin saepissimè tractemus, quae ante nos alii scripserunt. An summi viri summaeque virtutis imaginem sibi Virgilius non describendam putavisset, quia idem Homerus anteà fecisset? Non agrorum cultus, non item alia, propter Hesiodum ac Theocritum attigisset? Item ceteris de rebus, deque Philosophia, & omni scriptorum genere dici potest: sed nobis manendum est intra fines & exempla Oratorum ac Poetarum.

Plautus igitur & Terentius Graecorum fabulas in Latinum sic vertebant, ut sibi hanc ipsam rationem, quae demonstrata est, sequendam putarent. Imò etiam non aliter Latini ipsi Latinos, & Graeci Graecos imitati sunt: & nos ipsi tractantes nostra his modis, unum atque idem argumentum in res plurimas variabimus, ut Menander apud Terentium ex Andria Perinthiam fecit, quae duae fabulae inter se oratione tantùm, ac stylo differrent. Nostri autem Graecos imitati sine controversia id praestiterunt, quod M. Tullius Tuscul. 1. verissimè scripsit, *Nostros aut per seipsos invenisse sapientius, quam Graecos; aut accepta ab illis fecisse meliora.* Sed jam satis haec iis qui se primis in literis exercent.

Conclusio Autoris.

Habes, mi Lector, optimam imitandi rationem, quàm quidem tiro Romanæ eloquentiæ spectare possit. Ex gravissimis illam elegantissimisque scribendi Magistris, quam meo solum ex calamo depromere malui; ut simul intelligas, quam quisque illorum, ad tantum scribendi nitorem, quo Ciceroni plures vix concedunt, viam rationemque secutus sit. Nec paria desperes, modo eandem non asperneris; principio duriorem & spinis quibusdam obsitam; verùm amœnam deniq; florentemque senties, quæq; ipsum scribentis calamum rapiat, animumque liquida quadam suaviter fluentis orationis dulcedine teneat. Plura quæ ad imitationem Ciceronis facient in altero opere *Palæstra Oratoria* ad eloquentiam absolutiorem accommodata, exspectes, præsertim lib.1. c.18. & c.31. ac seq.

Interea his tuo emolumento, meo labore provocatus fruere.

LI.

LIBER II.

De Elocutione ejusque characteribus ac styli diversitate.

CAPUT I.

De fontibus Elocutionis & inprimis vocum.

ADolescentes ad eloquentiam informamus, quibus antè rectè loquendi quàm inveniendi præcepta conveniunt: hoc enim plus ingenii judiciique: illud plus artis industriæque possidet. Quocirca hinc jure auspicantur. Ut verò suis è locis fontibusque derivatur Inventio; ita etiam hac in arte manat Elocutio. Quare eos universim prius designare, quam hauriamus è singulis operæ pretium duxero. Horum enim cognitio faciet, ut qua quisque ad Eloquentiã via propius veriusque queat insistere, haud gravatè cognoscat, neque in quodvis sese legendi scribendive studium vagus incertusq; immittat. Compertũ enim est plures magnis frustra laboribus hoc in campo desudasse, neque tamen, nisi perparcè, ac penè sine gestu ex his Musarum fontibus delibasse; quod aut viâ ad hos regia absisterunt, aut vim modumque ignorarent.

Duo inprimis sunt eloquentiæ studioso necessaria, copia verborum ac sententiarum tum delectus, ut eleganter juxta & ornatè loqui possit.

Delectus sine copia non potest institui; elegantia & ornatus sine delectu non haberi Pro utraque hac facultate expeditius paranda, Principia quædam; fontium à me nomine sumpta, statuenda esse dixi. Horum alia in Vocibus, alia in Phrasibus, alia in sententia ac Periodo reperiuntur,

Voces, quæ ad constructionem aliquam adhibentur, omnes quidem expendi possunt ac debent, inprimis tamen nomina ac verba, quod ab his non minus copia, quàm ornatus petatur.

I. *Fons*, Copia vocum.

Quamvis vocum copia, è Lexicis ac Dictionariis, longo studio, à rudioribus petenda sit; tamen & longo usu exercitatis evenire solet, ut quandoque siccitate nimia, aut calamus, aut lingua exarescat, præsertim ubi eadem de re prolixior sermo, varietatem aliquam dicendi postulat. Cum autem in hoc fonte, nominum præcipuè, tam substantivorum, quàm adjectivorum copia quærenda sit, quod verborũ facilior apparatus affluat, in Poeticis meis huic facultati operam dedi. Ita lib. 2. c. 3. pleraq; substantiva eandem ferè rem, aut affinem significantia in versum unum alterumve, memoriæ causa, illigavi Sic amorem impurum variavi.

Flamma, Cupido, Venus, Furor, ac Lascivia, Luxus, Luxuria, Illecebræque, Libido, Protervia, *Amores.*

Et sic de ceteris substantivis rerum Præcipuarum. De epithetis verò sive adjectivis ib. c. 8. actum, ostensumque ex persona, rei natura, eiusque adjunctis, ut actione & passione, quantitate ac qualitate, loco ac tempore, ea petenda esse. Quæ breviter hoc versu complexus sum.

Quis? quid? agens? patiens? quantumque? ubi? qualia? tempus.

In re ipsa considerantur materia & forma, efficiens & finis; quæ sola ex se uberem præbent epithetorum copiam. Verùm hæc revocare hoc loco non placet. Consultat, qui volet; sed cum eo delectu qui Oratorem decet. Vniversim pro Vocum copia hic monuisse juverit.

1. Singularia semper per magis generalia variari posse. Sic *Eloquentia* etiam *ars, scientia, disciplina, doctrina, eruditio, facultas, &c.* appellari poterit: modò per adjuncta alia sensus vocis adstringatur; ut *facultas disertè loquendi.* Quandoque etiam per magis singularia variatur, sed cum vocis alterius adjectione, ut *facundia lingua.*

2. Per

2. Per opposita & negationes frequenter rerum voces mutantur ut si *doctus* varies, *non indoctus, non ignarus, non nescius, minimè rudis, ignorans, &c.* Quæ duæ regulæ, ut pro nominum, tam substantivorum, quàm adiectivorum; ita & pro verborum, adverbiorumque copia faciunt. Vt bonis artibus *studet, operam dat, laborat, desudat, sese impendit, invigilat,* &c. *Strenuè, non ignaviter, non desidiosè, non segniter* &c. Iam si quæ maior tibi Epithetorum copia placeat, neque prius dicta satis assequaris, ex usitato hæc carmine licebit petere.

Quis? quid? ubi? auxilium? quoties? cur? quomodo? quando?

unt etiam ex locis proprijs inventionis. Non quod è singulis necessariò traducenda sint? sed ab his, aut illis, plura etiam pro rerum natura sufficiantur. Ita Eloquentiæ *studium,* ab autore Rom. præcipuo *Ciceronianum*; ex natura rei, si materiam spectes, *literarium*, si formam *liberale*, si finem, *honestum, utile, jucundum*; si effecta in moribus, *ingenuum, cultissimum, humanissimum*; adiuncta, *frequens, laboriosum, difficile, amœnum, florens*, &c.

II. Fons vocum proprietas.

Cum in vocum copia, non quævis omni loco serviant; delectus quidam instituendus est. in quo acerrimum limatissimumque Ciceronis est judicium. qui cum elegantiam nitoremque singularem in verbis ubique, tum & proprietatem, nisi res aliud ferret, est consectatus, adeò, ut nonnulli velut barbarum aspernentur, quod Tullianum non fuerit; sed ut in Cicerone judicium veneror, ita in his requiro. Cùm, quidquid in Romana proprium cultumque lingua, Ciceroni id omne affluere in calamum nequiverit; ut qui res plurimas scribendo nunquam attigerit. Quare primi alteriusque etiam seculi autores in societatem huius linguæ ita admittendi sunt, ut Ciceroni in eadem cum illis materia differenti præcipui honoris prærogativa concedatur. Videndum igitur, quem hi sensum vocibus proprium dederint, seu potius tradendum posteritati acceperint, ne cum alijs vocibus sibi affinibus per abusum confundantur.

Sic e.g. *ægrotatio* corporis, *ægritudo* animi est. *Anima* est qua vivimus, *animus* quo sapimus, & volumus. *Agimus gratias* verbis, *habemus* animo, *referimus* opere. *Acta* rei ferè sunt privatæ, *gesta* publicæ. *Miramur* opera, *admiramur* virtutes. *Assequimur* celeritate & voto, *consequimur* tardè & studio, *prosequimur* ordine, *persequimur* iniuria, *obsequimur* officio. *Asper* tam in moribus, quàm rebus est. *Adversum* te venit adversarius, *adversus* qui occurrit, *Aggredimur* de longinquo, *adorimur* ex insidijs. *Amare* vehementis affectus est, *diligere* remissioris, & semper cum ratione; *deligere* est ex multis aliqua sumere. *Amicus* in re honesta, *amica* in turpi dicitur. *Assentamur* verbis, *adulamur* etiam servitio, *blandimur* præterea tactu. *Asserimus* quod affirmamus, *asseveramus*, quod gravius asserimus.

Comes in via, *socius* in negotijs, *sodalis* in voluntarijs, aut jocosis, iungitur, *assecla* potentiorem sequitur. *Conciliamus* amorem & amicos novos, *reconciliamus* veteres, *inimus* gratiam. *Copia* res abundans, seu facultas, *Copiæ* exercitus sunt. *Ædes* in singul. templum, in plur. domus. *Commodamus* servum aut librum, *accommodamus*, id est, aptamus, *mutuò* damus, quod in se non recipimus, ut pecuniam vinum &c. *Circumsistimus* ex improvisò, *circumstamus* quiete. *Credimus*, pecuniam, *committimus* negotia. *Charitas* luminis, *claritudo* generis est. *Cedo* rem immobilem, *Do* mobilem. *Confiteri* necessitatis, *profiteri* est voluntatis. *Contemnere* levius, quàm *despicere*: *Cavere*, quàm *vitare* est.

Decus honoris est, *decor* formæ, *decorum* actionis.

Epulum solennius, quàm *epulæ*. *Vigiliæ* tantùm noctis, *excubiæ* etiam diei sunt. *Exercitus* quisquam laboribus, *exercitatus* studijs dicitur. *Exemplum* sequimur, *exemplar* imitamur *Exanimatus* est perculsus tantùm, exanimus mortuus. *Exspectatio* rei popinquæ, *spes* ferè remotæ est.

Facimus rem gratam, divinam &c. non agimus. *Factione* cives inter se, *seditione* à dominis dissident. *Fama* rei antiquæ, *rumor* novæ est. *Ferox* cum ratione sævit, *ferus* ut brutum, *fiducia* tantum in bona, *confidentia* etiam in mala est. *Fingimus* ex nobis, *effingimus* imitando. *Flemus* tacitis lacrymis, *ploramus* cum voce, *ejulamus* incondita voce muliebriter, *lamentamur* dolorem simul aliis exponendo, *gemimus* tantùm suspirando, *Figura* artis est, *forma*, naturæ *fidus* amicus est, *fidelis* servus. *Fulgur* est ignis coruscans, non émissus,

missus, *fulgetrum* vel *fulgetra*, tantùm leviter præmicans *fulmen* cum vi emissus, *fulguritum*, quod igne tactum est *Falsum* est quo res tegitur, *fictum* quod factum non est, *vanum* quod nec fieri potuit. *Fratres* qui alterutrum habent simul parentem, *Germani* sunt qui utrumque. —

Gloriosus non sine causa est, ut est *gloriator*. *Gratificamur* tantùm minoribus, grata faciamus majoribus, *Gremium* mulierum, *sinus* etiam virorum. *Gaudere* tantùm in bonis, *lætari* etiam in malis possumus. *Genus* ad decus majorum spectat, *gens* ad seriem & multitudinem.

Habeo orationem, non facio: *facio* verba & sermonem, non habeo. *Honor* dignitas ipsa est, *gloria* honoris merces, *decus* ipsa pulchritudo, *Laus & fama* ejus prædicatio.

Iratus & *ebrius* ex actu, sicut, *iracundus* & *ebriosus* ex habitu sunt. *Inquilinus* in aliena, *incola* in proprio habitat. *Infamia* ex multorum sermone, *ignominia* à Judice imponitur. *Instituta* sunt boni mores, Institutiones ipsæ præceptiones. *Inhibemus* rem jam captam, *prohibemus* incipiendam. *Insania* ex quodam habitu, *furor* ex impetu est. *Invidia* habitus etiam passiuus, *invidentia* actus est. *Innocens*, qui non est nocens, *innocuus* qui illæsus est.

Latebra hominum sunt, *latibula* ferarum *Licentia* est libertatis abusio, *venia* pro noxis petitur, *facultas* pro rebus faciendis. *Lex* scribitur; *jus* etiam non scriptum complectitur, sed rigidè exigit, *æquum*, atque *æquitas* nonnihil remittit. *fas* ad religionem spectat. *Lepidus* in moribus, *facetus* in verbis, *jucundus* qui his atque illis alios recreat. Lepos in sermone, lepor in rei gratia est.

Metuimus serviliter, *pavemus* pueriliter, *veremur* liberè, *timemus & formidamus* mala. *pudet* honestos de malo, *verecundi* etiam sunt in bonis. *Meret* quis preciũ, *meretur* gratiã aut præmiũ, *commeretur* pœnã; *demeretur* amicos, *emeretur* ut miles &c. *Memoriter* complector, repeto, recito; *memoria* teneo, non contra. *Messis* est seges, & messio: *sementis* satio, *semen* quod iacitur, *seminarium* locus plantarum educandarum. *Miserari* est condolere, *misereri* etiam subvenire. *Ministerium* & *servitium* ipsa opera est, *Ministeria* & *servitia* etiam servi.

Necessitudo sanguinis & meritorũ est, *necessitas* legis aut naturæ. *Nuntiatur* res à longe, *denuntiatur* præsens, *renũtiatur* acceptæ cõditioni. *Nemora* sunt sylvæ minores ad recreandum

dum, *saltus* pecudum, *lustra* ferarum, *luci* umbrosæ sylvæ.

Obses quasi pignus alteri datur, *vas* spondet in gravioribus, quasi pro alio ad judicium vadere paratus, *fidejussor* in levioribus, *Præs* rogatus pro alio præstat, stipulator ab alio promissionem exigit; sic *stipulor à te* activè usurpatur, ut infra. *Ostentum* est res insolens, ut si mare ardeat. *Portentum* quo aliquid præsignificatur; *Prodigium* quo res diræ prænuntiantur, *Monstrum* quod contra naturam est. *Oscula* officiosorum sunt, *basia* pudicorum, *suavia* libidinosorum. *Oramus* suppliciter petendo, *rogamus* etiam instando, *obsecramus* iram deprecando, *postulamus* debitum, & *poscimus* etiam imperiosè, *flagitamus* idem obnixè, *expostulamus* cum querela amici officium, Patrueles ex duobus fratribus, sobrini ex sororibus, consobrini ex fratre & sorore sunt.

Prisca superiorum seculorum sunt, *pristina* nostrorum olim annorum *Pasci* pecudum, *vesci* hominum est. *Pernicitas*, & *velocitas* pedum, *celeritas* etiam mentium, *agilitas* membrorum & motus. *Pollicemur* spontè, *promittimus* rogati. *Primus* è multis, prior è duobus est.

Quærimus disciplinam, *inquirimus* de quo dubitamus. *Querela* sine causa, *querimonia* cum fundamento est. *Quarto* consul, scilicet loco. *Quartùm* consul, hoc est, toties.

Rixa inter duos, *turba* in cœtu, *pugna* etiam in verbis est, *prælium* non nisi in armis. *Rogare* legem, est petere à populo, aut accipiat; quæ *antiquatur*, si non admittat *Derogatur* & *obrogatur* legi, si petitur ut populus irritam esse velit. *Ripa*, fluminum, *litora* maris, *Ora* utriusque. *Reperimus* nostra, *invenimus* aliena. *Recipimus* rogati, *suscipimus* ultro. *Restituimus* ultrò, *reddimus* postulati.

Saturare ad gustum, *satiare* ad omnes sensus spectat. *Super* nobis contiguum, *supra* remotum est. Sic contra *subter* & *subtus*. *Sensus* sentit, *sensa* quæ sentiuntur. *Simulamus* quod nescimus, *dissimulamus* quod scimus. *Silet* qui loqui desinit, *tacet* qui ne quidem cœpit. *Superbia* in divite à superhabendo, *arrogantia* etiam in paupere. *Salubre* ad locum & cibum, *salutare* ad consilium & factum spectat.

Tergum hominis, *tergus* pecoris est. *Temperantia* animorum, *temperatio* rerum, *temperies* aeris est.

Vendico mihi quod assumo, vel tribuo placidè, *vindico* quod lite postulo aut etiam evinco. Unde est *vindicias* secundum libertatem, vel servitutem *postulare*, sive vendicare

in libertatem &c. Hæc ut minus obvia, observatu tamen digna ex Varrone, Non. Marcello, Servio, Pædanio alijsque notare breviter placuit, ut longo inquirendi labore alios liberarem.

Non tamen existimandum est, hac sua voces proprietate ad rem tantùm unam significandam adhiberi posse. Nam eadem non tantùm diversa, sed quandoque & opposita propriè designant, ut *hospes* eum qui recipit, & qui recipitur *Sacer* & venerandum, & execratum: *Altium* & elatum, & profundum: *Vltus* vindicantem, & vindicatum: *Vector* portantem, & portatum: nam vectores in navi feruntur. Iam si diversa spectemus, una vox *ago*, quot rebus propriè adhibetur! sic Cic. dicit Agitur salus, aguntur iniuriæ, agere animam, ætatem, festum diem, agere lege, agere furti cum aliquo, agere histrionicam, agere forum &c. Quæ ad linguæ latinè puritatem elegantiamque ac varietatem inprimis faciunt, & translationis rectè usurpandæ sunt fundamentum.

III. *FONS vocum translatio.*

Eximium orationis est ornamentum apta vocum translatio, quæ à re simili petitur, vel illustriori cum rem extollis, vel ignobiliori si deprimis, quod simile quantò est aptius, tantò major gratia metaphoræ est. De quo ornamento cum prolixius egerim in Poeticis l. 2. c. 4. 5. 6. & 7. & infra quædam dicturus sim, hic pluribus abstineo. Illud hoc loco moneo, alias ab historijs, fabulis, ac veterum ritibus translationes duci: alias ab ipsis rerum similium naturis: atque ab utrisque illam Proverbiorum manare copiam varietatemque, quibus Romanus sermo, in epistolis Dialogisque, ac vulgari quavis oratione efflorescit. Qua re semel perspecta, minus nobis difficilis hic apparatus futurus est. E. c. Adulator, *Chamæleon*, aut *Polypus* dici potest, quia ut illi colorem, sic ipse vultum sermonemque variat: *Canis* quoque & *Siren*; quia blanditur voce ac gestu. Arrogans, *tragicè cothurnatus, Lepus galeatus, Gallus in sterquilinio.*

Garrulus *Cicada, Rana, Archyta crepitaculum.* Disparitas sic exponitur. *Asinus ad lyram Graculus ad fides. Asinus in pelle Leonis, Simia in purpura. Aquilam noctua comparas. Testudi-*

studinem Pegaso. Cantum Lepori &c. Hunc ornatum, in te nurori scribendi genere, ex metaphoris potissimum habes At in charactere mediocri, illius translationis præcipua vi est, quæ ex sola rerum natura petitur; quod per hanc oratio ad illam, quam hic requirit, dignitatem splendidè culta as surgat. Ita e.g. Cic. eleganter in Epist. dicit *exulceratus animus Temporum tristitia Nihil amicitia largior, nihil virtute vego.* Et in Paradox. *Reguli animus tot præsidio virtutum munitus tantoque comitatu circumseptus, cum corpus ejus caperetur, certè capi non potuit*; longè dictum illustrius, quàm si dixisset: Reguli animum virtute præditum corporis vinculis intercipi non potuisse. Et 7. in Verrem. *Errabas Verres, & vehementer errabas, cum tu maculas tuorum flagitiorum innocentum te sanguine eluere arbitrabare, præceps amentia ferebare, qui te existimabas avaritiæ vulnera, crudelitatis remedijs posse sanare.* quod sanè dictum præstantius, quam: Errabas, cum tua te flagitia aliorum morte extinguere, tuam avaritiam crudelitate tegere posse, credidisti. Hanc itaque dignitatem metaphoris illa debet oratio. Quam qui in his alijsque locis assequi scribendo voluerit, is similibus easdem rerum sententijs frequenter aptet, & magna se denique facilitate paribus affluere sentiet.

IV. FONS vocum rariorum opportuna inductio.

In vocibus aliæ antiquæ sunt, quarum usus inveteravit, aliæ novæ artium rituumque novorum inventione susceptæ, aliæ sono graves atque à familiari usu remotæ; aliæ leviores vulgarisque sermone tritæ Accedunt his etiam quædam poeticæ, quædam sordidæ voces. Singularum non ubique, sed locis opportunis usus esse poterit. Quod discrimen observasse, magni, ad eloquentiam interest. Sic *creduis* pro credas, *occepso* pro incepero, *interraxero* pro extraxero, ætate obsoleta sunt, in comœdia tamen lepidè ita Plauti exemplo utemur.

Nunquam tu mihi divini quicquam creduis post hunc diem.

Ni ego illi puteo, si occepso, animam omnem interraxero. id est quam exhausero.

Quià & opportunè nonnulla solutæ nonnunquam orationi indulgentur extra scenam, ita Ciceroni *adipatum*, id est, pingue, *adhamare*, id est obligare, *Debitio* id est debitum, *Dicacitas*, *Catus*, id est sapiens, placuêre, ita si *adminiculare*, id est adiuvare cum Varrone, *aurigari* cum eodem, *effuctire* cum Terent. *cinefactus cernuus* cum Lucano usurpaveris, extra vitium stare poteris.

In comœdia verò, *Apisci* pro adipisci, *apluda* pro furfuribus, *Autumnitas* pro autumni tempore, *Aritudo* pro ariditas, *Albitudo* pro albedo, *Adolescenturire* pro repuerascere, *Adolescentiari* pro luxuriari, *Abiugare* pro separare, *Ardum* pro aridum, *Adaxo* pro adigo, *Æditimor* pro ædem tueor, *Attigo* pro attingo, *Augifico* pro augeo, *Amasso* pro amavero, *accreduo* pro credo, *eruscare*, id est æs cogere, *Aggrediri* pro aggredi, *Adiuta mihi* pro adiuva me; *Anquiro* pro inquiro.

Betere pro ire, *blitea* pro inutilis, *Baubare* pro latrare, *Bivirae* pro bis conjugatis.

Danunt pro dant, *Deblacterare* pro stultè loqui, *Deiervare* pro obesse, *delenificus* pro blandiloquus, *depeculasso* pro depeculor, *Dividia* pro discordia.

Evallare pro excludere, *Egurgitare* pro exhaurire, *Expalpare* pro elicere, *Exdorsuare* pro dorsum confringere, *Expectorare* pro ex pectore loqui.

Contollere pro contra tollere, *Catillones* pro helluones, Ceritus pro furiosus, *Comedim* pro comedam, *Concipilasti* pro compilasti, *curriculo* pro cursim, *cruciabiliter* pro miserè *celeranter* & *celeratim* pro celeriter. &c. plura ejusmodi apud Nonnium & Festum reperies, ex quibus illa in primis quæ Terentij & Plauti sunt pro Comœdijs erunt seligenda. Sed neque ipsa universim nisi cum delectu probavero, quare hæc in exemplum apponere placuit, ut memineris propinqua nostris vetera deligenda esse.

Novarum vocum in Philosophicis, Theologicis ac sacrorum ritibus usus, minus quidem perite inductus est ab hominibus cultioris literaturæ negligentibus; sed frustra torrenti obnitemur, nam ut Abbatis, Canonici. Baptismi Missæ, Officij, Vesperarum, Laudum, Agni Dei, Epiphaniæ, Pentecostes, Concionatoris Confessarij, Confessionis &c. nomina abroges, utque in Philosophia subsistentiæ. Entis rationis, prædicabilium &c. voces tollas, hoc est Oceanum

num, suis velle abstrahere sedibus. Quare hæc toleranda sunt, cum civitate donata jam ex usu videantur. alijs tamen non necessariis barbarismis abstinemus, quos ex patrio multi sermone trahunt: ut cum dicunt *disciplinas facere*, hoc est, flagris se multare, aut flagellis in se animadvertere, *Convertere se*, pro resipiscere, *facere Crucem*, pro signo crucis se munire, *Facere primitias*, hoc est, primam Deo hostiam immolare, *Mortificare se*, id est, cupiditates frangere, *Degradare* sacerdotem, id est, exauctorare.

Porrò novæ omnes illæ voces existimandæ sunt, quæ recens, non tam necessitate, quam licentia quadam novandi, aut imperitia scriptorum introductæ sunt, quæ meritò Romano foro arceantur, ne pro linguæ incorruptæ puritate, sensim in illo barbaries dominetur. Hinc vitanda sunt *Apparentia*, *Abbreviatio*, *Appropio*, *Appropratio*, *Assuefactio*, *Argumentatio*. *Acceptio personarum*, *Bursa*, *Braxare*.

Carentia, *calceo*, *calculo*, *cadentia*, *capitosus*, *caputium*, *Cervicosus*, *Coincidit*, *compatior* & *Compassio*, *Concausa*, *Concoctio*, *Condolentia*, *Contentor*, *Contingens*, *Contributio*, *Contribulis*, *Cordialiter*, *Curabilis*, *Curvitas*, *Consummatus*; *Correspondentia*, *Collatio* pro ientaculo. *Componista*, *Copia* pro exemplo, vel apographa, *Confortare*, *confabulatio*, *coadiutor*, *consodalis*, *consocius*.

Deceptorius, *Deauratus*, *Deforis*, *Delectabilis*, *Derisio*, *Deputatur*, *Dictamen rationis*, *Diescit*, *Disconveniens*, *Discordãtia*, *Deprador*, *Desolatio*, *Divisibilis*, Dubitabilis, *Dubium* pro controversia, *Dispensare*, id est, gratiam facere.

Effectiuas, *Euagino*, *Expergesio*, *Expensa*, *Extraordinarius*, *E contra*, *E converso*, *Exemptio*, *Extractus*, pro epitome.

Festiuus, *festivitas*, ad sermonem spectat, non ad diem: *Fictitius*, *Frigesacio*, *Frigesio*, *Fructifico*. parum usitata sunt. *Frangere jeiunium*, pro solvere, *testamentum*, pro rescindere, *Finantias facere*, pro versura.

Glorifico, *Generatio*, id est, ortus, vel seculum. *Generaliter*, id est, generatim.

Immediatè, id est, proximè. *Incessanter*, *Insufficiens*, *Intimare*, *Innaturale*, *Neutralis*. *Notorium*.

Possibilitas, *Principaliter*, id est, præcipuè, *Prodigalitas*.

Rationabiliter, *Recapitulare*, *Recommendo*, *Rigorosus*, *Supervivo*.

Vacan-

Vicecomitia, Vicerex, Vicecomes, id est, Prorex, Procomes. *Vsi-nalia unigenita*, id est unigena ut Cic. Et his similia, quæ veterum probatorumque autorum lectione potius, quam certa præscriptione observari poterunt

Certè ex ijs quæ Nizolius Buchlerus alijque nonnulli, tanquam barbara proscripsere, decima quæque vox, hanc censuram vix merebitur, quid enim v. c. abominor, acervo, adoro, altercor, ambages, aliaque id genus vocabula, in Romano foro deliquere, ut donari civitate non possint? neque enim solum, his Ciceronem usum non esse, ad proscriptionem sufficit. Licet etiam nemo veterum, *incurabilis, inconsideratio ingratitudo* &c. usurpaverit; tamen cum Horatio *incuratus* & Ciceroni *inconsiderantia* placuerit, sæpe etiam necessitas has voces extorqueat, deficientibus pari significatione ceteris: non est aut illa communi originis lege ab ijsdem orta radicibus eliminentur. Quare judicio multa lectione exculto ad hunc vocum delectum opus est. Aliquando neque ipsa Ciceronis autoritas suffecerit, uti l. 2. de Rep. cum *anxitudo* dixit, & ad Q. fratrem, *quod me admones de non curantia*, & *silva viridicata*. Et Attic. l. 2. *asso sole* pro sicco, nolim facilè imitari. Ratione igitur quandoque hæc res, non solis exemplis est definienda. Porrò quæ voces graviores sint, infra intelliges. De poeticis suo loco egimus. Sordida, nisi in oratione, aut descriptione, sordidorum hominum, locum non invenit. Virtutum quædam vocabula, ut Humilitas, Gratitudo & tum in Ecclesiæ usum introducta ad ritus festosque dies, atque officiorum exprimenda nomina, temere à quibusdam, incertis atque indistinctis vocibus, permutantur, qui tum demum se præclarè loqui arbitrantur, cum sacris profana adhibent, & nec Sacramento quidem ulli suo in sermone locum esse patiuntur. Apage ridiculos hosce censores.

CAPUT II.

De Fontibus Sententiarum, quas phrases vocant.

NOn satis est vocum degustasse fontes; & sententiarum nobis riuuli explorandi sunt. Quibus eodem penè insistemus ordine, ut nec copia jejunos destituat, nec incultos elegantia.

I. Fons. Phrasium ac sententiarum copia.

Quamvis vocum apparatum, is, qui sententiarum est, facilè consequatur: tamen hic iuverit illa non ignorare, quæ in Poeticis lib. 2. c. 11. tradidimus. ubi ostendimus, qua ratione ex substantivis, atque in primis adiectivis quælibet phrasis possit variari, quæ facilis planè via est, & ad iuventutis instructionem accommodata. ad quam studiosum lectorem remitto.

Altera variandi ratio, plerumque adstricta, per syntaxin est. ut *vir multâ eruditione*, vel, *multa eruditionis*, vel, *magna est viri eruditio, Multum in viro est eruditionis. Natus est ad eruditionem*. Tertia variandi ratio est, per synonimorum substitutionem; quando vel aliquibus, vel singulis vocibus, alia ejusdem significationis vox subrogatur: ut, *est praclara, eximia, nobilis, illustris; doctrina, sapientia, experientia, cognitionis*. Quod idem in verbis locum habet, ut *doctrinam*, vel, *literas, hausit, exhausit, complexus est, callet, tenet possidet*. Possuntque hæc in se mutuò resolui, & quidem si adstringenda fuerit oratio, pro illo, *vir multa eruditionis*, dices, *vir multum eruditus*: & contra ubi laxanda dictio fuerit, ex verbo, aut adiectivo substantivæ voces eliciendæ sunt, quæ illustriorem sermonem reddunt.

Quarta variandi ratio per appositionem fieri poterit, & 1. quidem adverbiorum, ut *vir perquam doctus, mirum in modum, multùm, oppidò, inprimis, plurimùm certè, sanè, maximè, impensè, eximiè, exquisitè magnopere apprimè &c.* 2. per appositionem epithetorū, ut *est in homine doctrina singularis*

ra, rara, illustris, incredibilis, divina, &c. 3. per appositionem aliorum substantivorum, quorum deinde alterum in genitivo casu efferatur, ut *humaniora literarum studia diligenti cura prosecutus est. Politioris literaturæ elegantiam sectatur, omnis eruditionis egregiam est laudem consecutus. In omni liberali artium disciplina egregiè versatus est.*

Quinta ratio per quandam cum aliis, aut similibus, aut dissimilibus, comparationem institui poterit. Cui hæc aliaque ejus generis pronomina servient. *nemo alius, nemo ullus, haud nullus, haud quisquam.* Hæ etiam particulæ. *Ita ut, Perinde ut, ac vel atque, Æque ac. Tamquam. Si quisquam. Adeò ut.* &c. *Nemo omnium iam exquisita in scribendo elegantia est, quàm Cicero. Vir tam cultæ eruditionis ut parem habeat neminem. Haud quisquam est, qui ipsius in dicendo assequatur copiam. Nemo alius, ita ut Cicero, dicendo valuit. Haud ullus æquè in scribendo, in dicendo, vehemens ut Cicero. Perinde ut Ciceronem, elegantissimo orationis flore cultum accipimus neminem.* Quæ vel interrogando, vel exclamando, extolli poterunt. ut, *Quisquamne sit, qui cum Cicerone de orationis præstantia queat contendere? Nemo sanè nisi arrogans nimiusque admirator sui.* vel. *Superi! quanta viri illius eloquentia, ad quam hactenus nemo potuit aspirare.*

Sexta variandi ratio per opposita & negationes, quæ planè sese effundit, per ceteras variandi leges: iis quæ ex fonte Contrariorum eruuntur argumentis similis. ut, *nullius hostis eruditionis, vir omnis fugiens ignorantiæ, non ignarus non expers literarum, Perquam ab omni aversus imperitia. Ignavi contemptor otii, si omnino quisquam. Nullius non amator scientiæ.* Hæc de hoc fonte suffecerint, quibus si illam variandi rationem adiunxeris, quam infra num. 3. de translatis phrasibus, & fonte ultimo periodorum invenies copia tibi in eloquendo deesse nunquam poterit.

Septima his addi potest (quàvis levior) variandi ratio, per casus, & tempora, ut in *Nominativo. Eloquentia Ciceronis parē in lingua Rom. habet nemine. Gen. Quātæ vir eloquētiæ Romanus*

nus Cicero! Dat, Natum summa virum eloquentia dixeris. Accus *Quisquamne non admiretur, & amet Tullianam facundiam?* Voc. *O facundia, quantum tibi à Tullio ornamenti accessit?* ABLAT. *Literas non amat, quisquis incredibili eloquentia differentem Tullium non amplectitur.* Ita & per diversa inflecti tempora eadem phrasis poterit. Ut PRAESENTIS ACTIVI ERIT. *Reliquos facilè oratores eloquentia laude vincit Cicero* PASSIVI: *superatur à nemine.* PRAETERITI *Ceteros oratorum eloquio antevertit Tullius.* PASSIVI *Nullius unquam, vel copia, vel eloquendi suavitate victus.* FUTURI *Omnem Ciceronis eloquentia posteris eripiet, si non æquandi, certè vincendi spem.* PASS. *à sera posteritate hac sermonis elegantia vix æquabitur.* Sic per Imperatiuum dicet. *Æquate, si potestis, tantam in dicendo copiam, in loquendo ornatum, in movendo vim.* vel sic. *Vide, an non unus sit Tullius, qui dicendo oratoribus reliquis palmam eripiat.* Per optatiuum *Vtinam tantum ornatè copioseque dicendi studium, quantum in Cicerone admiramur, honesta æmulatione gloria plures imitetur*: Per Conjunctiuum *Ecquid est, cur negemus Ciceronem Rom. eloquentia Principem omni studiorum contentione æmulandum?* Infinitiuum *Tullium Rom. eloquentia fontem esse nemo, nisi ignorans, non inficiabitur &c.* Hæc aliaque quanquam minus virili exercitatione tradantur; tamen adijcienda putavi, quod pueris aliquando, ad cetera sterilibus, hæc ratio, ex notis inflexionibus, aliquam possit scribendi varietatem sufficere.

Observandum hic inprimis censeo, quod ad copiam simul & gratiam phrasi conciliandam magnopere faciet: ut, cum possit, bimembrem esse potius, quàm simplicem phrasin velis, ut.

Cicero non tantùm in dicendo copiosus, sed & elegans fuit.

Hic enim comparatione quadam, & conjunctione harum dotum in eodem Tullio instituta, tam particulæ conjunctivæ, *&*, *&*: *qua*, *qua*: *cum tum*: &c. quàm etiam collativæ illæ, de quibus Rationes egimus, locum in venient, variamque simul & concinnam orationem reddent ut.

Et

Et copiosus, & elegans in dicendo Cicero.

Vel contra *Neque indisertus neque inelegans in dicendo Tullius.*

Insignis tum copia, tum elegantia affluebat Cicero.

Nemo in oratione illius copiam, nemo ornatum desideravit.

Vir ut copiam, ita dicendi summam assecutus elegantiam.

Vel contra *Nullius, aut inopia, aut imperitia in oratione convictus.*

Vir perinde copiae, atque elegantiae studiosus.

Vel contra *Vir non minus in dicendo sterilitatem, quam barbariem perosus.*

Vir juxta dicendi copia, atque elegantia admirandus.

Vir qui dicendi copiam adjunxit elegantiae, aequavit, sociavit, adjecit, addit. vel, copiam ornavit elegantia, &c.

Vir in quo certet dicendi copia cum elegantia.

Par sit, ex aequo contendat, copia respondet elegantiae &c.

In quo dictionis non inferior, non minor, elegantia, quàm copia.

Qui eidem orationi duas praestantissimas virtutes, tanquam auro gemmas inservit, eruditionem atque ornatum, &c.

Observandum 2. ut noris varietatem illorum, quae passim recurrunt. ut e. g. vox *Omnis* variabitur. *Nemo non. Haud ullus qui non. Quis non? Quidquid est hominum*, vel *quantum est*, vel *siquid est*. Sic pro *Aliquis* dic *Non nemo, Nō nullus*. Rursum *comparata* noris variare, ut Cicero Platone *eloquentior*. Dic per parculas. *Magis quam. Non tam, quam apprimè, in ceteris*, &c. per verba, ut *vincit* eloquentia, *superat* &c. *Superlativa* variabis, vel per neutra. *Nihil eloquentius* Tullio. Vel comparantes particulas. Vir *si quisquā* eloquens. vir *quo nemo eloquentior: Nemo perinde* &c. *Tam* eloquens, *ut nemo* alius. Vir *maximè omniū* eloquens,

Per verba, ut eloquio ceteros *vincit* &c. Per nomina, ut eloquentiæ *princeps*, *inaudita* viri eloquentia. Sic gerundiorum & participiorum & futuri, ut varius, ita elegans sæpe usus est. Ut in verbis motum significantibus. *Venit, ut doceret, literas*. Sic inflectes. *Venit doctum literas*; vel, *ad docendum*: vel, *ad docendas literas*: vel, *docendi literas gratia*; vel, *docendarum literarum causa*. vel, *docere literas*. vel, *venit docturus literas*.

Observandum 3. Quod quibusdam dicendi figuris varietur simul atque illustretur mirificè oratio. Ut cum modo ad personas diversas modo ad res, modo ad te ipsum, interrogando, concedendo, imperando, optando, corrigendo, opponendo, hæsitando &c. converteris ut: *ecquid hoc dicto elegantius! Vide, quæ in verbis sit elegantia. Cave quicquam hic inelegans existimes. Cedo, quid in hoc elegantia desideres. Esto quandoque neglecta illi fluat oratio, nunquam tamen barbara. Quam cuperem hanc omnes æstimarent elegantiam! Faciant superi, ut hanc plures assequantur scribendi elegantiam. Pura illi, imò exquisitè elegans fluit oratio. Si profusior quandoque est sermo; certè non inelegans &c.* His alijsque observationibus ad omnem dicendi copiam varietatemque penetrabis.

II. Fons. *Phrasium ac sententiarum proprietas.*

In phrasibus inprimis observandum, quòd variati in constructione casus sensum non rarò mutent. Ex quibus præcipuas accensemus. *Accedo tibi*, id est: tecum sentio. *Accedo te*, hoc est adeo. *Æmulor tibi* (ut Cic. 1. Tusc.) id est, invideo; *æmulor te*, hoc est, imitor. *Ausculto tibi*, id est obtempero, *ausculto te*, id est, audio. *Caveo tibi*, id est, prospicio. *Caveo te*, vel *à te*, hoc est, vito. Caveo de re, id est, cautionem præsto. *Consulo tibi*, commodum tum procurando, vel etiam consilium dando; *consulo te* petendo. *Contingit mihi*, quod accidit; *me*, quod tangit, *Cupio tibi*, bene favendo; *te*, desiderando, *Deficit mihi*, quod deest; *me*, quod destituit; à me, quod desciscit. *Fenero*, vel *feneror tibi*, vel *te*, id est, ad usuram do, *abs te*, id est ad usuram accipio. Impono illi, quē decipio, *illum humeris*, quem suscipio. *Incumbo illi*, quo nitor; *in* vel *ad aliquid*, cui studeo, aut faueo. *Ingurgito me cibis*, & *ingurgito in flagitia*, *Licet mihi*, id est conceditur, res

magni licet, id est, in emptione æstimatur. *Rem magni licetur sub licitator*, id est, emptor æstimat. *Memini me dicere*, potius quàm dixisse; quia illud præteritum est. *Metuo, timeo, vereor, ut res fiat*, quàm vellem; *ne res fiat*, quàm nollem fieri. *Metuo* &c. *tibi*, ut amicus: *à te*, ut inimico. *Prospicio saluti*, dum procuro; *periculum*, dum prævideo. *Peto gladium*, cum postulo; *gladio*, cum vulnero. *Recipio rem*, quàm amisi; *recipio alicui*, cum promitto. *Refero tibi*, quod narro; *ad te*, quod tuo consilio vel potestati committo. *Renuncio tibi*, cùm recuso; te doctorem, cum declaro. *Solvo te*, cum libero; *tibi*, cum satisfacio. *Studeo unum hoc*, quod cupio; *uni huic*, & *in unum hoc*, cui operam navo. Tempero vino, cùm abstineo; *vinum*, cum aqua misceo; & *affectus pravos*, cum frango. Vaco Rhetoricæ, dum studeo, *culpâ* dum careo, *ad nugas*, dum tracto.

2. Ceterum in eadem significatione plura etiã verba casum variant, ut *Abhorreo* ab hac re, & istam rem. *Abstineo* illo, ab illo, me ab illo. *Aquiesco* huic rei, & hac in re. *Accuso* te furti, de furto, tuum furtum. *Adeo* te, & ad te. *Adhortor* te ad virtutem, & de virtute, *Adspergo* tibi labẽ, & te labe, *Adulo* & adulor te, & tibi. *Antecedo, anteeo, antesto* te & tibi, *Attendo* te, & tibi. *Alienũ* est dignitati, dignitatis, & à dignitate.

Capax multis, multorum, ad multa. *Conducit* huic rei, & ad hanc rem. *Confido* amicitiæ tuæ, & amicitia tua. *Consentio* tibi & tecum. *Convenit* omnibus, & inter omnes. *Conqueror* tibi, & apud te; hanc rem, & hac de re. *Comparo* illi, & ad illum, &, cum illo. *Conscius, par, affinis* sceleris, & sceleri. *Comitor* te, & tibi.

Derogare alicui, & de aliquo. *Diversus* voluntati meæ (ut sub l. 8. c. 3.) & à voluntate mea. *Doceo* te artem, & de arte. *Dono* tibi librum, & te libro *Dominor* illi, in illum, & illo. *Dissentio, & dissideo* tibi, à te, tecum. *Domi* patris (non paternæ) domi alterius, & alienæ.

Egredior domo, domum, à & de domo.

Gaudeo illud, & propter illud, *Glorior*, rebus, de, & in re. *Gratulor* tibi hac de re, hanc rem, & hac re.

Ignosco sceleri illius, & illi scelus. *Insulto* & *Iubeo Illudo* tibi, & te. *Invideo* tibi gloriam, in gloria, gloriæ tuæ. *Impertio* & *or* tibi donum, & te dono. *Incessit* mihi, me, vel in me cupiditas. *Instravit* mihi vestem, & me vestẽ. *Interdico* tibi hãc rem, vel hac re, *Induo*, & exuo alicui vestẽ, & aliquem veste.

 Liber,

Liber, immunis, expers omni timore, timoris, à timore, *Ludere* aleam & alea.

Magnam partem, vel *magnâ parte* liberati sunt. *Venit* mihi illud *in mentem*, & illud. *Medeor* malis, & mala. Ita *medicor, moderor, Præstolor*. te & tibi. *Misereor* pauperem & *misereor* pauperis.

Nuptum do, & nuptui. *Nitor* hastæ, hastâ, in hastam.

Obtrecto fama, vel famam. *Occumbo* morte, morti, mortem.

Participat auro, de auro, aliquid auri. *Pepigi* tibi, vel tecum. *Percontor* te, vel tibi. *Proprior*, ac *proximus* periculo, vel periculum. *Præsto, Præcello, Præcedo, Præcurro, Præverto* te, vel tibi. *Pendeo, Discrucior, & Angor* animi, vel animo.

Subire arci vel arcem. *Similis* illius, & illi.

Vaco virtuti, & ad virtutem. *Utor* hac re, & de hac re. Vide Ger. Vossium hæc aliaque latius prosequentem.

3. Alterum, quod in phrasium proprietate observandum, est puritas à suo fonte, primi videlicet alteriusue seculi, deducta; quæ barbarismos, hoc est, ex aliarum linguarum idiotismis ortas phrases, proscribit, quorum plurima sunt à Buchlero. Scotto Niess. alijsque signata, ut *Actum est mecum*, id est, de me. *Actu aderat*, id est, reipsa. *Ad beneplacitum agas*, id est, pro arbitrio aut iure tuo agas. *Adhuc semel bibi*, id est, iterum &c. *Adhuc semel tantum*, id est, alterum tantum. *Ægrotus parum*, aut *valdè*, id est, leviter aut graviter. *Æque multi, vel multum*, id est totidem, vel tantundem. *Aliqualis domus*. id est, qualis qualis, *A longè*, id est, eminus. *Ante vel à tergo læsus est*, id est adversum, vel aversum vulnus accepit.

Bene sedere, per quam commodè. *Bona vel mala aura*, serenum aut nubilum cœlum. *Bonum latinum*, bene latinum.

Causam amittere, causa cadere. *Confer tecum librum*, tecum affer. *Cum rem habebis*, ubi nactus eris. *Cor non habet, ut faciat*, animus illi deest.

Dedi ipsi custodiendum, Ipsius dedi custodiæ. *Dedi licentiã*, permisi. *De novo incipere*, de integro, denuo. *Detrahere de summa*, deducere. *Deponere pileũ*, aperire caput, sic *imponere*,

nere, pro operire. *Deponere aliquem officio*, movere. *De verbo ad verbum scripsi*, totidem verbis. *Dic ita, vel non*, aut ajes, aut neges. *Diversum judico*, aliud. *Dixissem, si tacuisses*, nisi præocupasses. *Diutius, quàm sex menses*, amplius sex menses, vel mensibus *Dependentia mutua*, cohærentia. *Deliquium animi pati*, de mentis potestate excidere. *De proposito quid agere*, data opera. *Non dubito te facturum*. Non dubito quin sis facturus.

Excommunicare aliquem, Sacris & communioni interdicere.

Ejicere in exilium, proscribere. *Eo res venit*, eo res deducta est. *Esse in extremis*, agere animam. *Ex corde amare*, amicè complecti.

Facere conscientiam, ducere religioni. *Facere officium*, fungi officio. *Facere crucem*, se cruce signare. *Facere primitias*, primis sacris operari. *Facere ordinationem*, ferre legem. *Facere proprias expensas*, suo vivere. *Facere reverentiam*, habere honorem. *Fiet processio*, supplicatio habebitur. *Frangere alicui caput*, diminuere.

Habebis mecum negotium, Me adversario uteris. *Habet bonam complexionem*, firmam corporis constitutionem. *Habet bonum vel malum exitum*, prosperè vel malè evenit. *Habet bonum ventum*, ventis secundis utitur. *Habet liberos cum illa*, ex illa. *Habet malum spiritum*, anima ei fœtet. *Habe patientiam*, fer patienter. *Habet pro nihilo*, gratis. *Habet Salvequardiam à duce*, est in fide aut clientela Ducis. *Hac vice tantum*, nunc tantum. *Habes me in derisum*, derisui, seu pro oblectamento.

In tantum progressus sum, usque eò. *In quantum possum*, quatenus. *In ore est omnibus*, pervagata fama est. *Ire ex sole*, abesse à sole *Iuxta Ciceronem*, ex sententia Ciceronis. *In persona veniam*, Ipse adero. *Indulgentia plenaria dantur*, plenæ condonationes. I*nvidiosum facere*, In invidiam vocare.

Ligam inire, fœdus. *Literas claudere, & aperire*, obsignare, & resignare. *Locumtenens ducis est*, vicarius. *Lucrari victum*, parare sibi opere. *Liberum mihi non est facere*, integrum.

Malè accepit, vel malam in partem, molestè tulit. *Malè audit*, graviter est, nam malè audire proprie infamem esse. *Malè dispositum corpus*, malè affectum. *Manet apud propositum*,

tũ, ſtat in propoſito. *Mediator intervenit*, ſequeſter, aut arbiter. *Miraculoſum opus eſt*, mirabile. *Mitte me abire*, ſine abeã.

Navis appulit, appulſa eſt. *Neſcit*, aut *loquitur*, *Latinũ*, latinè. *Non recordor amplius*, offenſionem depoſui. *Non curat, quid agatur*, nihil penſi habet. *Non eſt bene erga me affectus*, mihi eſt iniquior, aut averſus. *Non feci ſponte*, imprudens feci. *Nova mala, aut bona accepimus*, triſtes vel læto nuntios.

Ordines ſacros ſuſcipere, ſacris initiari. *Oratio mentalis*, tacita mentis precatio. *Opinionem habere bonam*, exiſtimationem. *Officium aliquod dare*, demandare, *Operarii decem aſſes lucrantur*, merent denario.

Per diem librum concede, in diem commoda. *Probare aliquem*, periculum alicujus facere. *Orare pro invicem*, alter pro altero. *Prolongare tempus*, producere, differre. *Pro poſſe rem agere*, pro virili. *Propter valetudinem impeditus*, per valetudinem. *Vena pulſat*, micat arteria. *Proceſſum amittere*, cauſa cadere.

Quaſivi hoc ſemper, hoc ſpectavi. egi. *Quando ſemel fiet*, quando tandem futurum eſt. *Quantum intrat vas*, quantum capit. *Quid cum illo fiet*, quid illi fiet. *Quid habeo tecum agendum*, quid mihi tecum eſt. *Quoad hoc*, hoc quod attinet. *Quomodo vocaris*? qui vocaris? *Qualitercunque res cadet*, utcunque.

Regimentum ſcribere, legionem. *Remedium certum dare*, præſens. *Remiſſionem dare*, noxam remittere, vel gratiam facere criminis. *Reſignare officium*, abdicare ſe. *Reformare fidem* inſtaurare. *Reſpectu amicitiæ*, ratione ſeu cauſa.

Sacriſta antipendia aræ præfigit, Æditυus veſtit aram. *Secundum meum conſilium*, Ex, vel de meo conſilio, *Status imperii*, ordines.

Tempus non permittit, non fert. *Supplere locum alterius*: obire vices. *Trudere ſuum pedem*, offendere pede. *Tutum me reddidit*, mihi cavit. *Sine teſtamento mori*, ab inteſtato. *Tene hac pro te*, tibi ſerva.

Vivere in pace, tranquillè. *Una epiſtola*, una epiſtola vel unæ literæ: quia hæ tantum pluralis ſunt numeri. *Vox craſſa*, gravis, *Videatur mihi quod doctus ſis*, videris eſſe doctus. *Vereor quod non veniet*, vereor ut veniat. *Vocem in capitulo habere*, jus ſuffragii inter canonicos. *Virtuoſè vivere*, cum virtute vitam agere. *Vide ne hoc putes*. Cave, ut hæc putes. *Viſitavit me domi*, inviſit. Hæc aliaque nonnulla,

la, usu quotidiano vulgantur, barbara, & à Romana puritate aliena, quæ ex vernacula cujusq; gentis lingua imperitè transferuntur; ut pleræque hæ phrases Germanismum sapiunt. Quas, tanquam scopulos passim obvios, rudioribus ad vitandam offensionem proposui. Illud tamen studiosum lectorem moneo, à Buchlero aliisque multa signari obelo minimè digna.

4. Linguæ verò latinæ idiotismi, sive phrases illi propriæ, non minus observandæ sunt, quàm aliarum linguarum, si Græcam exceperis, cavendæ. Unde & adolescentes ab illis translationibus, quæ ex vernacula in Romanam fiunt linguam, ut primum opportunè poterunt, abstrahendi sunt, signandisque latini sermonis idiotismis diligenter occupandi. Invenient verò rationē idotismi, vel residere in nomine: ut cum officiorum nomina à latinis tribuuntur: quale est, Secretarius, vel Consiliarius Principis, rectius dices; *est Principi à secretis, vel è consiliis*: vel reperient in pronomine, ut *sese impellit, Memet urget. Quid hominis video?* quæ in aliarum gentium linguas, sic minimè transferes, vel in verbis, ut *supersedeo laboribus Olet hircum, Barbariem redolet. Sapit novitatem, Spirat odorem, Se in aulam penetravit. Pendet animi, Tenetur furti, Malè audit*, (quod famam, non auditum spectat) *Fac valeas, venias, &c. dabo effectum*: vel in adverbiis: ut, *ubique locorum. Interea loci, Nunc temporis Nusquam gentium*: vel in participiis: *ut non sum ferendo, non sum solvendo. Impatiens agendi*: vel in propositionibus? ut *In ante calendas, Ex ante diem nonarum*: id est, ante calendas, aut nonis: vel in conjunctionibus, sic dicimus: *& ingenio, & manu promptus, Audaxque, & consilio expeditus, famemque sitimque perpessus. Cùm domi, tum foris gratus*: vel interjectionibus etiam: ut, *Qua, malum, est ista servitus?*

Sunt & alii linguæ Græcæ idiotismi, quos eleganter nonnunquam Latini ad se traducunt, magis tamen Historici, quàm Oratores, & illi minus, quam Poetę. Nos Hellenismos appellamus, dignos quos lector observet. Sic Græci in nominum casibus genitivos, vel accusativos; in verbis infinitivos, in generibus neutra, in nominibus adjectiva diligunt. Exemplis rem declaremus. 1. In nominibus per enallagen adjectiva neutra pro substantivis adhibent: ut *varium & mutabile semper fœmina, Triste lupus stabulis. Generosum sectatur honestum. Majus serenum, Mordax verum, Quantum est in rebus inane!*

2. Eadem adjectiva neutra adverbiorum loco usurpant. Vt *Dirùm minatur, Dulcè blanditur, aut ridet, immanè infremuit, crudelè minatur.* Quin & masculina sic adhibentur. Vt *crudelis*, vel *atrox instat, Matutinus agit* equos, *Vespertinus adest.*

3. Hinc sequitur quod adjectiva etiam substantivorum more cũ genitivo casu socientur: ut modò numero singularia, *lubricum iuventa, abundans aris, ingenii, solers futuri, promptus sermonis, plenus animi, nimius verborum, doctus eloquii vel literarum* : modo plura : ut *incerta viarum, ardua montium, plana camporum, serena cœli, vana rumorũ, inania fama, ultima periculorum, opaca silvarum, amara curarum.*

4. Quandoq; & adjectiva quæ laudem aut vituperium, patriam aut gentem, totum seu partem significant, accusativum admittunt. Vt *Os humerosque Deo similis, Exculteus mores, virtutem instructus, Auctus opes, omnia dissimilis.* Quæ tamen oratoribus vix erunt concedenda.

5. Infinitivum verborum Latini, à Græcis traductum, inter rariorem ornatum ponunt; nunc cum adjectivo conjunctum activè; ut *largus donare. Doctus ludere, dissimulare, audax perpeti, promptus seu dolosus ferre iugum, blandus eloquii.* Nunc passivè; ut *mitis* vel *benignus adspici, cereus in vitium flecti, fluvius labi sedulus.* Qualia Horatius suppeditat Lyrico inprimis carmini idonea.

6. Nonnunquam & gemina inter se verba hoc pacto concurrunt, ut alterum infinitè collocetur. Ita *persequar frangere, descende vina promere, Perge telam pertexere, Amat videri, Gaudet aspici, Annuit capi,* visitata sunt.

7. Casus aliquando Græcorum ambiunt. Ita verbis abstinendi, appetendi, amandi, fugiendi, admirandi, consequendi, privandi aliisque genitivum tribuunt, ut *Desine mollium querelarum, Fuge rixarum, Hareo, aut fallor animi. Abstinet prada*, vel *irarum* sic *eget consilii* Cic. *carendum erat tui.* Ter. *implere vini.* Virg. Rursum verba diffidendi, arcendi, pugnandi, dativo nonnunquã copulantur. ut, *discordat parcus avaro. Differt sermoni sermo*, quæ apud Horat. reperies. ut apud Virgil. *solus tibi certet Amyntas*, & *Arcebis gravido pecori.*

Nonnunquam in ejusmodi locutionibus eleganter aliquid subticetur, quod mente subinferas. Quare ellipsis in his est. *Non fefellerunt insidia* nempe, *illos Opimio falsa accu-*

pervit, nempe *animum*. *Iam venti posuere* Virg. nempe, *vim suam*. *Mutarunt mores* Liu, nempe *populi*. *Non præcipitat*. Virg. nempe, *seipsam*. *Voluentibus annis*. Virg. nempe, *tempus*. *Nave*, vel *curru provehens*, nempe, *seipsum*. *Abundamus*, vel *indigemus rerum*, scilicet, *copia*. *Excruciari animi*, nempe *curis*. *Indignari ille. ac minacibus verbis terrere*. nempe, *cœpit*. In his porrò observationibus potissimum ad omnem scribendi elegantiam, raritatem, ac varietatem momentum esse noveris Neque facile ad ullam styli perfectionem emergent, qui incuriosi harum observationum, scriptores quos volvunt cultiores mirantur sæpe, nunquam assequuntur. Prævivi viam, tu quos legis, similes in classes per illustriora quæque ac tibi minus perspecta orationis lumina redige, & brevi studiorum labore, abdita illa eloquentiæ adyta penetrabis.

III. *Fons* Phrasium translatio.

Paulò hic latius translationem usurpamus, prout simul allusiones ad fabulas, antiquitatem, exempla, & parœmias complectitur, tum enim breves metaphoræ in comparationem resolutiones: quæ omnia egregio phrasin cultu exornare possunt. Exemplo illa sit phrasis, fonte proposita. Hæc, translatione propriè dicta, tam ab hominum sensibus (quod infrequens non est) quàm actione ceterisque etiam, aut animatis, aut inanimis duci poterit.

Vt à visu. *Omnem reconditæ eloquentiæ disciplinam perspectam habet, atque exploratam*, id est, cognitam.

Ab auditu. *Nil nisi eruditis auribus dignum loquitur.*

Ab olfactu. *Quidquid scribit eruditionem ac sapientiam redolet.*

A gustu. *Omnem sapit eruditionem, quidquid adfert.*

A tactu. *Omnem cultioris literaturæ disciplinam animo complexus est.*

A moribus hominum. *Non ab ipso solum limine Musas salutavit, sed ad omnem cum iis familiaritatem admissus est.*

Literis eum honorem habuit, quam qui amicissimus.

Hæc

Hac in homine literarum sementis jacta est, qua insignes sapientia fructus tulit.

In eruditorum senatum receptus est, Rei facile literaria Princeps.

Ab animantibus. *Cicero eruditorum* Phœnix. *Attica apis est, qua omnem eloquentia florem degustavit, & succum combibit.*

Ab inanimis: *Omnis in ipso floret eruditio. Fons quidam eloquentia est.*

Per Allusiones ad antiquitatem. *Omnem in scientiarum palaestra palmam tulit. Omnis eruditionis metam attigit. Omnium suffragijs ceteris pralatus est. Albis, ut ajunt, equis in scientiarum stadio pracurrit omnes. Contra omnes adversarios sua ipse eloquentia triumphavit hactenus.*

Ad fabulas. *Inter Musas alitus atque educatus videtur, ita omnem eruditionem hausit. Minerva illum atque Apolline natum crederes, ita valet eloquentia. Quot sententias, tot aureas ab ore catenas novus hic effundit Hercules.*

Ad parœmias. *Ab ipsis incunabulis, à teneris unguiculis tractavit literas. Oleum atque operam bene in literis collocavit. Cleanthis lucernam ipsius elucubrationes & dissertationes eloquentissima redolent.*

Ad exempla. *Ciceronis in illo reflorescit oratio Tullianas eloquentia opes possidet. Alter Demosthenes. Nestoris eloquentia pollet.*

Ad similia brevi comparatione. ut *Melle dulcior ab ore ipsius fluit oratio. Mens ipsius quadam scientiarum officina est, fons ac scaturigo unde omnis promanat eruditio.*

Quare ab hoc fonte præcipua manant sententiarum lumina, tam ad oratoriam, quàm poeticam facultatem illustrandam eximia. Consule illa quæ ad eandem phrasin poeticè exornandum tradidimus in Poet. l. 2. c. 25. Nec gravis solum his luminibus delectatur oratio, sed Satyrica etiam & Comica, nihil enim perinde, sive ad leporem, sive ad mordacitatem valet, quam aspersa sale translatio.

Sic e.g. in capt. act. 3. sc 3. Plautus lepidè, dolum proditum ostendit.

Nec *confidentia* usquam *hospitium est*, nec *diverticulum dolis.*

Opera

Opera quæ fuêre, aperta sunt, *patent præstigiæ.*
Neque negotium est, quin malè occidam, *appetamq; pestem.*
Neque jam *servare salus* si vult, me potest, nec copia est.
Nisi si meo aliquam corde *machiner astutiam.*
Occisa res est. Os denasabit tibi mordicus.
Ludificabitur. *Aiacem*, hunc cum vides, *ipsum vides.*

Huc, denique quidquid penè est parœmiarum, quod sententijs continetur, spectat. e. g. dices te quempiam *approbare*, per allusionem ad antiquitatem, hoc modo, *Premere pollicem* quod olim erat favoris signum. *Album urnæ calculum injicere*, quod suffragantes solebant. Per fabulas, aut historiam ad *crudelem* describendum, *Marsyam*, *dices*, *excoriatum. Aras Busiridis instructas. Taurum Phalaridis.* Ita *felicem Laurentum gestare baculum, Mida consultore usum*, & sic de ceteris, quæ studioso Proverbiorum exploratori consideranda relinquimus.

IV. Fons. Phrasium rariorum opportuna inductio.

Rara ac selecta phrasis est, vel ob præcipuarum vocum, seu propriarum, seu translatarum delectum ornatumque: vel ob scitam particularum, quibus ipsa, aut suis in membris aut cum aliis aptè cohæret: vel denique compositionis totius ac structuræ decus.

2. Expendamus aliquot phrases, ob delectum usumque vocum rariorum, illustriores. *Ab exordio mundi hic mos viguit*, minus illustre, quàm illud: *Post homines natos hic mos tenuit.* Et, *Ab ipsis mundi incunabulis hæc consuetudo recepta est.* quia minus tritus hic sermo est. Ita *Rem totam arcessamus à capite*, illustrius, quàm, *à principio repetamus.* Sic *Exulceratis hisce temporibus, non obscura à se invicem contentione divulsi sunt Catholicorum Proceres*, dictum ornatius, quam *afflicto hoc tempore palam dissenserunt.* Ita. *Ab ijs qui cum imperio hac in urbe erant, vehementer reclamatum est.* id est. *Senatus obstitit.* Et *Ita locutus sum, ut videret animum hominis ab alia cogitatione, ad tuam dignitatem tuendam traducere*, id est, *per suasi ut tuum honorem defenderet. Et siquid ex rebus tuis, nonnullorum perfidia detraxerit, majori illis fraudi, quàm tibi futurum puto.* id est, *perfidi magis sibimetipsis, quam tibi nocebunt.* Et, *Exploratum est, te*

regno potiri posse, id est; certum est, te obtinere regnum posse, Et *cui nullum peccandi modum verecundia statuit, facilè cum extremo præcipitio offendit*. Id est, *quem pudor non absterret, facilè inter scelera interit*. Quæ ejusmodi sunt universa, ut licet neque peregrinis, neque innovatis vocibus constent, tamen raritate sua, à trito loquendi usu sermonem removeant. Et hæc cultæ orationis sectatori, ubi legenti sese obtulerint, seorsum in charta ac memoria, frequenti repetitione, condenda erunt. Quæ in similibus parem illi quoque facilitatem suggerent, modò suis illa expensa fontibus ad prima eloquentiæ principia revocet, cum alia horum ex proprietate sermonis, alia ex tropis, alia ex periphrasi splendeant.

2. Mirum est quantum ad cultum elegantiamque orationis faciat, scita particularum usurpatio. Quarum usum Tursellinus noster integro libello complexus est. Magni verò ad hanc rem interest, earum in significando vim, in adhibendo locum non ignorare. Sic e. g. *Apud* significat personam & locum, *penes* etiam potestatem. Sic apud me est liber alienus, penes me proprius. *Ergo* & *igitur* brevioribus serviunt conclusionibus, *Quare quapropter, quamobrem*, majoribus. *Ac*, fere aute consonantes, *Atque*, antè vocales servit. *Hic* & *iste* proximos adstantes, *ille* remotos, *is* planè absentes plerumque refert, cujus tamen observati summa non est religio. *Perinde* æquè & prout significat, *proinde* ideo, *subinde*, postea, vel identidem. *Quando & quandoquidem* sæpe idem cum quoniam. *Primò* tempus, *primùm* ordinem, *hactenus* locum, non tempus, designat. *Diu* & *jamdiu* cum *est quod* jungi nolunt, sed *dudum* malunt. *Idem cum illo*, non dicitur; sed *idem atque, ac, quod* ille sentio. *Secundum caput*, id est, ad vel juxta. Nunc rariora paucula delibemus. *A me dedi pecuniam*, de meo. *A morbo imbecillitatem habeo*, id est, ex morbo. *Agesis videamus*, est rem aggredientis, *Agè porrò*, est instantis. *Age sanè*, concedentis. *Aliud ex alio se incommodum offert*, id est, unum post aliud.

Certè pro saltem. *Res fortasse vera, certè graves*. Sic, *commodum intervenit*, id est commodè. *Continuò adero*, id est, statim. *Non continuò me ulciscar, quamvis læsus*, non ideo.

De meo solvam, ex meo. *De scripto recitare*, exscripto

Id

Id enim vere ferendum non est, id scilicet &c. *Non feci, eo quo te affligerem*, ideò ut.

Etiamnum difficilis restitat, adhuc. *Extra Sacerdotes nemo adfuit*, præter. *Haud scio an quisquam illo arrogantior*, fortè nemo arrogantior. Identidem in Tusculanum revoluos, frequenter. *Boni juxta malique affliguntur*, boni simul malique. *Iuxta ac si frater esset hominem complector*, æque ac. *Iuxta mecum hic aderat*, unà. *Vt quisque maximè est doctus, ita potissimum studet*, quo quis doctior.

Magno te commendas opere. valde. *Cave multis obloquare*, vide ne. *Neque dum miles advenerat*, Et nondum. *Nimium quantum militis crevit insolentia*, valde. *Nimio plus indulgens fui*, nimium. *Nihil ago nisi ut ei ne desit quicquam*, ago ut nil desit *Obstiti, non quo ad iram provocarem* &c. non ut vel quod *Miles non modo nullus venit, sed nec auditus quidem*, non tantum non venit. *Omnino conor assequi*, omni modo. *Quid omnino est, quod nos moretur?* tandem, vel prorsus. *Nusquam in rem adsum*, nullibi (quod inusitatum ut etiam ullibi) opportunè.

Par nobis, æqualis dignitate, nam ad ætatem tempusque non refertur. *Hoc pariter atque illud usitatum est*, æque ut illud *Vir parum intelligens*, non satis. *Parumper, aut paulisper hic moreris*, parum cum ad tempus refertur minus usitum. *Per invidiam periit*, propter. *Post diem quartum quàm discessimus*, quatritudo postquam. *Præter oculis ferebatur*. ante *Pro numero militum pecunia datur*, juxta. *Pro concione res dicta est*. in concione. *Prope erat, ut assentirer*, penè assentiebat *Propius aberat*, parum. *Proximè urbem substitimus*. juxta. *Propter ripam fluminis sedimus*, juxta *Præter ripam incessimus*. nam præter in motu usurpatur. *Considera quis vir fuerit*, quis. *Non sum tam insolens, qui me sapientem jactem*, ut jactem.

Hospes mihi aderat quicum rationes inii, quocum. *Quid hominis?* quis homo. *Nihil illo amœnius*, nullus, vel nulla res. *Cupio quidem certè te interesse*, hoc saltem cupio. *Quin venis?* cur non *Quin ipse adero*. Imò. *Secundum comitia*, post. *Sicubi res tulerit*, si alicubi. *Non si me observet, desistam*, etiamsi. *Siquidem faveas*, si tamen. *Siquidem faves*, quandoquidem *Sub noctem adfuit*, post, vel inter.

Hac super re scribam, hac de re. *Tantisper morare, dum reveniam*, tamdiu donec. *Tanti est animum rebus addicere*, expe-

dit. *Totidem verbis repetere*, de verbo ad verbum. *Vix ac ne vix quidem fidem liberavit*, vix ullo modo. *Cis ultraque*, vel, *ultro citroque Rhenum commearunt* ab utraque patre. *Vltro citroq; scribunt*, mutuò. *Vsque domi aderam*, assiduè. *Vsque eo commotus ira est* adeò *locabatur, ut homo facetus est* utpote qui &c. *Frater ut valet*? quomodo. *Recusasse asseris; quod ut sit, non absistam*; licet sit. *Agendum hoc, ut ne sit impune facinus*, ne sit. *Sed ut sit noli indulgere*, utcunque sit. *Vt primum ad urbem veni*, simul ac *Vt quisque venerit, admitte*, quando; *Ita animo juncti ut si unus homo fuissent*, ac si: Vides, opinor, quanta in his particulis cum venustate raritas.

3. Constructionis, atque ordinis in eadem, ratio, cum nitore raritatem orationi conciliat. Hæc universim in amplificatione exigit, ut quæ minus definitam significandi vim habent, præcedant cætera. Vnde ab adjectivis ad substantiva ab his ad verba ferè transit & consistit oratio. Quæ tamen, observatio certis limitationibus circumscribitur.

1. Enim Superlativa & comparativa benè incipiunt, ac claudunt periodum. *Illustrius nihil est virtute*. Et contra. usitatius tamen substantivo, seu proximè seu in fine sententiæ, post ponuntur.

2. Quamvis nomina propria, polysyllaba imprimis, orationis principium ament, quod tamen ad laudem, aut vituperationem breviter adfertur, hoc sæpius præmittendum, ut *Summum eloquentiæ decus Cicero*.

3. Quamvis verba finem orationis sæpius occupent, tamen cum nomina polysillaba verbis simplicibus ornatiora sint, his non rarò locum cedunt. Malo enim: *Ornat Ciceronem decus eloquentiæ*, quam contra.

4. Nullus, nemo, & omnis suis rectius substantivis postponuntur, nec inscitè concludunt sententiam. Quamquam & initium orationis non aversentur.

5. Inter substantivum & adjectivum, tum voces duas conjunctione vinctas, & compositas venustè aliquid interponitur. ut *Magnum omnino opus, atque arduum. Magno* delectat *opere. Maximas ad res Ornatissimo in loco &c.*

5. Verba similia & consonantia, ut *amans & amatum*, & dissimilia, & opposita, ut amicus, inimicus, servus, dominus, doctus, indoctus, optimè coniunguntur. ita, ut etiam magis quam, rectè cohærent, ut *doctus magis, quàm pius*.

6. Sub-

6. Substantiva pro adjectivis, & abstracta pro nominibus rectè usurpantur. *Ut Benevolentia tua magnitudo*, id est, tua magna. *Tarditati meæ ignosce*, id est, quod tardus fuerim.

7. Licet adjectivum venustius suum præcedat substantivum, quia crescere orationem convenit; tamen cum illud dyssyllabum, hoc polysyllabum est, aptius postponitur. Ut *dissimilitudo, inter oratores bonos, magna est.*

8. Ablativus absolutè positus, tum genitivi & dativi elegantius in principio dictionis collocantur. ut, *re intellecta, venit. Amicorum officio. Ciceroni qui se tradunt, optimam dicendi rationem sequuntur.*

9. Verbis debeo, puto, possum, malo, nolo &c. rarius additur infinitum activum, cum passivo rectius construuntur ut *Sperari non potest, &c.*

10. Pro precor, peto ut &c. melius imperativus cum quæso, aut precor ponitur. ut, *Cum tuis, precor, amicis expendas*, precor ut.

11. Pro indicativo & imperativo sæpe conjunctivis servit. ut, *Hoc velim existimes. Rem. non ingratam feceris*, facies.

12. *Ut ut, quoquo, ubi ubi, quantus quantus, aliud aliud*, scitè repetuntur, idque junctim, separatim verò, *&*, *qui qui*.

13. Qui, quæ, quod, elegantius præponuntur. ut, *Quod ad me pertinet, minimè à tuis rebus sum alienus. Quas mihi dedisti literas: fuerunt suavissima.*

14. Oportet, necesse est, volo, caveo, suadeo &c. conjunctionem *ut* eleganter amittunt. *Multos evolvat libros necesse est. Malo ipse venias*, &c.

Hæc ex multis observatione digniora seligere visum est, quorum usus ut raram exquisitamque orationem reddit, ita nimia religio etiam affectatam. Multorum hic minutias, quæ multis præceptionibus vix satis absoluuntur, contemnendas suaserim, cum ridicula nonnulli labore has elegantiarum regulas, in immensum auctas, sibi condant oppositas & facilius insanum, tam diversarum rerum observatione quàm doctum facturi sint ipsi plerique post tot excusa elegantiarum scrinia, pueriles atque imperiti scribendi artifices. Satis erit præcipuis hisce imbuisse solicitum de eloquentia animum. Ut enim quisquiliis eruditæ dictionis occupari Rhetorem nolim, sic neque ea fastidioso

superoilio despicere, quæ neglecta inconcinnam orationem ad vulgi usum deprimunt.

Porrò illam raritatem, quæ in obscura antiquarum vocum sententiarumque eruderatione consistit, quæque novandi licentia extra necessitatis limites, vel putidè, vel arroganter nimium effertur; ut nemo prudens Romanæ linguæ assertor laudaverit, ita jam supra §. 1. fonte 4. satis me in verborum imperito usu damnasse existimo. Nec pluribus ad hanc rem exemplis brevitatis studio insistam. Hæc dare volui, ut quę potissimum in optimorum autorum imitatione, observanda sint, non ignores. Mirum enim, quantam illa, velut in aciem digesta, vocum collocatio, ad invadendum auditoris lectorisque animum, vim possideat.

CAPUT III.

De recto usu sententiarum, quas gnomas vocant. *Quintil.* lib. 8. c. 5.

1. *Tradit unde sententia, atque imprimis gnoma, sic dicta sint.*
2. *Sententiarum diversitatem exponit.*
3. *Crebrum nimis usum & præsertim falsitatem quarundam damnat.*
4. *Quomodo variè ac rectè, & quomodo cũ vitio usurpentur.*
5. *Moderatum illarum usum per similia eleganter declarat.*

1. SEntentiam veteres quod animo sensissent vocaverunt. Id cum est apud Oratores frequentissimum, tum etiam in usu quotidiano quasdam reliquias habet. Nam & juraturi ex animi nostri sententia, & gratulantes ex sententia dicimus. Non raro tamen & sic locuti sunt, ut sensa sua dicerent: nam sensus corporis videbantur. Sed consuetudo jam tenuit, ut mente concepta, sensus vocaremus: lumina autem, præcipueque in clausulis posita, sententias. Quæ minus crebra apud antiquos, nostris temporibus modo carent. Ideoque mihi & de generibus earum, & de usu arbitror pauca dicenda. Antiquissimæ sunt, quæ pro-

propriè, quamvis omnibus idem sit nomen, sententiæ vocantur, quas Græci γνώμας appellant. Vtrumque autem nomen, ex eo acceperunt, quod similes sunt consiliis, aut decretis.

2. Est autem hæc vox universalis, quæ etiam, citra complexum causæ, possit esse laudabilis, interim ad rem tantum relata: ut, *nihil est tam populare, quàm bonitas.* interim ad personam: quale est Afri Domitii: *Princeps qui vult omnia scire, necesse habet multa ignoscere.* Hanc quidem partem enthymematis, quidam initium, aut clausulam epicherematis esse dixerunt: & est aliquando, non tamen semper. Illud verius, esse eam aliquando simplicem, ut eam, quàm suprà dixi, aliquando ratione subjecta. *Nam in omni certamine, qui opulentior est, etiam si accipit injuriam, tamen quia plus potest facere videtur.* nonnunquam duplicem *Obsequium amicos, veritas odium parit.* Sunt etiam, qui decem genera fecerunt sed eo modo, quo fieri, vel plura possunt, per interrogationem, comparationem, inficiationem, similitudinem, admirationem, & cetera hujusmodi. Per omnes enim figuras tractari potest. Illud notabiles ex diversis. *Mors misera non est, aditus ad mortem est miser.* Ac rectæ (hoc est non figuratæ) quidem sunt tales, *tam deest avaro quod habet quam quod non habet.* Sed majorem vim accipiunt commutatione figuræ: ut *Vsque adeone mori miserum est?* acrius enim hoc, quam per se. Mors misera non est Et translatione à communi ad proprium. Nam cum sit rectum. *Nocere facile est, prodesse difficile*: vehementius apud Ovid. Medea dicit. Servare potui, perdere an possim rogas? Vertit ad personam Cicero. *Nihil habet*, Cæsar, *nec fortuna tua majus, quam ut possis: nec natura melius, quam ut velis servare quam plurimos.* Ita quæ erant rerum, propria fecit hominis.

In hoc genere custodiendum est & id quidem ubique; ne crebræ sint, ne palàm falsæ (quales frequenter ab iis dicuntur, qui hæc καθολικὰ vocant: & quicquid pro causa videtur, quasi indubitatum pronuntiant) & ne passim & à quocunque dicantur. Magis enim docent eos in quibus est autoritas ut rei pondus etiam persona confirmet. Quis enim ferat puerum aut adolescentulum, aut etiam ignobilem, si judicet in dicendo, & quodammodo præcipiat? Enthymema quoque est omne quod mente concipimus: propriè tamen

men dicitur, quæ est sententia ex contrariis, propterea quod eminere inter ceteras videtur. De hoc in argumentis satis dictum est.

4. Non semper autem ad probationem adhibetur, sed aliquando ad ornatum. *Quorum igitur impunitas, Cæsar, tuæ clementiæ laus est, eorum te ipsorum ad crudelitatem acuet oratio?* Non quia sit oratio dissimilis, sed quia iam per alia, ut id in justum appareret, effectum erat. Et addita in clausula est epiphonematis modo, non tam probatio, quam extrema quasi insultatio. Est enim Epiphonema rei narratæ, vel probatæ summa acclamatio.

Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

Facere enim probus adolescens periculosè, quàm perpeti turpiter maluit. Est & quod appellatur à novis ῥῆμα, quâ voce omnis intellectus accipi potest: sed hoc nomine donarunt ea, quæ non dicunt, verum intelligi volunt: ut in eum, quē sæpius à ludo redemerat soror, agentem cum eâ talionis, quod ei pollicem dormienti rescidisset, *eras dignus ut haberes integram* manum, subauditur enim, *ut depugnares.* Vocatur aliquid & clausula, quæ si est, quod conclusionem dicimus, & rectè, & quibusdam in partibus necessaria est. *Quare prius de facto vestro fateamini necesse est, quam Ligarii culpam ullam reprehendatis.*

5. Sed nunc illud volunt, ut omnis locus omnis sensus in fine Sermonis feriat aurem. Turpe autem, ac prope nefas ducunt, respirare ullo loco, qui acclamationem non petierit. Inde minuti corruptisque sensicui, & extra rem petiti. Neque enim possunt tam multæ bonæ sententiæ esse, quam necesse est multæ sint clausulæ. Ad hoc plerique minimis etiam inventiunculis gaudent, quæ excussæ risum habent. invētæ facie ingenii blandiuntur, ut de eo qui naufragus, & antè agrorum sterilitate vexatus, in Scholis fingitur se suspendisse. *Quem nec terra recipit, nec mare, pendeat.* Huic simile in illo de quo supra dixi, cui pater, sua membra laceranti, venenū dedit *qui hæc dedit, debet hoc bibere.* Et in luxuriosum, qui ἀποκαρτέρησιν simulasse dicitur, *Nolle laqueum, habes quo faucibus tuis irasceris: Sume venenū decet luxuriosum bibendo mori.* Alia vana: ut suadentibus purpuratis: ut Alexandrum Babylonis incendio sepeliant. *Alexandrum sepelio: hoc quisquā spectabit è tecto?* quasi verò id sit in tota re indignissimum.

simū. Alia nimia ut de Germanis dicentē quendā audivi *Caput, nescio ubi impositū.* Et de viro forti. *Bella umbone propellit.*

5. Sed finis non erit, si singulas corruptorum persequar formas. Illud potius, quod est magis necessarium. Duæ sunt diversæ opiniones. Aliorum sententias solas penè spectantium; aliorum omnino damnantium: quorum mihi neutrum admodum placet. Densitas earum obstat invicem, ut in satis omnibus, fructibusq; arborum nihil adjustam magnitudinem adolescere potest, quod loco in quem crescat, caret. Nec pictura, in qua nihil circumlitum est, eminet. Ideoq; artifices etiam cum plura in unā tabulam opera contulerunt, spatiis distinguunt, ne umbræ in corpora cadant. Facit res eadem concisam quoq; orationem. Subsistit enim omnis sententia: ideoq; post eam utique aliud est initium. Vnde soluta fere oratio, & è singulis non membris sed frustis collata, structura caret; cùm illa rotunda, & undiq; circumcisa insistere invicem nequeant. Præter hoc etiam color ipse dicendi quamlibet clarus, multis tamen ac variis velut maculis conspergitur: Porrò ut affert lumen clavus purpuræ loco insertus, ita certè neminem deceat intertexta pluribus notis vestis. Quare licet hæc enitère, & aliquatenus extare videantur, tamen lumina illa non flammæ, sed scintillis inter fumum emicantibus similia dixeris: quæ ne apparent quidem ubi tota lucet oratio. Vt in sole sidera ipsa desinunt cerni: & quæ crebris parvisque conatibus se attollunt, inæqualia tantùm, & velut confragosa, nec admirationem consequuntur eminentium, & planiorem gratiam perdunt. Hoc quoque accidit, quod solas captandi sententias, multas necesse est dicere léves, frigidas, ineptas. Non enim potest esse delectus, ubi numero laboretur. Itaq; videas & divisionem pro sententia poni & argumentum, si tantùm in clausula & calce pronuntietur *Occidisti uxorem ipse adulter: non ferrem te, etiamsi repudiasses.* Divisio est. *Vis scire venenū esse amatorium? viveret homo, nisi illud bibisset.* Argumentum est. Nec multas pleriq; sententias dicunt, sed omnia tanquā sententias. Hinc quibusdam contrariū studium, qui fugiunt, ac reformidant omnem hanc in dicendo voluptatem, nihil probantes nisi planum & humile, & sine conatu. Ita dum timent ne aliquando cadant, semper jacent. Quod enim tantum in sententia bona crimen est? non causæ prodest, non judicem movet, non dicentem commendat. At est quoddā

genus, quo veteres non utebantur. Ad quam usque vos vocatis vetustatem? nam si ad illam extremam, multa Demosthenes, quæ ante eum nemo. Quomodo potest Ciceronem probare, qui nihil putet ex Catone Gracchisque mutandum? Sed ante hos simplicior adhuc loquēdi ratio fuit. Ego verò hæc lumina orationis velut oculos quosdam esse eloquentiæ credo. Sed neque oculos esse toto corpore velim, ne cetera membra officium suum perdant, & si necesse sit, veterem illum horrorem dicendi malim, quàm istā novam licentiam. Sed patet media quædam via, sicut in cultu victuque accessit aliquis, citra repræhensionem, nitor: quem, sicut possumus, adjiciamus virtutibus. Prius tamen sit vitijs carere: ne dum volumus esse meliores veteribus, simus tantùm dissimiles.

§. 2.
Appendix Autoris.

DE hoc sententiarum genere plura enucleatis tradidi in Palæstra mea Poëtica part. 1. l. 2. c. 13. quo Lectorem remitto. Nam eædem illæ solutæ dictioni leges serviunt. Compositæ simplicibus plerumque gratiores & quæ de rebus sunt obviis vilescunt. nisi elegantia aliqua translatione, aut similitudine illustrentur. Tum verò etiam inprimis, sapiunt, cum inexspectatum aliquid & epigrammatica quadam argutia conditum adferunt. Ceterùm, quò facile scribenti affluant, & materiam esse illis convenientem decet, ut cum mores hominum formantur: & personam ferè gravem atque autoritate, inter illos, quibuscum disserit, præditam: cum sint, tanquam judicis alicujus aut legislatoris supremi, decreta. Siquid tamen humilior vel ætate, vel munere persona, inter æquales aut inferiores pronuntiet, non aliis de rebus, quam sibi exploratis fieri necesse est ne illi Appellæum illud occinatur. *Ne sutor ultra crepidam.* Gravium prudentumque in rep. virorum oratio illo sententiarum pondere impellit; ridiculumq; est, quod ajunt, cum *Sententias loquitur carnifex.* Qui axiomata Sapientiæ recitant Philosophi qui cum dignitate alijs præsident, qui mores ex instituto formant, qui cum autoritate suadent, his illud potissimum orationis genus indulgent dicendi artifices, quod paucis multa complectitur, atque hæc lumina elo-

na eloquentiæ sectatur. Quocirca Philosophos Veteres, Politicosque, inter quos Seneca eminet, si gnomas morũq; disciplinam consideres; si verò eloquentiam in hoc genere planè singularem, ex Græcis Maximum Tyrium, (cujus & utemur exemplis in Palæstra Orat. frequentius.) hoc dicendi genere excelluisse constat, essetque hac in re magis etiam Seneca admirandus, nisi florem sententiarum suis nonnunquam vitiis corrumperet. Quem tamen, supra meritum, Quintilianus insectatur, æmulatione magis eloquentiæ, quam studio veritatis incitatus. Hanc vero qualemcunque styli labem, qui noverit evitare, quem legat, inter veteres, Seneca vix habebit digniorem: tanta ex illa sententiarum luce (ubi eminent, apteque cadunt) orationis totius est dignitas. Lubet hanc rem exemplo plenius experiri, & tam digna quædam, quàm summo ingenio eloquentiaque indigna, paucis ad tanti autoris illustrationem, usumque tutiorem, nostro more, sed & imbecillitate, cui veniam concedendam spero, censere.

§. 3.

Exemplum styli sententiosi.

Sapientem non debere irasci, posse tamen corrigere peccata hominum. *Sen. de Ira.*

1. *Rationem adfert, quia irascendum illi perpetuo esset, cum ubique peccetur.*
2. *Quia irantibus ignoscendum.*
3. *Ipsi natura, qua insipientes procreat.*

1. SI irasci Sapiens debet turpiter factis & concitari tristarique ob scelera, nihil est ærumnosius sapiente, omnis illi per iracundiam mœroremq; vita transibit. Quod enim momentum erit, quo non improbanda videat? quoties processerit domo, per sceleratos illi, avarosque, & prodigos, & impudentes, & ob ista felices, incedendum erit: nunquam oculi ejus flectentur, ut non quod indignentur, inveniant. Deficiet, si toties à se iram, quoties causa poscit, exegerit. Hæc tot millia ad forum primâ luce properantia, quam turpes lites, quantò turpiores advocatos habent?

Alius judicia Patris accusat, quæ mereri satius fuit: alius cum matre consistit: alius delator venit ejus criminis, cujus manifestior reus est. Et judex damnaturus quæ fecit, eligitur: & corona pro mala causa, bona patroni voce corrupta. Quid singula persequor? cum videris forum multitudine refertum, & septa concursu omnis frequentiæ plena, & illum circum, in quo maximam sui partem populus ostendit: hoc scito istic tantundem esse vitiorum, quantum hominem. Inter istos quos togatos vides, nulla pax est: alter in alterius exitium levi compendio ducitur. Nulli nisi ex alterius damno quæstus est: felicem oderunt, infelicem contemnunt: majore gravantur, minori graves sunt: diversis stimulantur cupiditatibus: omnia perdita ob levem voluptatem, prædamque cupiunt. Non alia quam in ludo gladiatorio vita est, cum iisdem viventium pugnantiumque. Ferarum iste conventus est: nisi quod illæ inter se placidæ sunt, morsuque similium abstinent, hi mutuâ laceratione satiantur. Hoc uno ab animalibus mutis differunt; quod illa mansuescunt alentibus, horum rabies ipsos, à quibus est nutrita, depascitur. Nunquam irasci desinet sapiens, si semel cœperit. Omnia sceleribus ac vitiis plena sunt. Plus committitur, quàm quod possit coërcitione sanari. Certatur ingenti quodam nequitiæ certamine: Major quotidiè peccandi cupiditas, minor verecundia est. Expulso melioris æquiorisque respectu, quocumque visum est, libido se impingit, nec furtiva jam scelera sunt, præter oculos eunt. Adeoque in publicum missa nequitia est, & in omnium pectoribus evaluit, ut innocentia non rara, sed nulla sit. Nunquid enim singuli, aut pauci rupêre legem? undique velut signo dato, ad fas nefasque miscendum coorti sunt.

Non hospes ab hospite tutus.
Non socer à genero. Fratrum quoque gratia rara est.
Imminet exitio vir conjugis, illa mariti
Lurida terribiles miscent aconita Noverca,
Filius ante diem patrios inquirit in annos.

Et

Et quota pars ista scelerum est? non descripsit castra ex unâ parte contraria, parentum liberorumque sacramenta diversa, subjectam patriæ civis manu flammam, & agmina infestorum equitum ad conquirendas proscriptorum latebras circumvolitantia, & violatos fontes venenis, & pestilentiam manu factam, & præductam obsessis parentibus fossam, plenos carceres, & incendia totas urbes concremantia, dominationesque funestas, & regnorum publicorumque exitiorum clandestina consilia. Adde nunc publica perjuria gentium, & rupta fœdera, & in prædam validioris quicquid non resistebat, abductum, circumscriptiones, furta, fraudes, inficiationes, quibus trina non sufficiant fora. Si tantùm irasci vis sapientem, quantum scelerum indignitas exigit; non irascendum illi, sed insaniendum est.

2. Illud potius cogitabis non esse irascendum erroribus. Quid enim, si quis irascitur, in tenebris parum vestigia certa ponentibus? quid si quis surdis, imperia non exaudientibus? quid si pueris, quod neglecto respectu officiorum, ad lusus & ineptos æqualium jocos spectent? quid si illis irasci velis, qui ægrotant, senescunt, fatigantur? Inter cetera mortalitatis incommoda, & hæc est caligo mentium: nec tantum necessitas errandi, sed errorum amor. Ne singulis irascaris, universis ignoscendum: generi humano venia tribuenda est. Si irasceris juvenibus senibusque, quod peccant: irascere infantibus, quod peccaturi sunt. Num quis irascitur pueris: quorum ætas nondum novit rerum discrimina? major est excusatio & justior, hominem esse, quam puerum. Hac conditione nati sumus, animalia obnoxia non paucioribus animi quam corporis morbis: non quidem obtusa, nec tarda, sed acumine nostro malè utentia, alter alteri vitiorum exempla. Quisque sequitur priores, malè iter ingressus. Quid ni habeant excusationem, cum publica via erraverint? In singulos severitas Imperatoris distinguitur: ac necessaria venia est, ubi totus deseruit exercitus. Quid tollit iram Sapientis? turba peccantium. Intelligit quam iniquum sit, & periculosum, irasci publico vitio. Heraclitus quoties prodierat, & tantum circa se malá viventium, imo

imò malè pereuntium viderat; flebat, miserebatur omnium, qui sibi læti, felicesque occurrebant, miti animo, sed nimis imbecillo: & ipse inter deplorandos erat. Democritum contra aiunt, nunquam sine risu in publico fuisse, adeò nihil illi videbatur serium eorum, quæ seriò gerebantur. Ubi isthic iræ locus est? aut ridenda omnia, aut flenda sunt.

3. Non irascitur sapiens peccantibus. Quare; quia scit neminem nasci Sapientem, sed fieri: scit paucissimos omni ævo sapientes evadere: quia conditionem humanæ vitæ perspectam habet: nemo autem naturæ sanus irascitur. Quid enim si mirari velit, non in silvestribus dumis poma pendere? quid si miretur spineta, sentesque non utili aliqua fruge compleri? nemo irascitur, ubi vitium natura defendit. Placidus itaque sapiens, & æquus erroribus, non hostis, sed corrector peccantium, hoc quotidie procedit animo. Multi mihi occurrent vino dediti, multi libidinosi, multi ingrati, multi avari, multi furiis ambitionis agitati. Omnia ista tam propitius aspiciet, quam ægros suos medicus. Nunquid ille cujus navigium multam, undique laxatis compagibus, aquam trahit, nautis ipsique navigio irascitur? occurrit potius, & aliam excludit undam, aliam egerit, manifesta foramina præcludit, latentibus & ex occulto sentinam ducentibus labore continuo resistit: nec ideò intermittit, quia quantum exhaustum est, subnascitur. Lento adjutorio opus est contra mala continua, & fœcunda, non ut desinant, sed ne vincant.

§. 4.

Observationes in Senecam.

Multa hic cum virtute dicta sunt. 1. enim graphicè distinctèque sceleratorum depingit multitudinem num. 1. deinde horum errorem num. 2. apta puerorum, & exercitus seditiosi similitudine attenuat. Denique non esse indignandum, medici & navarchi comparatione, illustrat: ut insignis quidam sit totius orationis splendor. 2. gravis atque elegans sæpe dictio est. ut. *irasci sapiens semper factis debet, omnis illi per iracundiam vita transibit.* illud

illud breve ponderosumque dictum est. *Deficiet, si toties à se iram, quoties causa poscit, exegerit.* illud etiam ex oppositione argutum *Iudex damnaturus quæ fecit, eligitur.* Ut ille olim Philosophus, de rapto ad supplicium reo; *majores fures, minorem ducunt* cujusmodi in decursu plura reperies. Gnomæ verò ubique frequentes illustresque eminent. ut, *nunquam irasci desinet sapiens, si vitiis semel cœperit Major quotidie peccandi cupiditas, minor verecundia est. Innocentia jam denique non rara, sed nulla est,* &c.

Vitiis tamen hoc idem, quamvis politum satis, scriptionis exemplum non exemerim. Nam, quod familiare est sententias operosè affectantibus, nonnunquam in aliquod tautologiæ vitium incidit, cùm pluribus sententijs phrasi, non re, mutata, docet eadem, sic num. 1. reperies, postquam dixit, *omnia sceleribus ac vitiis plena sunt,* aliquot deinde lineis, vix, nisi modicè inflexare & phrasi, dicere aliud, quam supra jam dictum erat Præterea, non satis illud vitat Sententiarum frigus, corruptelamque veritatis, quæ in frequenti earum captatione metuenda est. Quid enim sibi ista volunt num. 1. *Alius judicia Patris accusat quæ mereri satius fuit* & rursum *corona* (intelligo *civium*) *pro mala causa, bona patroni voce corrupta.* Hoc est, opinor, à dicentis eloquentia traducta plebs, malæ favet causæ. Prior sententia neque apertam, neque certam veritatem continet, quid enim hoc est, mereri judicia Patris, quæ accusat? (faciamus hæc esse judicia voluntatis ultimæ) si enim accusat ut iniqua, quomodo bonum est hæc illum mereri? aut obscura hic nimium veritas, aut nulla est, posterior nimis frigidè apponit malæ causæ, bonam vocem corruptricem. Denique aliud eloquentiæ studiosis cavendum in Seneca vitium est, verba sæpe minus lecta aut phrasis probata. Et quenquam in hoc discursu nihil magnopere declinandum se offerat, tamen illud. *Quocunque visum est, libido se impingit,* meo quidem arbitratu minus est probum. Porrò sanam ubique philosophiam nemo ab ipso, tanquam ethnico homine, requiret: integra amplectetur, corrupta reiiciet. Ut cum dicit num. 2. *non tantum necessitas errandi est, sed errorum amor.* Nullam enim Christiani necessitatem errandi admittimus. Hæc sunt quæ observanda duxi, ut pluribus utilem Senecæ lectionem red-

derem, ne hinc aliqui turbidam, hoc est, vitia cum virtutibus, haurirent. Nunc reliquum videtur, ut quemadmodum copia delectusque sententiarum haberi possit, breviter prosequar.

CAPUT VI.

De facilitate & copia Sententiarum comparanda.

VT orationem sententiarum luminibus illustrem habeas, non tanto ingenio, quantum multi suspiciunt, opus est, plus maturitatis prudentiæque, quàm subtilitatis in illo requiritur; ut cum multa repereris, aptâ seligas, & non nisi loco ac tempore hoc ornatu incedas. Inventionis illa est ratio, ut ab hypothesi ad thesin hoc est à singularibus rerum temporum personarumque adjunctis ad communia pluribus orationem transferas, ut siquis dicat, *Apostolus oblivione multarum sanavit injuriarum vulnera*: vel *suo merito Neronis non incurrit odium*: Sententiæ erunt, ubi à persona abstraxeris, dixerisque universè. *Multarum injuriarum remedium est oblivio.* vel, *Id age, tuo te merito nequis oderit.* Quandocunque igitur sententiosè loqui decretum tibi est, rerum genera speciesque, sive illos specta titulos, quibus plerumque capita librorum, sive indices, compleri vides, ut de abstinentia, amicitia, avarita, beneficio, castitate &c. vel de abstinente, amico, avaro &c. universè tantum veritates certas pronuntia, & gnomas habebis. ut, *amantium ira, amoris integratio est Amicitia, aut pares accipit, aut facit. Amici vitia cum foves facis tua. Beneficium acc pere est vendere libertatem. Avaro tam deest quod habet, quam quod non habet* &c.

Porrò integras de moribus orationes, præsertim cum virtutum vitiorumque adjuncta & affectiones exponunt, facilè per sententias magna sui parte prosequeris. Demus enim sic quenquam de Biante Philosopho, postquam opibus exutus esset, sua paupertate exultante, scribere.

Lætus in sua paupertate Bias honestatem opesque non amisit, sed auxit, dives quod illi cum paupertate bene

con-

conveniret. Tantùm enim possidebat, ut plura non cuperet, non immineret alienis, de propriis, quæ nulla essent, bonis minimè solicitus. Habebat quod erat necesse, ideoq; quod satis. Neque de producenda vita anxius, neque de amittendis bonis. Lege illi naturæ definita erant omnia sat lautè epulatus, cum amplius non esuriret: abunde potus, cum non sitiret. Parabilis illi promptaque erat mensa, cum ad supervacua minimè sudaret: nec immaturum senium: nec alienis in regionibus periculum adibat, &c. Hæc aliaque, de sola paupertate enunciata, cum Seneca facilè ita ad sententiosam orationem transferes.

§. 2.

Quædam sententiosè dicta de paupertate. è libris Senecæ excerpta.

HOnesta, inquit Epicurus, res est paupertas læta. Illa verò jam paupertas non est, si læta est. Cui cum paupertate benè convenit, dives est. Non qui parum habet, sed qui plura cupit, pauper est. Quid enim refert, quantum illi in arcâ, quantum in horreis lateat, quantum pascat, aut feneret, si alieno imminet, si non acquisita, sed acquirenda concupiscit? Quis sit divitiarum modus quæris? Primò, habere quod necesse est: secundò quod satis est. Nulli potest secura vita contingere, qui de producenda nimis cogitat. Nullum bonum juvat habentem, nisi ad cujus amissionem præparatus est animus. Magnæ divitiæ sunt, leges naturæ composita paupertas. Lex autem naturæ, scis quos terminos nobis statuit? Non esurire, non sitire, non algere. Vti famem sitimque depellas, non est necesse maria temtare, nec castra sequi. Parabile est quod natura desiderat, & citò apponitur. Ad supervacua sudatur. Illa sunt. quæ togam terunt quæ nos senescere cogunt, quæ in aliena littora impingunt. Ad manum est quod satis est. Si cui sua non videntur amplissima, licet totius mundi dominus sit miser est. Nudum lucro transmittit: etiam ita obsessa via pauperi pax est. Is maximè divitiis fruitur, qui minimè indiget. Si ad naturam vives, nunquam eris pauper: si ad opinionem,

nionem, nunquam dives. Exiguum natura desiderat immensum opinio. Si congeratur in te, quidquid multi locupletes possiderunt, si ultra privatum pecuniæ modum fortuna te provehat, auro tegat, purpurâ vestiat, eò deliciarum opumque perducat, ut terram marmoribus abscondas, non tantùm liceat habere, sed calcare divitias: accedent statuæ & picturæ, & quidquid ars ulla luxuriæ auro & argento elaboravit: majora cupere ab his disces. Desideria naturalia finita sunt: ex falsa opinione nascentia, ubi desinant, non habent. nullus enim terminus falso est. Veritati aliquid extremum est: error immensus est. Retrahe te ergo à vanis: & cum voles scire, an naturalem, an vanam habeas cupiditatem, considera, num alicubi consistat. Si longè progresso semper aliquid longius restat, scito id naturale non esse. Paupertas expedita, secura est. Cum classicum cecinit, scit non se peti: cum aliquò clamatum est, quomodo exeat, non quid efferat; quærit. At cum navigandum est, non strepitu portus, non unius comitatu inquieta sunt littora. Non circumstat illum turba hominum, ad quos pascendos transmarinarum regionum optanda est fertilitas. Facilè est pascere paucos ventres, & benè institutos, & nihil aliud desiderantes, quàm impleri. Paruo fames constat, magno fastidium. Paupertas contenta est desideriis instantibus satisfacere. Sanus dives est, qui licet habeat divitias, eas tamen ut fugientes habet. Quid ergo est, quare recuses eam contubernalem, cujus mores sanus dives imitatur? si vis vacare animo, aut pauper sis oportet, aut pauperi similis. Non potest studium salutare fieri sine frugalitatis curâ. Frugalitas, paupertas voluntaria. Perpessi sunt multotiens exercitus inopiam omnium rerum, vixerunt herbarum radicibus, & dictu fœdam tulerunt famem. Et hæc omnia perpessi sunt pro regno, quò magis mireris, alieno. Dubitabit aliquis ferre paupertatem, ut animum à furoribus liberet? Multis divitias parasse non finis miseriarum fuit, sed mutatio. Nec hoc miror. Non in rebus vitium, sed in animo ipso est, illud quod paupertatem gravem nobis fecerat, & divitias graves faciet. Quemadmodum nihil refert, utrum ægrum in lecto ligneo, an in aureo colloces: quocunque illum transtuleris, morbum suum secum transferet. Sic nihil refert,

utrum

utrum æger animus in divitijs, an in paupertate sit. Malum suum illum sequitur Ad securitatem non est opus fortuna. Quod enim necessitati sat est, dabit, licet irata. Ne imparatos nos fortuna deprehendat, fiat nobis paupertas familiaris. Securius divites erimus. si sciamus, quam non sit grave pauperes esse. Incipe cum paupertate habere contubernium.

Aude hospes contemnere opes, & te quoque dignum
Finge Deo.

Nemo alius dignus Deo est, nisi qui opes contempsit. Quare possessiones tibi non interdico, sed efficere volo, ut illas intrepidè possideas. Quod uno consequeris modo, si te etiam sine illis benè victurum speraveris, & si illas tanquam exituras adspexeris, Discedat quisquis non te, sed aliud in te sequebatur. Ob hoc unum est amanda paupertas, quòd à quibus ameris, ostendit. Multum est, non corrumpi divitiarum contubernio. Magnus ille est, qui in divitijs pauper est. Nemo nascitur dives. Quisquis exit in lucem, jussus est pane, & lacte esse contentus. Ab his initiis regna nos non capiunt. Panem & aquam natura desiderat. Nemo ad hæc pauper est. Intra quæ si quis desiderium suum clusit, cum ipso Iove de felicitate contendat. Res inquieta, felicitas est, ipsa se exagitat, movet cerebrum, non in uno genere. Alios incultum irritat, alios in potentiam, alios inflat, alios mollit. Si vis scire, quam nihil mali sit in paupertate, compara inter se vultum pauperis, & divitis. Sæpius pauper, & fidelius ridet: nulla sollicitudine concutitur. In alto est, cura velut nubes levis transit. Horum qui felices vocantur, hilaritas victa est: huic gravis & suprema superbia, licet non palam, tristitia est: eo quidem gravior, quod interdum non licet palam esse miseros, sed inter ærumnas cor ipsum exedentes, necesse est agere felicem. Abstrahunt à recto divitiæ, honores, potentiæ, & cetera: Quæ opinione hominum cara sunt, precio suo vilia. Nescimus æstimare res, de quibus non cum fama, sed cum rerum natura deliberandum est. Nihil habent ista magnificum, quod mentes nostras in se trahit, præter hoc, quod mirari illa consuevimus. Non enim, quia concupiscenda sunt, laudantur: sed quia concupiscuntur. Hanc præcedentem causam habent divitiæ,

divitiæ, mutant animos, superbiam & arrogantiam pariunt, invidiam trahunt, eò usque mentem alienant, ut fama pecuniæ nos etiam nocitura delectet. Bona omni culpa carere decet: pura sunt, non corrumpunt animos, non solicitant: extollunt quidem animos, & delectant, sed sine tumore. Quæ bona sunt, fiduciam faciunt; divitiæ audaciam. Quæ bona sunt, magnitudinem animi dant; divitiæ insolentiam.]

§. 3.

HUc usque ex Seneca variis de eadem re sententiis lusum est, ut haberet Lector quandam ante oculos copiam, disceretque tanti laboris subtilitatisque non esse hoc in genere dicendi abundare, plus judicii requiri, ut ne frigida, otiosa, aut quandoque etiam falsa pronuntiata ingerantur: cum axiomatum, ac decretorum instar sint, quibus vel gravis sapiensq; vir rem dubiam paucis definit absolvitq;, vel supremus denique Iudex, post rationes utriusque partis maturè expensas pronuntiat sententiam. Unde etiam plerumque epiphonematis loco in oratione argumentum periodumque concludunt.

§. 4.

De elegantia & delectu sententiarum.

PRÆcipua sententiarum gratia, ex illis ferè promanant fontibus, quibus in arte epigrammatica argutiarum elegantiam hausimus. Eò igitur se conferat necesse est, qui hanc assequi ex fundamento constituerit. Hic non tam expositione, atque earum quæ illic dicta sunt, repetitione, quàm exemplorum aliqua positione rem oculis subjicere decrevimus. Neque enim eâdem ubique oberrare chordâ visum est.

1. Primò simplex quoddam sententiarum genus est, quod præcipuam ex sola veritatis, non tamen passim obviæ, luce splendorem trahit. Ut.

Felicitas est nutrix iracundiæ.
Feras, non culpes, quod mutari non potest.]
Fidem qui perdit, perdere nil ultra potest.
Formosa facies muta commendatio est.

Mala

Mala causa est, quæ requirit misericordiam.
Male facere qui vult, nunquam non causam invenit.
Nulli imponas ferre quod ipse non queas.
Patientia animi divitias occultas habet.
Prope est libens ut damnet, qui damnat cito.

2. Aliæ sententiarum oppositione aliqua, quam involvunt, placent. Habent enim hoc ex mutua illa, inter se, & vicissitudine, & collatione gratiæ, quod rem maximè illustrent. Sic nox diei, mors vitæ opposita, hanc reddit illustriorem. Ut si dicas.

Arcum frangit intensio, animum remissio.
Avarus nisi cum moritur, prodest nemini.
Aut amat, aut odit mulier: nihil tertium est.
Bonis nocet, quisquis pepercerit malis.
Discipulus semper prioris est, posterior dies.
Multi famam curant, pauci conscientiam.
Felix improbitas optimorum calamitas est.
Ignoscito sæpe alteri nunquam tibi.
Iudex damnatur, cùm nocens absolvitur.
Loco ignominia est apud indignum dignitas.
Malus bonum cum se simulat, tunc est pessimus.
Metus improbos compescit, non clementia.
O vita misero longa, felici brevis!
Parere scire par imperio gloria est.
Parvo fames constat, magno fastidium.
Pudorem alienum qui eripit, perdit suum.
Quod facere turpe est, dicere honestum ne puta.
Refert quam quis bene vivat, quamdiu non refert.
Stulti timent fortunam sapientes ferunt.
Aleator quanto in arte est melior, tanto est nequior.
Ridiculum est odio nocentis perdere innocentiam.

3. Plus his etiam voluptatis habent, quæ paradoxi instar inopinatum aliquid involvunt, quodque communem expectationem, non tamen veritatem excedat, qualia inter epigrammata docui esse pronuntiata venustissima. Quorum vim gratiamque ut facilius assequaris, exempla aliquantò plura congeremus. Ex his enim maximè capies.

Bis peccas, cum peccato obsequium accomodas.
Bis vincit, qui se vincit in victoria.
Crudelem medicum intemperans æger facit.
Etiam qui faciunt, oderunt injuriam.
Ex vitio alterius sapiens emendat suum.
Graviora quædam sunt remedia periculis.
Imperium habere vis magnum? impera tibi.
In amore semper mendax iracundia est.
In nullum avarus bonus est, in se pessimus.
Inopiæ desunt pauca, avaritiæ omnia.
Inopia instructa est in divitiis cupiditas.
Invitat culpam, qui delictum præterit.
In minimo eget mortalis, qui minimum cupit.
Læsi doloris remedium, inimici dolor.
Malè secum agit æger, medicum qui heredem facit.
Miserrima est fortuna, quæ inimico caret.
Miserum te judico, quod nunquam fueris miser.
Mulier quæ multis nubit, multis non placet.
Pericula timidus, etiam quæ non sunt, videt.
Probo bona fama maxima est hereditas.
Stultum est alium velle ulcisci pœna sua.
Tacere nescit idem, qui nescit loqui.
Tam deest avaro quod habet, quam quod non habet.
Nulla fortuna tam bona est, de qua nil possis queri.

4. Tertium maximè illustrium sententiarum genus est, quod ab egregia quadam similitudine, quam involvit, splendorem mutuatur. Cujusmodi illæ sunt.

Amor, ut lacryma, ab oculis oritur, in pectus cadit.
Etiam capillus unus habet umbram suam.
Etiam sanato vulnere cicatrix manet.
Miseriarum portus tutissimus patientia est.
Fides, ut anima est, unde abiit, nunquam redit.
Fortuna vitrea est, facile cum splendet, frangitur.
Ignis probat aurum, miseria fortem probant.
Spina etiam grata est, ex qua speratur rosa.
Pecunia ancilla est si scis uti, nescis, domina.
Ad metalla quis damnatos esse divites avaros neget?
Est vita ludus, sed divitum tragædia est.
Vt Polypi sic avari, cui adhæserunt, hos tenent.

Opima sæpe Tyrannis dives victima est.
Quotquot adulatores pascis, tot fures catus.

5. Ex quibus facilè animadvertis nunc allegoricè, nunc explicatè in sententiis similitudinem, idque diversa etiam ratione adhiberi. Possent his nonnulla adijci, quæ ad tertium Allusionum (ut in arte Argutiarum appellavi) fontem spectarent. Sed has præterii, quod ejusmodi sint, quæ gratiam non habeant, nisi aliunde ex supradictis rationibus mutuentur. Ut.

Quos sors premit mors levat, & quos sors levat, mors premit.
Spes inopem, res avarum lactat; hic tamen illo est infelicior.

Sententiosum simul argutumq; ex allusione fuit, quod Paulus II. Pontifex dicebat, cum rogatus causam; quare Rhodiensem præfecturam ab Equite & Præfecto Gallo exhaustam Hispano traderet? respondit,

Morbus Gallicus ab Hispano medico curandus fuit.

Hispani enim parciores ingenio, ac minus profusi sunt, ut idcirco per Hispanum instaurandum indicaret, quod per Gallum deperierat.

Hæc Studioso hujus elegantiæ, in oratione soluta, sectatori, ad illam, quæ in sententiis est, vim virtutemque, tum cognoscendam, tum etiam assequendam, sufficere poterunt. Quæ licet parcius, quàm rei dignitas postulet, sim prosecutus, multò tamen hæc eadem ab alijs jejunius pertractata esse reperio; ut illorum comparatione prolixus etiam videri possim. Animadvertet verò etiam prudens Lector, plerasque sententiarum trimetri ferè carminis dimensione absolvi, & quidquid ad tetrametrum, aut ultra procurrit, in illis gigantæum videri. Optima quæque esse, quæ brevissima. Modò significandi virtus nimia brevitate non infringatur.

CAPUT V.

De Fontibus Periodorum.

PEriodus in se phrases, ut hæ voces, complectitur. Est enim illa plurium inter se constructionum ad absolutum unum sensum conjunctio. Ex hujus compositione styli magna pendet varietas. Quod enim iisdem penè verbis alii concisè, circumscriptè alii orationem, aut abrumpant, aut producant; è hoc compositionis potissimum ratione pendet. Quare duæ hîc inprimis observanda sunt. Numerus & figurarum varietas, quæ hic tanquam fundamenta colloco, alibi prolixius expendenda.

I. *Fons. Numerorum ratio.*

Ut ligata oratio variis carminum generibus, à Monometris ad Heptametra usque ascendit (uti in Poeticis sub finem tradidi) ita & soluta per suas phrases oratio. Et ut versus aliquando unus totam absolvit animi sententiam, periodumque: aliquando ad septimum nonumque etiam progreditur; ita solutæ dictionis termini, aut astringuntur brevius, aut longius efferuntur. In his verò, neque breves nimium, quæ sua multitudine hominum memoriam discerpunt, neque nimium productæ quæ auditoris attentionem fatigant, laudari possunt. Optimum est quidquid in medio, sua tamen varietate, consistit: ut sunt terni, quatuor, quini versus. Non eadem ubique res. Sed nec sermonem esse conveniet. Iratus præcipitat, lugens circumducit, pavidus ex abrupto suspendit, arrogans inflatâ tumidaque dictione effertur. Quæ omnia exemplis inculcare & longum sit, & penè in passim obviis supervacaneum. Quantum necesse est in altera parte Palæstræ subveniemus.

2. *Fons. Figurarum varietas.*

Figurarum usus maximè & variat & ornat periodum. Hic *in verbis* I. Adjectione aut detractione fit, idque via ac ratione diversa.

Vel Repetitione. Ut ponamus exemplum supra adhibitum. *In eloquentiæ studio versatus est.*) Iam à primis adolescentiæ annis omnem ad studia cogitationem, omnem laborem, omnem industriam convertit.

Vel conversione. Desideratis hominem rara diligentia in eloquentiæ studiis versatum? versatus est Cicero. Amatis virum ad Reip. defensionem eximia dicendi facultate instructum? instructus est Cicero. Vultis eloquentiæ absolutissimam quandam in uno homine imaginem. Talis idem ipse est Cicero.

Vel complexione. Quis est qui sua eloquentia Remp. Rom. labefactam defendit? Cicero. Quis est qui pestem illam pop. Rom. Catilinam ejecit? Cicero &c.

Vel conduplicatione ejusdem, quod variè fit. Ut dat operam literis, atque eam dat operam, ut in diligentia parem neminem, in eruditione non habeat superiorem.

Literarum studia (advertire diligentiam hominis) literarum, inquam, studia eâ sedulitate tractat, ut omnem in his positam felicitatem suam arbitretur. &c.

Vel traductione Ita hoc eloquentiæ studium complexus est, ut inter ea literarum studia, nihil haberet jucundius studiis.

Immorari his studiis atque adeo etiam immori voluit.

Amare hæc studia visus, quamvis nonnihil habeant amari.

Vel gradatione. Cicero sibi insigni studio eloquentiam, eloquentia gloriam, gloria immortalitatem comparavit.

Vel synonymia. Eruditionem omnem summo studio cognovit, apprehendit, possedit.

Vel Polysyndeto. Et historiæ, & antiquitati, & eloquentiæ operam dedit.

Detractione *per Asyndeton sæpe mutatur oratio.* Ut. cura, studium, vigiliæ, labor indefessus illi ad eloquentiæ possessionem duces fuere.

II. Per aliquam vocum similitudinem: quod variè fieri poterit:

Vel annominatione: Laudatorem hunc non adulatorem existimes, quisquis illum coram ab eloquentiæ studio extulerit:

Vel similiter cadentibus: Si quantum homini inest diligentiæ, tantum & inesset eloquentiæ, concederet nemini: Multi in hujus ævi doctissimis ad laudandum magis, quàm imitandum Ciceronem nati videntur:

Vel compari: Non otiosum, sed industrium; non ludendi, sed legendi avidum manet eloquentia:

Hæc Ciceroni non per otium nata, sed per laborem est comparata:

Vel commutatione: Ingenio artem, arte expolivit ingenium: hoc natura, illam industria ipsi contulit:

Vel correctione: Perpetuum ipsi erat cum literis negotium, imò otium dicam; cum illud negotium sit suavissimum, ac quietis plenum; cura, in qua minimè cura est. *Nota tamen hanc correctionem, ob Annominationem, potius ad verborum figuras referri,* de qua in Palæst. Orat.

In Sententiis.

Interrogatione: Quos ille libros non evoluit, quod non tractavit studium? quæ illi dies sine linea, quæ nox sint vigiliis elapsa est?

Responsione: Quisquamne est, qui sese & in diligentia, & in eloquentia Ciceroni conferre ausit? Equidem neminem tantæ futurum arrogantiæ ac temeritatis existimem. An fortè Hortensius: minimè verò &c.

Anteoccupatione: Literas sibi: quàm opes comparare maluit, quanquam opes præstantiores nullæ sint, quàm eruditio, & nulla major paupertas, quàm (quæ animorum est) ignorantia.

Dubitatione: Quam in homine eruditissimo artem ac scientiam maximè admirer ac deprædicem, nescio. Illamne scribendi loquendique venustatem? an politici juris prudentiam? an rerum humanarum divinarumque cognitionem? At in his omnibus planè Cicero est, quem admirari magis, quàm laudare possumus.

Tilla

Illa inductione personæ: Etenim si ipsa vocem haberet Ignorantia, ita loqueretur. Quid agis Cicero, tu meis me sedibus exturbare audeas, &c.

Vel si ipsa tecum sapientia loqueretur, ore, oculis, voce, ad eam, qua valet, suavitatem & gratiam compositis. Quid agis desidiose adolescens? An non ad eam vocem ex tuo illo ignaviæ somno evigilares?

Apostrophe: Vos domesticos Ciceronis parietes, vos appello vigiliarum atque elucubrationum ejus mihi futuros testes. Intra vos tam nobiles eloquentiæ fructus concepit ac edidit, vos laboris eruditissimi retinetis vestigia.

Hypotyposi, seu descriptione: Multam etiam in noctem libris invigilabat, loco ab omni strepitu remoto, nullo teste aut arbitro, fronte, oculis, vultu, omni adeo corporis sensu in hunc laborem conspirante, frons erat severa, & meditanti simillima &c.

Ethopæia, seu imitatione morum: Ab alijs sese occupationibus quanta potuit celeritate subducebat, piam aliquam necessitatem, qua se aliorum consuetudine liberaret commentus. Deinde domum magis avolare, quàm pergere, vixque aliquo domesticorum salutato ad Musei sese solitudinem proripere, libros circumspicere, tractare, evolvere.

Sustentatione. Iam à ludo literario ad lusum atque otium alij, nonnulli etiam ad noxias quorundam societates, ad temulentorum hominum greges, & aleatorum tabernas divertebant. Socium hunc, & optabant, & orabant quamplurimi, quibus vaga libertas magis, quàm laboriosum eloquentiæ studium cordi erat. Quid hic egisse censetis hominem consuetudinis humanæ percupidum, & ad gratiam ac jucunditatem natum? an in hisce temporum, ætatis, ac societatis blanditiis, ab illo studiorum rigore nunquam deflexerit? Erat sæpe numero & peropportuna occasio, & importuna occasio, & importuna aliorum provocatio, invitabat aëris amœnitas, labor deterrebat. Sed enim divelli à cœpto non poterat &c.

Præteritione: Mitto illam antiquitatis memoriam, philosophiæ cognitionem, legum æquitatisque peritiam, ad illam venio dicendi facultatem, qua ante alios Cicero valuit.

Distributione: Illi neque in legendis eruditorum scripti assiduitas, neque in assequendis eorum præceptionibus facilitas, neque in lectissimis quibusque scriptoribus imitandis ingenium deerat. Nam & legebat attentè, & expendebat maturè; & reddebat promptè, &c.

Permissione: Vobis igitur permitto adolescentes, ut statuatis; quid factu optimum, Otióne in prima ætate diffluere, an literis dare operam? &c.

Vel Ite nunc socordes animæ atque otio, si lubet, diffluite, contemnite illa studia, quæ adolescentiam ornant, juventutem honorant, alunt senectutem, &c.

Rejectione: Quid enim in illis desidiosè versaretur studiis, quæ futura erant commune quoddam bonorum præsidium, Reip. fulcrum, ætatis propriæ ornamentum?

Collatione: Cum in hisce studiis, tanquam amœno aliquo florum viridario ageret, nihil illi in labore triste ac horridum poterat offerri.

Antithesi: Hinc blanda noctis quies, inde molestæ vigiliæ; hinc molle otium, inde difficilis labor; hinc amœna æqualium societas; inde aspera musei solitudo. Omnia hinc ad voluptatem: inde ad horrorem comparata, aut alliciebant, aut absterrebant. Sed Cicero honestatem delectationi præferebat &c.

Antithesis *conversio*. Multi in molestum otio negotium; Cicero in hoc negotio dulce visus est otium occupasse.

Hęc ad hujus fontis communicandam copiam, non omnino insipienti palato suffecerint. qui sæpius etiam hanc periodum inflectere voluerit, consulat, quæ de figuris paulò disertius parte altera tradituri sumus. Modò hic juvat acquiescere, & monere, ut simili nonnunquam circa rem eandem exercitatione sequaris, cum nihil ad eloquendi copiam varietatemque hac possit utilius reperiri.

***

CAPUT

CAPUT VI.

De Varijs dicendi generibus, eorumque discrimine. *Quintil. lib. 2. c. 10.*

1. *Magna dicentium, ut pictorum & statuariorum diversitas: aliisq; placent alij. Inter omnes maximè celebres Asiani, Attici, & Rhodij.*
2. *Attici oratorum præcipui; non solum tenues, sed florentes, ac concitati quoque.*
3. *Græci facilitate ac copia verborum, Romani majestate & vi excellunt.*
4. *Triplex dictionis character præcipuus, cujus variæ sunt species.*
5. *Orator pro rerum temporumque ratione, utetur omnibus.*
6. *Corruptum illud tumidum, ac molle dicendi genus subterfugiendum est.*
7. *Nimia cura jam exercitato Oratori deserenda est; ultro se offerentibus utendum.*

1. NON quidquid ad aliquam partem scientiæ pertinet, protinus ad faciendam etiam phrasin, de qua loquimur, accomodatum est. Quidam solos veteres legendos putant, neq; in ullis aliis esse naturalem eloquentiam, & robur viris dignum arbitrantur. Alios recens hæc lascivia deliciæq;, & omnia ad voluptatem multitudinis imperitæ cōposita delectant. Sunt etiam qui rectum dicendi genus sequi volunt. Alij pressa demum & tenuia, & quæ minimum ab usu quotidiano recedant, sana & verè Attica putant. quosdam elatior ingenij vis, & magis concitata, & plena spiritus capit. Sunt & lenis, & nitidi & compositi generis non pauci amatores &c. *hæc lib. 10. c. 1. Quinti l. habet, quibus lib. 12 c. 10. addit.*

Cum sit autem Rhetoris atq; Oratoris opus oratio, pluresq; ejus formæ, in omnibus his & ars est, & artifex. Plurimum tamen invicem differunt, nec solum specie, ut signum signo, & tabula tabulâ, & actio actione; sed genere ipso, ut à Græcis Tuscanicæ statuæ, & Asianus eloquens Attico.

Suos

Suos autem hæ operum genera, quæ dico, ut autores, sic etiam amatores habent. Primi quorum quidem opera, non vetustatis modo gratia visenda sint, clari pictores fuisse dicuntur polygnotus atque Aglaophon, quorum simplex color sui studiosos adhoc habet. Post Zeusis atque Parrhasius non multum ætate distantes plurimum arti addiderunt. Quorum prior lumenum umbrarumque invenisse ratione, secundus examinasse subtilius lineas traditur. Nam Zeusis plus membris corporis dedit, id amplius atque augustius ratus atque, ut existimant, Homerum secutus, cui validissima quæque forma etiam in feminis placet : ille vero ita circumscripsit omnia, ut eum legumlatorem vocent; quia Deorum atque heroum effigies, quales ab eo sunt traditæ, ceteri tanquam ita necesse sit sequuntur. Floruit autem circa Philippum & ad successores Alexandri pictura præcipue sed diversis virtutibus. Nam cura Protogenes, ratione Pamphilus & Melanthius, facilitate Antiphilus, concipiendis visionibus (quas φαντασίας vocant) Theon Samius, ingenio & gratia, quam in se ipse maximè iactat, Apelles est præstantissimus. Euphranorem admirandum facit, quod & ceteris optimis studijs inter præcipuos, & pingendi fingendique idem mirus artifex fuit. Similes in statuis differentia. Nam duriora & Tuscanicis proxima Callon atque Ægesias, jam minus rigida Calamis, molliora adhuc supradictis Myron fecit. Diligentia & decor in Polycleto supra ceteros. Cui quanquam à plerisque tribuatur palma, tamen ne nihil detrahatur, deesse pondus putent. Nam ut humanæ formæ decorem addiderit supra verum, ita non explesse Deorum authoritatem videtur. Quin idem ætatem quoque graviorem videtur refugisse, nihil ausus ultra læves genas. At quæ Polycleto defuerunt Phidiæ atque Alemeni dantur. Phidas tamen Diis quam hominibus efficiendis melior artifex traditur: in ebore verò longe citra æmulum, vel si nihil nisi. Mineruam Athenis, aut Olympium in Elide Iovem fecisset. Cujus pulchritudo adiecisse aliquid etiam receptæ religioni videtur, adeo majestas operis Deum æquavit,

Ad veritatem Lysippum & Praxitelem accessisse optimè affirmant, Nam Demertius tanquam nimius in ea reprehenditur, & fuit similitudinis, quam pulchritudinis amantior. In oratione verò si species intueri velis, totidem

penè

penè reperias ingeniorum, quam corporum formas. Sed fuere quædam genera dicendi conditione temporum horridiora, alioquin magnam ingenij vim præ se ferentia. Hinc sunt Lælij, Africani, Catones, Gracchique, quos tu licet Polygnoros, & Callonas appelles. Mediam illam formam teneant L. Crassus & Q. Hortensius. Tum denique efflorescat, non multum inter se distantium temporum oratorum ingens proventus, hinc vim Cæsaris, indolem Cælij, subtilitatem Callidij, gravitatem Bruti, acumen Sulpicii, acerbitatem Cassij, diligentiam Pollionis, dignitatem Messalæ, sanctitatem Calvi reperimus. In his etiam, quos ipsi vidimus, copiam Senecæ, vires Africani, maturitatem Afri, iucunditatem Crispi, sonum Rachalli, elegantiam Secundi. At M. Tullium non illum habemus Euphranorem circa plurium artium speciem præstantem, sed in omnibus quæ in quoque laudantur, eminentissimum. Quem tamen & suorum homines temporum incessere audebant ut tumidiorem & Asianum & redundantem, & in repetionibus nimium, & in salibus aliquando frigidum, & in compositione fractum, exultantem, ac penè (quod procul absit) viro molliorem. Præcipuè verò presserunt eum qui videri Atticorum imitatores concupierant. Quibus quia multa & pluribus locis Cicero respondit, tutior mihi de hoc disserendi brevitas erit. Et antiqua quidem illa divisio inter Asianos atque Atticos fuit, cum hi pressi & integri, contra inflati illi & inanes haberentur: & in his nihil superflueret; illis judicium maximè & modus deesset. Tertium mox, qui hoc videbant, adiecerunt genus Rhodium, quod veluti medium esse atque ex utroque mistum volunt. Neque enim Atticè pressi, neque Asianè sunt abundantes; ut aliquid habere videantur gentis, aliquid authoris. Æschines enim, qui hunc exilio delegerat locum, intulit eò studia Athenarum, quæ (velut sata quædam cœlo terraque degenerant) saporem illum Atticum peregrino miscuerunt. Lenti ergo quidem ac remissi, non sine pondere tamen: neque fontibus puris, neque torrentibus turbidis, sed lenibus stagnis similes habentur. Nemo igitur dubitaverit longè esse optimum genus Atticorum, in quo, ut est aliquid inter ipsos commune, id est, iudicium acre tersumque, ita ingeniorum plurimæ formæ.

2. Quapropter mihi falli videntur, qui solos esse Atti-

eos credunt tenues & lucidos & significantes, sed quadam eloquentiæ frugalitate contentos ac semper manum intra pallium continentes. Nam quis erit hic Atticus? sit Lysias. Hunc etiam amplectuntur amatores istius nominis. Interrogare tamen velim, an Isocrates Attice dixerit? Negabunt? At ejus schola principes Oratorum dedit. Quæratur similius aliquid. Hyperides Atticus? Certè. At plus indulsit voluptati. Quid ille, cujus modò fecimus mentionem Æschines? nonne his latior & audentior, & excelsior? Quid denique Demosthenes, non cunctos illos tenues, & circumspectos, vi, sublimitate, impetu, compositione superat, non insurgit locis? non figuris gaudet? non translationibus nitet, non oratione ficta dat carentibus vocem. Quid Pericles? similemne credimus Lysiacæ gracilitati, quem fulminibus & cælesti fragori comparant Comici, dum illi convitiantur? Quid est igitur cur in ijs demum, qui tenui venula per calculos fluunt saporem Atticum putant? ibi demum thymum redolere dicant? Quos ego existimo, si quod his finibus uberius invenerint solum, fertiliorem segetem, negaturos Atticum esse, quod plus quam receperit seminis reddat. Itaque siquis nunc ad eas Demosthenis virtutes, quas ille summus Orator habuit, tamen quæ defuisse ei, sive ipsius natura, sive lege civitatis videntur, adiecerit, ut affectus concitatos moveat: audiam dicentem; non fecit hoc Demosthenes? & siquid exierit numeris, aptius (fortasse non possit, sed tamen siquid exierit) non erit Atticum? Melius de hoc nomine sentiant, credantque Atticè dicere, esse optimè dicere.

3. Est vero sermo Græcus tantò latino jucundior; ut nostri Poetæ quoties dulce carmen esse voluerunt, illorum id nominib⁹ exornent. His illa potentiora ducāt, quod res plurimæ carent appellationibus, ut eas necesse sit transferre, aut circumire, etiam in ijs, quæ denominata sunt, summa paupertas in eadem nos frequentissimè revoluit. At illis non verborum modo, sed & linguarum inter se differentium copia est. Quare qui à Latinis exiget illam gratiam sermonis Attici, det mihi in loquendo eandem jucunditatem & parem copiam. Quod si negatum est, sententias aptabimus ijs vocibus quas habemus, & quo minus adiuvat sermo, rerum inventione pugnandum est. Sensus sublimes varijque

eruan-

cuantur. permovendi omnes affectus erunt: oratio translationum nitore illuminanda. Non possumus esse tam graciles? simus fortiores, subtilitate vincimur? valeamus pondere, proprietas penes illos est certior? copia vincamus, translatorum scilicet. Ingenia Græcorum etiam minora suos portus habent, nos plerumq; majoribus velis movemur; validior spiritus nostros sinus tendat. Non tamen alto semper feremur: nam & littora interim sequenda sunt. Illis facilis per quælibet vada accessus, ego aliquid, non multò tamen altius, in quo mea cymba non sidat, inveniam. Possumus autem rerum & judicio & modo esse similes; verborum gratia, quam in ipsis non habemus extrinsecus cundienda est. An non in privatis & acutus, & indiscinctus, & supra modum elevatus est Tullius? &c. Et hoc quod vulgo sententias vocamus (veteribus præcipueq; Græcis in usu non fuit; apud Ciceronem invenio (dum rem contineant & copia rerum redundent, & ad victoriam spectent, quis utile neget? ferunt animum & uno nictu frequenter impellunt, & ipsa brevitate magis hærent, & dictione persuadent.

4. Altera est divisio, quæ in partes & ipsa discedit, quæ discerni etiam posse rectè dicendi genera inter se videntur. Namque unum subtile, quod *ἰσχνὸν* vocant, alterum grande atque robustum, quod constituunt *ἁδρὸν*: tertium, alij medium ex duobus, alij floridum (namque & *ἀνθηρὸν* appellant) addiderunt. Quorum tamen ea fere ratio est, ut primū docendi, secundū movendi, tertium illud, utrocunq; nomine, delectandi, sive aliud interconciliandi præstare videtur officiū, in docendo autem acumen, in interconciliando lenitas, in movendo gravitas videatur. Itaque illo subtili præcipuè ratio narrandi probandique consistet; sed quod etiam detractis ceteris virtutib⁹, suo genere plenū sit. Medius hic modus & translationibus crebrior, & figuris erit iucundior, egressionibus amœnus, compositione aptus, sententijs dulcis lenior tamē; ut amnis lucidus quidā, & virentibus utrimque silvis inumbratus. At ille qui saxa devolvat, & pontem dedignetur, & ripas sibi faciat multas, ut torrens iudicem, vel contra nitentem, feret, cogetque ire, quà rapit. Hic orator & defunctos excitabit, ut *Appium cæcum* (*Pro Cælio*) Apud hunc & *patria ipsa exclamabit*, aliquemque (ut apud Ciceronem in oratione. 1. contra Catilinā in senatu) alloquetur. Hic & amplificationibus extollet orationē, & vi superlatio-

tionum quoque eriget. *Quæ charybdis tam vorax &c. Oceanus medius fidius ipse* &c. (*Philip.* 2.) Nota sunt enim jam studiosis hæc lumina. Hic Deos ipsos in congressum prope suum sermonemque deducet. *Vos enim Albani tumuli atq; luci? vos, inquam, Albanorũ obrutæ aræ, sacrorũ populi Rom. sociæ & æquales* (*Pro Milone*) Hic misericordiam inspirabit: hic dicet, *te vidit, & flevit, & appellavit*, & per omnes affectus trahetur. Quare si ex tribus dicendi generibus necessariò sit eligendum unum, quis dubitet hoc præferre omnibus, & validissimum alioqui, & maximis quibusque causis accommodatissimum? Nam & Homerus brevem quidem, cum animi jucunditate, & propriam (id enim est non errare verbis) & carentem supervacuis eloquentiam Menelao dedit, quæ sunt virtutes generis illius primi, & ex ore Nestoris dixit dulciorem melle fluere orationem: qua certè delectatione nihil fingi majus potest. Sed summam aggressus, ut in Vlysse, facundiam magnitudinem illi junxit: cui orationem flumini hibernis nivibus aucto, copia verborum atque impetu parem tribuit. Cum hoc igitur nemo mortalium contendet; hunc, ut Deum, homines intuebuntur. hanc vim & celeritatem in Pericle miratur Eupolis, hanc fulminibus Aristophanes comparat: hæc est vera dicendi facultas.

Sed neque his tribus quasi formis inclusa eloquentia est. Nam, ut inter gracile validumque, tertium aliquid constitutum est; ita horum intervalla sunt. Atq; inter hæc ipsa mistum quiddam ex duobus medium est eorum. Nam & subtili plenius aliquid, atque subtilius; & vehementi remissius atque vehementius invenitur. Vt illud leue, aut ascendit ad fortiora, aut ad tenuiora submittitur, ac sic prope innumerabiles species reperiuntur, quæ utique aliquo momento inter se differant. Sicut quatuor generaliter ventos, à totidem mundi cardinibus accepimus flare, cum interim plurimi medij eorum, varietate regionum ac fluminum propriè deprehendantur. Eademque Musicis ratio est, qui cum in cithara quinque constituerunt sonos, plurima deinde varietate complent spacia illa nervorum, atque ijs, quos interposuerunt, inserunt alios, ut pauci illi transitus munitos gradus habeant.

5. Plures igitur etiam eloquentiæ facies; sed stultissimum

unum quærere, ad quam recturus se sit orator: cum omnis species, quæ modo recta est, habeat usum, atque id ipsum omne sit oratoris, quod vulgò genus dicendi vocant. Vtetur enim, ut res exiget, omnibus, nec pro causa modò, sed & pro partibus causæ. Nam, ut non eodem modo, pro reo capitis, & in certamine hereditatis, & in interdictis ac sponsionibus, & de certa re credita dicet; sententiarum in senatu, & concionum, & privatorum consiliorum servabit discrimina, vitam ex differentia personarum, locorum temporumque mutabit, ita in eadem oratione aliter conciliabit, non ex iisdem partibus iram & misericordiam petet, alias ad docendum: alias ad movendum adhibebit artes. Non unus color procemij, narrationis, argumentorum, agressionis, perorationis servabitur. Dicet idem graviter, severè, acriter, vehementer, concitatè, copiosè, amarè, comiter, remissè subtiliter, blandè, leniter, dulciter, breviter, urbanè, non ubique simul; sed ubicunque par sit. Sic fiet tum id, propter quod maximè repertus est usus orationis, ut dicat & utiliter, & ad efficiendum quod intendit, potenter, tum laudem quoque, nec Doctorum modò, sed & vulgi consequetur.

6. Falluntur enim plurimum, qui vitiosum, & corruptum dicendi genus, quod aut verborum licentia resultat, aut puerilibus sententiolis lascivit, aut immodico tumore turgescit, aut inanibus locis bacchatur, aut casuris, si leviter excutiantur, flosculis nitet, aut præcipitia pro sublimibus habet, aut specie libertatis insanit: magis existimant populare atque plausibile. Quod quidem placere multis nec inficior, nec miror. Est enim jucundioris, ac fauorabilis qualiscunque eloquentiæ, & ducit animos naturali voluptate vox omnis, neque aliunde illi, sunt per fora atque aggerem circuli, quò minus mirum est, quod nulli non agentium parata vulgi corona est. Vbi verò quid exquisitius dictum accidit auribus imperitorum, qualecunque id sic; modò sic ipsi posse desperent, habet admirationem, neque immeritò: nam ne illud quidem facile est. Sed evanescunt hæc atque emoriuntur, comparatione meliorum, ut lana tincta fuco, citra purpuram placet, at si contuleris etiam lacernæ conspectu melioris obruatur, ut Ovidius ait. Si verò judicium his corruptis acrius adhibeas, ut buccinis purpuram: jam illud

quod fefellerat, exuat mentitum colorem, & quadam vix enarrabili fœditate pallescat. Luceat igitur hæc citra solem, ut quædam exigua animali, igniculi videntur in tenebris. Denique mala multi probant, nemo improbat bona.

Neque verò omnia ista, de quibus locuti sumus, orator optimè tantum; sed etiam facillimè faciet. Neque enim vis summa dicendi est admiratione digna, si infelix usque ad ultimum solicitudo persequitur, ac oratorem macerat ac coquit, ægre verba vertentem, & perpendendis coagmentandisque eis intabescentē. Nitidus ille, & sublimis, & locuples, circumfluentibus undique eloquentiæ copijs imperat. Desinit enim in adversa niti; qui pervenit in summum. Scandenti circa ima labor est: ceterùm, quantum processeris, mollietur dives & lætius solum. Et si hæc quoque iam levius suprema perseverantibus studijs evaserit, inde fructus illaborati offerunt sese, & omnia sponte proveniunt, quæ tamen quotidie, nisi decerpantur, arescunt. Sed & copia habet modum, sine quo nihil nec laudabile, nec salutare est: & nitor ille cultum virilem, & inventio judicium. Sic erunt magna, non nimia: sublimia, non abrupta: fortia, non temeraria: severa, non tristia: gravia, non tarda: læta, non luxuriosa: iucunda, non dissoluta: plena, non tumida. Similis in ceteris ratio est. Tutissima fere per medium via, quia utriusque ultimum vitium est.

CAPUT

CAPUT VII.

Quatuor præcipua Styli genera, in plerisque scribendi Characteribus, & argumentis usurpata, suis exemplis, distinctione, & imitatione expressa.

SOluta orationis stylum plerique Rhetorum cum Cicerone & Quintiliano, (ut latius in Palæstra oratoria *videbimus lib.* 1. *c.* 36.) *ratione materiæ in humilem, mediocrem, & sublimem dividunt: qui, ex forma adiunctisque, in quatuor, alius species poterit separari; concisum videlicet, & circumductum, argutum, & grande, seu liberius elatum. Quæ quidem eiusmodi sunt, ut pro ingeniorum diversitate, occupentur à diversis, & vix quisquam repertus sit, qui excellat in omnibus. Cicero, ut concisum dicendi genus, minus fuerit aspernatus, quin Epistolis ad Atticum studiosè etiam consectatus videatur, tamen in solo penè circumducto eminuit, minus quoque in arguto elatoque scribendi genere versatus. Mihi nunc propositum est singulorum naturam affectionesque, inductis optimorũ autorum exemplis proponere, viamque ad illorum haud difficilem imitationem aperire; ut cuique non indiligenti sectatori liceat, nunc pressis velut habenis tolutim incedere, nunc liberiori cursu effundi latius, nunc argutis sese flexibus in diversas oppositasque librare partes, nunc regia quadam maiestate gradatim ferri. Ut enim minus ille peritus eques videtur, qui hæc pleraq; nesciat, ita orator, qui paria ignoret. Nos ut singulorum faciliùs generum rationes assequamur, per exempla potissimùm incedemus.*

§. 1.

De Stylo conciso Epistolico.

Stylus concisus est, qui vel paucis verbis cum virtute absolvit sententiam; vel sæpe insistens periodum nervosè implet. In hoc genere scribendi Salustius olim, & Plinius secundus frequenter, tum Seneca Rhetor & Quintilianus nonnunquam; sed magna cum laude, versati sunt. Hac ætate Lipsius, ac parum feliciter, aliquantò tamen felicius Erycius Puteanus, at procul à virtute maiorum, sunt consectati. Cicero quandoque in eodem, & quidem suavissimè in quibusdam ad Tironem & Atticum epistolis, sese adstrinxit.

1. *Itaque in hoc stylo requiritur, ut lectissima voces sint, & magna significandi virtute prædita, ne epithetorum supplementis frequenter egeant.*

2. *Ne quicquam adhibeatur, quod salvo eodem sensu, possit removeri.*

3. *Rerum sententia adstrictis, brevibusque phrasibus exponenda est. Talis illius epistolæ dictio est.*

§. 2.

Marcus Tullius Cicero Tironi suo S. P. D.

Vide quanta in te sit suavitas. Duas horas Thyrei fuimus. Xenomanes hospes tam te diligit, quàm si vixerit tecum. Is omnia pollicitus est, quæ tibi essent opus. Facturum puto. Mihi placebat, si firmior esses, vt te Leucadem deportares; ut ibi te plane confirmares. Videbis, quid Curio, quid Lysoni, quid medico placeat, &c. Ego omnem spem tui diligenter curandi in Curio habeo. Nihil potest illo fieri humanius, nihil nostri amantius. Ei te totum trade. Malo te paulò post valentem, quàm statim imbecillum videre. Curá igitur nihil aliud, nisi ut tu valeas; cetera ego curabo.

In hac dictione illas, quas supra memoravi, dotes reperies. Quid enim his verbis, si à primo ad ultimum expendas omnia, lectius haberi poterit? quid est, quod vel submoveri possit, vel paucio-

paucioribus, ea virtute, exprimi? Sed & alia ejusdem scriptionis dotes sunt.

4. *Quarto enim amat oppositiones, aut correctiones, vel exceptiones, ab illis qua dicta sunt. Subitas item admirationes, exclamationes, & interrogationes, Hac enim ejusmodi sunt, qua orationem sape incisam, & abruptam desiderant.*

5. *Cum periodi aliquantulum producuntur, solent incisa minima vel dissolutè & sine conjunctionibus, vel etiam iteratis conjunctionibus iisdem acervari. Repetitiones quoque earundem particularum frequentari.*

9. *Gnoma paræmia, antiquitates inspergi, graca nonnunquam, præsertim sententiosa, admisceri. Exemplis illa subjectis magis patebunt, à Cicerone lubet ordiri.*

§. III.

Cicero Attico S. lib. 7. Epist.

Dionysium, flagrantem desiderio tui, misi ad te: nec, me hercule, æquo animo, sed fuit concedendum. Quem quidem cognovi, cùm doctum (quod mihi ante erat notum) tum sanctum plenum officij, studiosum etiam meæ laudis, frugi hominem: ac, ne libertinum laudare videar, planè virum bonum, Pompeium vidi 4. idus Decemb. Fuimus unà horas duas fortasse Magna lætitia mihi visus est affici meo adventu: de triumpho hortari, suscipere partes suas; monere, ne ante in senatum accederem, quàm rem confecissem: ne dicendis sententijs aliquem tribunum alienarem. Quid quæris? in hoc judicio, & officio sermonis nihil potuit esse prolixius. De rep. autem mecum ita locutus est, quasi non dubium bellum haberemus, nihil ad spem concordiæ. Planè illum (*Cæsarem*) ab se alienatum, tum ante intelligeret, tum verò proximè judicasse. Venisse Hirtium à Cæsare, qui esset illi familiarissimus: ad se non accessisse &c. Hoc illi τεκμηριῶδες *a* videbatur, esse alienationis. Quid multa? nihil me aliud consolatur, nisi quod illum, cui etiam inimici alterum Consulatum, fortuna summam potentiam dederit, non arbitror fore tam amentem, ut hæc in discrimen adducat. Quod si ruere cœperit; næ ego multa timeo, quæ non audeo scribere. Sed, ut nunc est, ad III. Non. Ian. ad urbem cogito.

a *indicium*

Animadvertes hic correctiones, interrogationesque, ac dissolutè plura se invicem, in producta periodo, incisa consequi. Proverbijs etiam alicubi usus est, ut l. 13. ad Atticum sic habet.

De Varrone loquebamur. Lupus in fabula. Venit enim ad me, & quidem id temporis, ut retinendus esset. Sed ego ita egi, ut non scinderem penulam. Memini enim tui: & multi erant, nosque imparati. Quid refert? paulò post C. Capito cum T. Currinate. Horum ego vix attigi penulam, tamen remanserunt. Cecidit bellè, sed casu, sermo à Capitone de urbe augenda &c.

Nunc alios à Tullio hoc scribendi genere in primis delectatos exercitatosque audiamus, atque inprimis Plinium.

§ 4.

C. Plinius Cornelio Tacito. S. Epist. l. 1. ep. 20.

Brevem orationem in Causis agendis minimè commendari.

FRequens mihi disputatio est cum quodam docto homine & perito, cui nihil æquè in caussis agendis, ut brevitas placeat. Quam ego custodiendam esse confiteor, si causa permittat alioqui prævaricatio est, transire dicenda: prævaricatio etiam, breviter & cursim, attingere, quæ sint includanda, infigenda, repetenda. Nam plerisque longiore tractatu vis quædam & pondus accedit. Utque corpori ferrum, sic oratio animo non ictu magis, quam mora imprimitur. Hic ille mecum auctoritatibus agit, ac mihi ex Græcis orationes Lysiæ ostentat, ex nostris Gracchorum Catonisque, quorum sanè plurimæ sunt circumcisæ & breves; ego Lysiæ Demosthenem, Æschinem, Hyperidem, multosque præterea: Gracchis & Catoni Pollionem, Cæsarem, Cælium, inprimis M Tullium oppono, cujus oratio optima fertur, quæ maxima. Non enim amputata oratio, & abscissa; sed lata, magnifica, & excelsa tonat, fulgurat, omnia denique perturbat, ac miscet. Optimus tamen modus est. Quis negat? sed non magis servat modum, qui infra

stra rem, quam qui supra; qui adstrictius, quam qui effusius dicit. Itaque (quod audis frequenter) ut illud immodicè & redundanter; ita hoc jejunè & infirmè. Alius excessisse materiam, alias dicitur non implesse: sed ille imbecillitate, hic viribus peccat quod certè, etsi non limatioris; majoris tamen ingenij vitium est. Nec verò cum hæc dico illud Homericum ἀμετροεπῆ a probo. &c. At gratior est multis actio brevis. Est; sed inertibus, quorum delicias desidiamque, quasi judicium respicere ridiculum est. Nam si hos in consilio habeas, non solum satius est breviter dicere, sed omnino non dicere. Hæc est adhuc sententia mea, quam mutabo si tu dissenseris. Sed planè, cur dissentias, explices rogo, quamvis enim cedere autoritati tuæ debeam, rectius tamen arbitror, in tanta re, ratione, quàm autoritate superari.

a *sine modo verba effundentem*

§. 5.

Ep. 22. ib. Laudat eruditionem virtutem & patientiam Aristonis.

Diu jam in urbe hæreo, & quidem attonitus. Perturbat me longa & pertinax valetudo Titi Aristonis, quem singulariter & miror & diligo. Nihil est enim illo gravius, sanctius, doctius; ut mihi non unus homo, sed literæ ipsæ, omnesque bonæ artes in uno homine summum periculum adire videantur. Quam peritus ille, & privati juris & publici? quantum rerum? quantum exemplorum? quantum antiquitatis tenet? Nihil est quod discere velis, quod ille docere non possit. Mihi certè quotis aliquid abditum quæro, ille thesaurus est. Adhæc quàm parcus in victu, quàm modicus in cultu! Soleo ipsum cubiculum illius ipsumque lectum, ut imaginem quandam priscæ frugalitatis aspicere. Ornat hæc magnitudo animi, quæ nihil ad ostentationem, omnia ad conscientiam refert: rectèque facti, non ex populi sermone, mercedem, sed ex facto petit. In summa, non facilè quis quenquam ex istis, qui sapientiæ studium habitu corporis præ se ferunt, huic viro compararit. Non quidem gymnasia sectatur, aut porticus, nec disputationibus longis aliorum ocium suum delectat; sed in toga negotiisque versatur. Multus ad vo-

catione, plures consilio iuvat, nemini tamen istorum castitate, pietate, justitia, fortitudine, etiam primo loco, cesserit. Miraretis, si interesses, qua patientia hanc ipsam valetudinem toleret; ut dolori resistat, ut sitim differat, ut incredibilem febrium ardorem immotus, opertusque transmittat.

§. 6.

Epist. lib. 2. ep. 3. facultatem dicendi in Isæo commendat.

MAgna Isæum fama præcesserat, major inventus est. Summa est facultas, copia, ubertas Dicit semper ex tempore, sed tanquam diu scripserit. Sermo Græcus, imò Atticus. Præfationes tersæ, graciles, dulces; graves interdum & erectæ. Poscit controversias plures, electionem auditoribus permittit, sæpè etiam paratus surgit. Iam igitur incipit; statim omnia ac penè pariter ad manum. Sensus reconditi, occursant verba; sed qualia quæsita & exculta. Multa lectio in subitis, multa scriptio elucet. Procemiatur aptè, narrat apertè, pugnat acriter, colligit fortiter, ornat excelsè, postremò docet, delectat, adficit. Quid maximè dubites. Crebra ἐνθυμήματα, syllogismi circumscripti, & effecti, quod stylo quoque effici magnum est. Incredibilis memoria, repetit altius quæ dixit ex tempore ne verbo quidem labitur, ad tantam ἕξιν a studio & exercitatione pervenit Nam diebus & noctibus nihil aliud agit, nihil audit, nihil loquitur. Annum sexagesimum excessit, & adhuc scholasticus tantum est. Quo genere hominum nihil aut simplicius, aut syncerius, aut melius. Nos enim qui in foro verisque litibus terimur, multum malitiæ, quamvis nolentes, addiscimus. Schola & auditorium, & ficta causa, res inermis, innoxia est, nec minus felix, senibus præsertim.

In his tribus Plinij epistolis eruditè accisis, invenies diversa ratione dicendi brevitatem cum venustate conciliari. Prima correctione, exceptione oppositione gratiam membris periodisque incisis facit, altera tertiaque etiam modo plura dissolutè jungendo modò repetitis particulis insistendo casam dictionem ornat.

a *habitum*

CAPUT

CAPUT IX.

De Stylo historico conciso.

Historia maiestate quadam orationis, rebus grandibus, quibus sæpe recensendis immoratur, similior, supra epistolæ humilitatem assurgit, neque tamen illo flore deliciisque dicendi pascitur, quibus mediocre illud genus orationis, cujus alibi meminimus, innutritur. Vnde par est, ut inter utrumque, illud submissum, & hoc temperatum, velut medium, subsistat. Quare tum hac concisione sententiarum, de qua actum in Epistolis, illa sermonis dignitas gravitasque nonnihil attenuatur, nunc insistente, nunc rursum præcipiti, sine certis numeris, dictione: Videndum nobis quoque est, quid historicum deceat, conciso illo dicendi generi immorantem.

Et primò quidem aliis observationibus, quam quas supra dedimus, ad styli incisionem, opus non erit, plenior aliquantulum & ad numerum magis composita incedat oratio. In Epistolis juvenili prosilit discurritque impetu: nunc subsistit, nunc cursim fertur, nunc graditur rursum oratio; sed historicus viri maturioris incessu refert, majorique insistit cœpta semel via constantia, neque ordiri, neque finire ubique cursum paratus. Quanquam, ut viri idem confecturi iter, non iisdem incedunt omnes passibus; sed brevioribus pygmæi, at frequentius iteratis; longioribus, at tardius repetitis, homines gigantæi, ita quibus stylus in historia vel concisior, vel productior est: pygmæis magis illi, hi Gigantibus similiores, orationis periodum conficiunt. Suo quisque ingenio aut arte hanc mensuram definit. Verba pro pedibus, incisa pro passibus sunt. Illi tamen videntur currere, hi incedere, cum eodem dictionis ambitu, pari via circumferuntur. Nos ex Salustio Plinioque succinctæ orationis in historia dotes exploremus.

***

§. I.

Salustius de bello Catilinario, in principio.

Quibus virtutibus Romana res florentes redditæ, quibus vitiis attenuatæ sint.

1. ATheniensium res gestæ, sicuti ego existumo, satis amplæ magnificæque fuêre: verùm aliquanto minores tamen, quàm fama feruntur. Sed quia provenere ibi magna scriptorum ingenia, per terrarum orbem Atheniensium facta pro maxumis celebrantur. Ita eorum, qui ea fecêre, virtus tanta habetur, quantum verbis ea potuere extollere præclara ingenia. At populo Rom. nunquam ea copia fuit, quia prudentissimus quisque negotiosus maxumè erat. ingenium nemo sine corpore exercebat. Optumus quisque facere, quàm dicere; sua ab aliis benefacta laudari, quam ipse aliorum narrare malebat. Igitur domi militiæque boni mores colebantur: concordia maxuma, minuma avaritia erat: jus bonumque apud eos, non legibus magis, quàm natura valebat, jurgia, discordias, simultates cum hostibus exercebant: cives cum civibus de virtute certabant. In suppliciis Deorum magnifici, domi parci, in amicos fideles erant. Duabus his artibus, audacia in bello; ubi pax evenerat, æquitate, seque, remque publicam curabant. Quarum rerum ego maxima documenta hæc habeo; quod in bello sæpius vindicatum est in eos, qui contra imperium in hostem pugnaverant, quique tardius revocati prælio excesserant, quam qui signa relinquere, aut pulsi loco cedere ausi erant. In pace vero, beneficiis magis, quam metu, imperium agitabant; accepta injuria, ignoscere, quam persequi, malebant. Sed, ubi labore, atque justitia Reip. crevit, Reges magni bello domiti; nationes feræ, & populi ingentes vi subacti; Carthago, æmula imperii Romani ab stirpe interiit; cuncta maria, terræque patebant: fortuna sævire ac miscere omnia cœpit. Qui labores, pericula, dubias atque prosperas res facilè toleraverant, iis otium, divitiæ, optandæ aliis, oneri miseriæque fuerunt.

2. Igitur primo pecuniæ, dein imperii cupido crevit. Eo

quasi materies omnium malorum fuêre. Namque avaritia fidem, probitatem, ceterasque artes bonas subvertit; pro his superbiam, crudelitatem, Deos negligere, omnia venalia habere docuit: ambitio multos mortales falsos fieri subegit; aliud clausum in pectore, aliud promptum in lingua habere, amicitias, inimicitiasque non ex re, sed ex commodo æstimare; magisque vultum, quàm ingenium bonum habere. Hæc primò paullatim crescere, interdum vindicari; post ubi contagio, quasi pestilentia, invasit; civitas immutata imperium ex justissimo, atque optumo, crudele, intolerandumque factum. Sed primo magis ambitio, quam avaritia, animos hominum exercebat: quod tamen vitium propius virtutem erat. Nam gloriam, honorem, imperium, bonus, ignavus æquè sibi exoptant, sed ille vera via nititur; huic quia bonæ artes desunt dolis atque fallaciis contendit. Avaritia pecuniæ studium habet, quam nemo sapiens concupivit. Ea quasi Veneris malis imbuta, corpus animumque virilem effeminat, semper infinita, insatiabilis est; neque copia, neque inopia minuitur. Sed postquam L. Sulla, armis recepta Republ. bonis initiis malos eventus habuit, rapere omnes, trahere: domum alius, alius agros cupere; neque modestiam victores habere; fœda, crudeliaque in cives facinora facere. Huc accedebat, quod L. Sulla exercitum, quem in Asia ductaverat, quo sibi fidum faceret, contra morem majorum luxuriose nimisque liberaliter habuerat. Loca amœna, voluptaria facilè in otio feroces militum animos molliverant. Ibi primum insuevit exercitus populi R. amare, potare, signa, tabulas pictas, vasa cælata mirari, ea privatim ac publicè rapere, delubra spoliare, sacra profanaque omnia polluere. Igitur hi milites, postquam victoriam adepti sunt, nihil reliqui victis fecêre. Quippe secundæ res sapientium animos fatigant, ne illi, corruptis moribus, victoriæ temperarent. Postquam divitiæ honori esse cœperunt, & eas gloria, imperium, potentia sequebatur: hebescere virtus, paupertas probro haberi, innocentia pro malevolentia duci cœpit: igitur ex divitiis juventutem, luxuria atque avaritia cum superbia invasere. Rapere, consumere; sua parvi pendere, aliena cupere, pudorem, pudicitiam, divina atque humana promiscua;

nihil

nihil pensi, neque moderati habere. Operæ pretium est, cum domos atque villas cognoveris in urbium modum exædificatas, visere templa Deorum, quæ nostri majores, religiosissimi mortales, fecere. Verum illi delubra deorum pietate, domos suas gloria decorabant, neque victis quidquam, præter injuriæ licentiam, eripiebant; at hi contra ignavissimi homines per summum scelus, omnia ea sociis ademêre, quæ fortissimi viri victores hostibus reliquerunt: perinde quasi injuriam facere id demum esset imperio uti.

Hæc Salustius, quæ submotis pauculis jam vetustate obsoletis, (ut cum maxumis, pro maximis & u pro i frequentius adhibetur) planè venusta sunt, & grata incisione delectant, inprimisque opposita, ac dissolutè in eundem sensum sententiamque complendam aggesta, & hæc (ut illi moris) infinito quandoque modo prolata, non inamœno ambitu evolvuntur. Gnomis denique sapientibus, tanquam gemmis auro insertis, collustrantur.

Plinius in eadem nobis historica scriptione audiendus est, cum duo conjunxerit, per se minus quidem cognata, arte tamen ingeniove dictioni huic conciliata: alterum est, quod Salustio grandior sit; alterum quod plerumque concisus magis: cum tamen eò quæque oratio ferè humilior sit, quo concisior. Minuti enim infractique sensus majestatem orationis remittunt. Salustio tamen culta magis & venusta fluit dictio, nullis salebris, nisi antiquitatis, illisa.

§. 2.

C. Plinius hanc quæstionem Suræ proponit. Ep. 27. l. 7.

Perquam scire velim: esse aliquid phantasmata, & habere propriam figuram, Numenque aliquod putes; an inanem, & variam, & ex metu nostro, imaginem accipere?

RESP. Ego, ut esse credam, inprimis eò ducor, quod audio accidisse Curtio Rufo. Tenuis adhuc & obscurus obtinenti Africam comes hæserat. Inclinato die spatiabatur in porticu, offertur ei mulieris figura, humana grandior

dior pulchriorque, perterrito, Africam se futurorum prænuntiam, dixit. Iturum eum Romam, honoresque gesturum, atque etiam cum summo imperio in eandem provinciam reversurum, ibique moriturum. Facta sunt omnia. Præterea accedenti Carthaginem egredientique navem, eadem figura in littore occurrisse narratur. Ipse certè implicitus morbo, futura præteritis, adversa secundis auguratus, spem salutis, nullo suorum desperante, projecit. Iam illud, nonne & magis terribile, & non minus mirum est? Quod exponam, ut accepit. Erat Athenis spatiosa & capax domus, sed infamis & pestilens. Per silentium noctis sonus ferri, & si attenderes acrius, strepitus vinculorum longius primò, deinde è proximo reddebatur: Mox apparebat idolon, senex macie & squalore confectus, promissa barba, horrenti capillo, cruribus compedes, manibus catenas gerebat, quatiebatque. Inde inhabitantibus tristes diræque noctes per metum vigilabantur. Vigiliam morbus & crescente formidine, mors sequebatur. Nam interdiu quoque, quanquam abscesserat imago, memoria imaginis oculis inerrabat, longiorque causis timoris, timor erat. Deserta inde & damnata solitudine domus, totaque illi monstro relicta. Proscribat ut tamen, seu quis emere, seu quis conducere ignarus tanti mali vellet. Venit Athenas philosophus Athenodorus, legit titulum, auditoque pretio. quia suspecta vilitas, percunctatus: omnia docetur, ac nihilominus, imò tanto magis, conducit. Vbi cœpit advesperare, iubet sterni sibi in prima domus parte, poscit pugillares, stylum, lumen, suos omnes in interiora dimittit: ipse ad scribendum animum, oculos manum intendit, ne vacua mens audita simulacra, & inanes sibi metus fingeret. Initio, quale ubique, silentium noctis, deinde concuti ferrum, vincula moveri: ille non tollere oculos, non remittere stylum, sed obfirmare animum, auribusque prætendere. Tum crebrescere fragor, adventare, & jam ut in limine, jam ut intra limen audiri: respicit, videt, agnoscitque narratam sibi effigiem. Stabat, innuebatque digito, similis vocanti. Hic contra, ut paululum exspectaret, manu significat, rursusque ceris, & stylo incumbit: Illa scribentis capiti catenis insonabat. Respicit rursus idem, quod prius innuentem. Nec moratus, tollit lumen, & sequitur: ibat illa lento gradu, quia gravis vinculis; postquam deflexit in aream domus, repentè

dilapsa

dilapsa deserit comitem. Desertus, herbas & folia concerpta signum loco ponit. Postero die adit Magistratus, monet ut illum locum effodi jubeant. Inveniunt ossa inserta catenis, & implicita, quæ corpus ævo, terraque putrefactum nuda, & exesa relinquerat, collecta publicè sepeliuntur. Domus postea ritè conditis Manibus caruit. Et hæc quidem affirmantibus credo, illud affirmare aliis possum. Est libertus mihi non illiteratus, cum hoc minor frater eodem lecto quiescebat. Is visus est sibi cernere quendam in toto residentem, admoventemque capiti suo cultros, atque etiam ex ipso vertice amputantem capillos. Vbi inluxit, ipse circa verticem tonsus, capilli jacentes reperiuntur. Exiguum temporis medium, & rursus simile aliud priori fidem fecit. Puer in pædagogio mistus plurimis dormiebat; venerunt per fenestras (ita narrant) in tunicis albis cubantemque detonderunt, & qua venerant, recesserunt. Hunc quoq; tonsum, sparsosque circa capillos dies ostendit. Nihil notabile secutum, nisi fortè, quod non fui reus: futurus, si Domitianus, sub quo hæc acciderunt, diutius vixisset Nam in scriniis ejus datus à Caro de me libellus inventus est. Ex quo conjectari potest, quia reis moris est submittere capillos. depulsi quod imminebat periculi signum fuisse.

§. 3.

Aliud exemplum historiæ de Lacu Vadimonis ad Amerinum subjicio, ex Plinii Ep. 20.l.8.

LAcus est in similitudinem jacentis rotæ circumscriptus, & undique æqualis, nullus sinus, obliquitas nulla, omnia dimensa, paria, & quasi artificis manu cavata, & excisa. Color cœruleo albidior, viridior, & expressior sulphuris, odor, saporque medicatus, vis quâ fracta solidantur. Spacium modicum, quod tamen sentiat ventos, & fluctibus intumescat. Nulla in hoc navis (Sacer enim est,) sed innatant insulæ herbidæ, omnes arundine, & junco tectæ: quæque alia fœcundior palus, ipsaque illa extremitas lacus effert. Sua cuique figura, ut modus cunctis: margo derasus quia frequenter vel litori, vel sibi illisæ terunt, teruntur que, Par omnibus altitudo, par levitas: quippe in speciem carinæ humili radice descendunt. Hæc ab omni latere perspicitur,

quidem aquâ pariter suspensa, & mersa. Interdum junctæ, copulatæque, & continentis similes sunt: interdum discordantibus ventis digeruntur, nonnunquam destitutæ tranquillitate singulæ fluitant. Sæpe minores majoribus, velut cymbulæ onerariis adhærescunt. Sæpe inter se majores, minoresque quasi cursum, certamenque desumunt. Rursus omnes in eundem locum adpulsæ, quâ steterunt, promovent terram. Et modò illuc lacum reddunt, auferuntque. Auctum demum, cum medium tenuêre, non contrahunt. Constat pecora herbas secuta, sic in insulas illas, ut in extremam ripam procedere solere, nec prius intelligere mobile solum, quam littore abrepta, quasi illata, & imposita circumfusum undique lacum pavent. Mox quo tulerit ventus egressa, non magis se descendisse sentire, quam senserint ascendisse. Idem lacus in flumen egeritur, quod ubi se paululisper oculis dedit, specu mergitur, altèque conditum meat, ac si quid, antè quàm subduceretur, accepit, servat ac profert.

Hæc Plinius, quæ singularem quandam, & in stylo conciso minus usitatam, gravitatem habent. Non tamen ubique, usque adeò sui similis Plinius est; ut non quandoque, vel incedat durius, vel pressius gradum infringat, vel obscurius etiam subsistat. Multa laudem & imitationem, nonnulla solam antiquitatis venerationem merentur; Sed hæc pauca, & quæ suas etiam virtutes possideant. Vt Plinius tutò à quovis eloquentiæ studioso legi possit, magnusque futurus sit, quisquis suis illum dotibus fuerit assecutus. Et quis est, qui omni nævo careat? ipse Cicero, omnibus suis scriptis eloquentiam professus, cum ad examen vocatur, correctionem patitur: sæpe iisdem particulis, verbis, conjunctionibus eodem in sermone crebrius repetitis, nonnunquam & languidius circumdactis, & obscurius involutis periodis offendit, lectoremque aut dejicit, aut suspendit. Hæc universim vitare, vix hominis est. Optima quærimus in multis, offensiunculis levibus non alienamur. Homines nos esse scimus, qui & aliis ignoscimus & nobis ignoscendum speramus.

***

CAPUT

CAPUT X.

De Stylo oratorio conciso.

ORatio quæ eodem Styli genere à Rhetore formatur, hoc ab Epistolico Historicoque potissimum charactere differt; quod præter figuras huic dictioni familiares, longioribus per ejusmodi incisa periodis circumferatur, tum præsertim cum animis ad diversos affectus impellendis admovetur, à Tullio in Catilinaria aliisq; causis vehementioribus non rarò usurpata. Epidicticum tamen genus brevibus magis ludit periodis, cujus egregium apud Plinium Secundum *in panegyrico Trajani Imp. nobis exemplum relictum est. Quamquam quibusdam morosè nimium affixus hæserit, alia obscura; alia supervacua, alia etiam adulationis vitio obnoxia asperserit. Nobis & hic, & alibi gemmas hujus orationis decerpere placuit. Tibi ad prima concisi styli principia simul advertendum est.*

§. 1.

Plinius secundus in panegyrica Orat. Trajani Imper. *Mihi p.* 18.

1. *Trajanus patris patriæ titulo, quamvis hunc recusaret, dignus.*
2. *Idem magno populi plausu exceptus in urbe est.*
3. *Magna illius vicissim erga subditos humanitas.*

1. QUando ingentibus tuis in Remp. meritis novos honores titulosque merebare, tu etiam Patris patriæ recusabas. Quàm longa nobis cum modestia tua pugna, quàm tardè vicimus? Nomen illud, quod alii primò statim principatus die, ut Imperatoris, & Cæsaris receperunt, tu usque eò distulisti, donec tu quoque beneficiorum tuorum parcissimus æstimator, jam te mereri fatereris. Itaque soli omnium contigit tibi, ut Pater patriæ esses, antequam fieres,

res. Eras enim in animis, in judiciis nostri. Nec publicæ pietatis intereat, quid vocarere; nisi quod ingrata sibi videbatur, si te Imperatorem potius vocaret, & Cæsarem, cum Patrem expetiretur. Quod quidem nomen, quâ benignitate quâ indulgentia exerces? ut cum civibus tuis, quasi cum liberis parens vivis? ut reversus Imperator, qui privatus exieras, agnoscis, angnosceris? eosdem nos, eundem te putas, par omnibus, & hoc tantum ceteris major, quo melior.

2. Ac primum, qui dies ille, quo expectatus, desideratusque urbem tuam ingressus es? Iam hoc ipsum quod ingressus es, quam mirum lætumque? nam priores invehi, & importari solebant, non dico quadrijugo curru, & albentibus equis: sed humeris hominum, quod arrogantius erat. Tu sola corporis proceritate elatior aliis, & excelsior, non de patientia nostra quendam triumphum, sed de superbia Principum egisti. Ergo non ætas quenquam, non valetudo, non sexus retardavit, quo minus oculos insolito spectaculo impleret. Te parvuli noscere, ostentare juvenes, mirari senes, ægri quoque neglecto medentium imperio, ad conspectum tui, quasi ad salutem, sanitatemque prorepere. Inde alii se satis vixisse, te viso, te recepto: alii nunc magis esse vivendum prædicabant. Fæminas etiam tunc fœcunditatis suæ maxima voluptas subiit, cum cernerent, cui Principi cives, cui Imperatori milites peperissent. Videres referta tecta, ac laborantia, ac ne eum quidem vacantem locum, qui non nisi suspensum, & instabile vestigium caperet: opletas undique vias, angustum tramitem relictum tibi, alacrem hinc atque inde populum, ubique per gaudium, paremque clamorem, tam æqualis ab omnibus ex adventu tuo lætitia percepta est, quam omnibus venisti, quæ tamen ipsa cum ingressu tuo crevit, ac propè in singulos gradus adaucta est, &c.

3. Eo vultu ac moderatione palatium subisti, ut quotidie videaris admirabilior & melior. Talis denique es, quales alii principes futuros se tantum pollicentur. Solum ergò te commendat, augetque temporis spatium. Iunxisti enim, ac miscuisti res diversissimas securitatem olim imperantis, & incipientis pudorem. Non tu civium amplexus ad pedes tuos deprimis, nec osculum manu reddis. Manet Imperatori, quæ prioris humanitas. Incedebas pedibus, incedis: lætabaris

baris, labore lętatis: eademq; omnia illa circa te, nihil ipsum te fortuna mutavit, liberum est ingrediente per publicum principe, subsistere, occurrere, comitari, præterire. Ambulas inter nos, nos quasi contingas, & copiam tui, non ut imputes, *a* facis. Hæret lateri tuo quisquis accessit, finem sermoni suus cuique pudor, non tua superbia facit. Regimur quidem à te, & subjecti tibi, sed quemadmodum legibus sumus. Nam & illæ cupiditates nostras, libidinesque moderantur, nobiscum tamen, & inter nos versantur. Eminens, excellis, ut honor, ut potestas, quę super homines quidem, hominum sunt tamen. Ante te Principes fastidio nostri, & quodam æqualitatis metu, usum pedum amiserant. Illos ergo humeri, cervicesque servorum super ora nostra, te fama, te gloria, te civium pietas, te libertas super ipsos principes vehunt, te ad sidera tollit humus. Ita communia, & confusa *b* Principis vestigia.

a *Pro beneficio scilicet.* b *Cum nostris vestigiis.*

§. 2.

Ex Salustio ejusdem styli egregio artifice, aliud in genere deliberativo exemplum subjiciamus, quod diverso aliquantulum habitu efformatum est. In fine belli Catilinarii.

Catilina Lentulo & Cethego Romæ per Ciceronem sublatis contra Antonium decretorio fortunam prælio experturus, ita suos adhortatus est.

1. *Ostendit, verba se frustra ad suos facturum, si virtus defuerit.*
2. *Necessitatem talis pugnæ injectam esse, ex qua cujusque felicitas pendeat.*
3. *Si hanc suam calamitatem meliori commutari forte velint, audacia opus esse.*

1. COmpertum ego habeo milites verba viris virtutem non addere, neque ex ignavo strenuum, neque fortem ex timido exercitum oratione imperatoris fieri, quanta cujusque animo audacia naturâ, aut moribus inest tanta in bello patere solet. Quem neque gloria, neque pericula ex-

excitant, ne quicquam hortere. Timor animi auribus officit. Sed ego vos, quò pauca monerem, advocavi; simul uti causam consilij mei aperirem.

2. Scitis equidem, milites. socordia atque ignavia Lentuli, quantam ipsi, nobisque cladem attulerit, quoq; modo, dum ex urbe præsidia operior, in Galliam proficisci nequiverim. Nunc verò quo in loco res nostræ sint; juxta mecum omnes intelligitis. Exercitus hostium duo, unus ab urbe, alter à Gallia obstant: diutius in his locis esse, si maxume animus ferat, frumenti atque aliarum rerum egestas prohibet: quocunque ire placet, ferro iter aperiendum est. Quapropter vos moneo, uti forti, atque parato animo sitis; & cum prælium inibitis, memineritis vos divitias, decus, gloriam, præterea libertatem, atque patriam in dextris vestris portare. Si vincimus, omnia nobis tuta erunt: commeatus abundè, municipia atque coloniæ patebunt. Sin metu cesserimus, eadem illa adversa fient, neque locus, neque amicus quisquam reget, quem arma non rexerint. Præterea milites, non eadem nobis, & illis necessitudo impendet. Nos pro patria, pro libertate, pro vita certamus: illis supervacaneum est pro potentia paucorum pugnare. Quò audacius aggredimini, memores pristinæ virtutis. Licuit vobis cum summa turpitudine id exilio ætatem agere. Potuistis nonnulli Romæ, amissis bonis, alienas opes exspectare. Quia illa fæda atque intoleranda viris videbantur, hæc sequi decrevistis.

3. Si hæc relinquere vultis, audacià opus est, nemò, nisi victor, pace bellum mutavit. Nam in fugâ salutem sperare, cum arma, queis corpus tegitur, ab hostibus se averterit, ea verò dementia est. Semper in prælio iis maxumum est periculum, qui maxuma timent. Audacia pro muro habetur. Cum vos considero, milites, & cum facta vestra æstumo: magna me spes victoriæ tenet. Animus, ætas, virtus vestra me hortantur; præterea necessitudo, quæ etiam timidos forteis facit. Nam, multitudo hostium, ne circumvenire queat, prohibent angustiæ loci. Quod si virtuti vestræ fortuna inviderit, cavete ne inulti animam amittatis; neu capti potius, sicuti pecora trucidemini, quam virorum more pugnantes, cruentam atque luctuosam victoriam hostibus relinquatis.

Hæc Salustius, hic tamen vis illa figurarum, repetitionum interrogationumque abest, quibus maximè inflammatur oratio. Quarum acrimoniam ex Cicerone potentius hauries.

§. 3.

M. Tullius Cicero adversus Catilinam & pro Sextio.

Nunc Ciceronem, quamvis ita in oratione incisis utentem, ut periodis eadem circumducta suspendat, includatque; audiamus tamen paucis ad Catilinam disserentem, quæ fulmina illi fuêre, quibus perculsus urbe cessit. Ort. 1. in medio.

EGredere ex urbe, Catilina, libera Remp. metu, in exilium, si hanc vocem exspectas, proficiscere. Quid est, Catilina? ecquid attendis? ecquid animadvertis horum silentium? patiuntur, tacent. Quid exspectas autoritatem loquentium. quorum voluntatem tacitorum perspicis? At si hoc idem, huic adolescenti optimo P. Sextio, si fortissimo viro M. Marcello dixissem, jam mihi hoc ipso in templo, jure optimo senatus vim, & manus intulisset, de te autem, Catilina, cum quiescunt, probant; cum patiuntur, decernunt; cum tacent, clamant. Neque hi solum, quorum tibi autoritas est videlicet cara, vita vilissima; sed etiam illi equites Romani, honestissimi atque optimi viri, ceterique fortissimi cives, qui circumstant senatum, quorum tu & frequentiam videre, & studia perspicere, & voces paulò ante exaudire potuisti: quorum ego vix à te jam diu manus ac tela contineo: eosdem ego facilè adducam, ut te hæc, quæ jam pridem vastare studes, relinquentem, usque ad portas prosequantur. Quanquam, quid loquor? ut te ulla in re frangas? ut te unquam te corrigas? tu ut ullam fugam meditere? ut ullum tu exilium cogites? Vtinam tibi istam mentem Dii immortales donarent? Vt vitiis tuis commovere ea, ut legum pœnas pertimescas, ut temporibus Reip. concedas, non est postulandum. Neque enim Catilina is es, ut te, aut pudor à turpitudine, aut metus à periculo, aut ratio à fu-

rore revocarit. Quamborem, ut sæpe jam dixi, proficiscere: ac si mihi inimico, tu prædicas, tuo conflare vis invidiam, rectà perge in exilium. Vix feram sermones hominum, si id feceris: vix molem istius invidiæ, si in exilium ieris jussu Consulis, sustinebo. Sin autem servire meæ laudi & gloriæ mavis: egredere cum importuna sceleratorum manu: confer te ad Manlium: concita perditos cives: secerne te à bonis: infer patriæ bellum: exulta impio latrocinio, ut à me non ejectus ad alienos; sed invitatus ad tuos esse videaris. Ibis tandem aliquando, quo te jam pridem tua ista cupiditas effrenata rapiebat. Neque enim tibi hæc res adfert dolorem, sed incredibilem quandam voluptatem. Ad hanc te amentiam natura peperit, voluntas exercuit, fortuna servavit. Nunquam tu, non modò otium; sed ne bellum quidem, nisi nefarium concupisti. Nactus es ex perditis, atque ab omni non modò fortuna, verùm & spe derelictis conflatam improborum manum. Hic tu qua lætitia perfruere? quibus gaudiis exsultabis? quanta in voluptate bacchabere, cum in tanto numero tuorum, neque audies virum bonum, neque videbis? Ad hujus vitæ studium meditati illi sunt, qui feruntur, labores tui. Habes ubi ostentes illam præclaram tuam patientiam famis, frigoris, inopiæ, rerum omnium: quibus te brevi tempore confectum esse senties. &c.

§. 4.

Alterum ex Epilogo Orationis pro P. Sextio exemplum clarissimum addo, quo illius conservationem urget, per quem ipse servatus, atque ab exilio revocatus sit, stylo tam incitato, quàm inciso.

Video P. Sextium meæ salutis, vestræ autoritati publicæ defensorem, propugnatorem, autorem, reum, video hunc prætextatum ejus filium oculis lacrymantibus me intuentem: video Milonem vindicem vestræ libertatis, custodem salutis meæ, subsidium afflictæ Reip. extinctorem domestici latrocinii, repressorem cædis quotidianæ, defensorem templorum atque tectorum, præsidium curiæ, sordi-

datum & reum: Video P. Lentulum, cujus ego patrem, Deum ac parentem statuo fortunæ ac nominis mei, & tractis rerumq; nostrarum, in hoc misero squalore ac sordibus. Atqui hic tot & talium civium squalor, hic luctus, hæ sordes susceptæ sunt propter unum me, quia me defenderunt, quia meum casum luctumque doluerunt, quia me lugenti patriæ, flagitanti senatui, poscenti Italiæ, vobis omnibus orantibus reddiderunt. Quod tantum est in me scelus? quid tantopere deliqui illo, illo die, cum ad vos indicia, literas, confessiones communis exitii detuli? cum parui vobis? Ac si scelestum est, amare patriam, pertuli pœnarum satis. Eversa domus est, fortunæ vexatæ, dissipati liberi, raptata conjux, frater optimus incredibili pietate, amore inaudito, maximo in squalore volutatus est ad pedes inimicissimorum: ego pulsus aris, focis, Diis penatibus, distractus à meis, carui patria, quam (ut levissimè dicam) certè texeram, pertuli crudelitatem inimicorum, scelus infidelium, fraudem invidorum. Si hoc non est, quod hæc omnia deleta videntur reditu meo: multò, mihi, multò, inquam, Judices, præstat, in eandem illam recidere fortunam, quàm tantam importare meis defensoribus calamitatem, An ego in hac urbe esse possum, his pulsis, qui me hujus urbis compotem esse fecerunt? Non ero: non potero esse. Iudices; neque enim hic unquam puer, qui lacrymis, qua sit pietate, declarat, amisso patre suo. propter me, me ipsum incolumen videbit, nec quotiescunque me viderit, ingemiscet; ac pestem suam ac patris sui sese dicet videre. Ego verò vos in omni fortuna, quæcunque erit oblata, complectar: nec me ab illis, quos meo nomine sordidatos videris, unquam ulla fortuna divellet: neque eæ nationes, quibus me senatus commendavit, quibus de me gratias egit, hunc exulem propter me, sine me, videbunt. Sed hæc Dii immortales, qui me suis templis advenientem receperunt, stipatum ab his viris, & P. Lentulus Consul, atque ipsa Resp. qua nihil est sanctius, vestræ potestati. Iudices, commiserunt. Vos hoc judicio omnium bonorum mentes confirmare, improbrorum reprimere potestis: vos his civibus uti optimis: vos me reficere, & renovare Remp. potestis. Quare vos obtestor, atque obsecro, ut si me salvum esse voluistis, eos conservetis, per quos me recuperavistis.

§. 5.

EX his facile inter se collatis vim diversitatemque in diversis dicendi generibus ejus styli colliges, quem concisum nuncupamus. Si videlicet 1. periodos cum periodis contuleris, eorumque cum membris membra, cum incisis incisa, ordine numero, collocatione. In genere exornativo & deliberativo, ubi minor dictionis impetus, periodos reperies breviores, incisa pauciora; & in illo quidem numerum orationemque magis excultam, in hoc utrumque neglectius: judiciali verò, & quacunque vehementi dictione, figuras magis acres, ambitus productiores numerososque, incisorum membrorumque frequentiam. In exornando, quasi sponsa ad delicias comitur inceditque oratio; in deliberando minus ostentationis in cultu, plus in argumentis est ponderis; hic velut digladatior pugnat oratio, nunc cunctanti, nunc incitatiori gressu: ad movendum vero, ut laxatis habenis in hostem eques fertur, ac vim omnem celeritatemque adhibet. 2. Et hoc observandum est, per quid Cicero à reliquis in hoc conciso dicendi genere inprimis differat. Non hoc potissimum in verbis phrasibusque situm comperies, quorum discrimen plerumque inter probos scriptores exiguum. Vincit tamen Cicero. Qua causa obsecro? Vis illa dicendi, quam, ut cetera assequantur omnia, nemo aequat. Quaenam ista igitur? an artis solerti aut naturae singularis beneficio hanc ita texit, ut simul omnes videant, simul ea ipsa lateat omnes? Mirũ profectò, eminere sentiunt propemodum universi, in quo tamen illa sic eminens orationis & vis & majestas consistat: nemo satis explicat. Siquid certè designaverint, id ejusmodi semper cuiq; visum est, ut maneret imitabile. Aut igitur necesse est fateantur, se illud nunquam assecutos; aut si assecuti sint, aliquid reperisse sibi non imitabile. Si verborum delectum autumes, aut linguae puritatem. Quid apud Caesarem minus lectum, purumque? Si constructionis elegantiam, quid Terentius minus cultum exhibet? In sola oratione aemulosè priscis non habet, quia desunt, scriptores. Fortè tamen in exornati vis certet Plinius, qui si quadã Cic. non aequet, in aliis totidem non aequatur: excedit, & exceditur. In figurarum varietate ornatuque dabimus aliquid Tullio; sed quo veterum juxta novorumque calamum ad paria enitentem non possit subterfugere. Quid tandem ergo illud sit, utcunque mihi

videbor exposuisse, si id potissimum verborum membrorumque in periodo, periodorum in oratione, velut digesto in aciem peritissimam ordini tribuero. An hic fallar Doctorum esto judicium, postquam in examen & comparationem Tullii aliorumque dictionem vocaverint. Nos aliquod ab exemplis specimen ducemus, ubi de circumscripto dicendi genere infra erit instituenda dissertatio, quod Cicero, ut monui, incisa quoque in oratione suis periodis includat. Modò illud, ne prætereas, ut Plinii Ciceronisque Orationem componas, & breviculos ipsius crebroque iteratos ambitus, cum longioribus Tullii conferas, nec difficilè utriusque discrimen reperturus es. Ceterùm de hac Orationis compositione Palæstræ Orator. *c.* 34. & 36. *lib.* 1. *consule.*

CAPUT XI.

De vitiis Styli concisi.

Vicinum cuique virtuti, ut in vita, sic in oratione hominis, vitium est. Alios, in ista scribendi concisione, siccitas, jejunitasque quædam sermonis infestat: alios dejicit humilitas: nonnulli hiulci & asperi, velut inter saxa rupesque ambulant, fatigantur scribendo ipsi, fatigant auditorem dicendo; nihil medium, vel amant, vel assequuntur.

1. *Siccum jejunumque dicendi genus sequuntur, qui vel inflati vel languidè circumducti, vel superbè culti styli fastidio, in oppositum nimia religione deflectunt, & superfluum minimèque atticum putant, quidquid studiosius expolitum, aut ornatum copiosius est. Lysias inter Græcos hac tenuitate viluit, Latinos veteres hoc vitio infectos ætas consumpsit, quam macilento orationis (sic loquar) corpore, sustinere diu non poterat. Optimus loquendi Cæsar est artifex, sed qui nonnunquam ab hac jejunitate absit propius. Sint illa exemplum lecturis quæ se in principio historiæ tum primi, tum quarti libri offerunt. Vt.* Belgæ proximi sunt Germanis, qui trans Rhenum incolunt, quibuscum continenter bellum gerunt, qua de causa Helvetii quoq; reliquos Gallos virtute

præ-

præcedunt, quod ferè quotidianis prælijs cum Germanis contendunt, cum aut suis finibus eos prohibent, aut ipsi in eorum finibus bellum gerunt. &c. *Sic lib. 4. Suevi* centum pagos habere dicuntur, ex quibus quotannis singula millia armatorum bellandi causa, suis ex finibus educunt, reliqui qui domi remanserint, se atque illos alunt; hi rursus invicem anno post in armis sunt, illi domi remanent.

2. *Humilitas* Styli, *vel abjecta verborum & constructionis cura, vel rerum sententiarumque exilitate inducta causatur. priori humilitate Thomas de Kempis librique spirituales plures atque adeò ipsa scriptura S. tanquam vili lacerna res ipsa pretiosissima, induitur. Vt si aurum terra condas, in qua nihil præter aurum æstimes. Divinus ille spiritus, procul omni elocutionis ornatu splendet maximè, neque à mortali quopiam lucem mutuatur. Hoc istic laudamus, alibi reprehendimus. Non desipiens sacra lectioni intento illa Kempensis verba.* Quid prodest tibi, alta de Trinitate disputare, si careas humilitate, unde displiceas Trinitati; Verè alta verba non faciunt sanctum & justum; sed virtuosa vita efficit Deo charum. Opto magis sentire compunctionem, quam scire ejus definitionem. Si scires totam Bibliam exterius & omnium Philosophorum dicta: quid totum prodesset, sine charitate & gratia? *Hæc tam simpliciter enuntiata, magis quàm illa Ciceronis in Catilinam fulmina, sapientem possint animum perstringere qualia si Tullius usurpasset in curia risum concitasset pro lacrymis.*

Alia est rerum humilitas, quæ minutijs quisquilijsque adjunctorum percensendis immoratur. Ut accessit domum nostram perque anticum ingressus ostium, atrium subiit, atque hinc ad interiora progressus ædium, mihi in sede illic quiescenti assedit, multaque narrare exorsus, quæ causa veniendi esset, exposuit &c. *Quorsum illa minutiarum expositio, cum paucis verbis complecti hæc liceat universalius si dicas.* Domi me convenit. *nam talem & accedere domum, & ostium transire, atrium subire &c. necesse erat, quæ intelligi ex cæteris poterant, otiosoque tantum verborum circuitu legentem sustinent. In hoc genus scribendi incurrunt, quotquot puerilibus nimium amplificationibus indulgent. Sed ut maturi judicij est dicenda non præterire; ita & prætereunda non dicere, nam & negligentem, & nimium diligentem scriptorem fastidimus.*

3. *Cæterum illa jejunitas, atque hæc utraque humilitas, licet in stylum plerumque incisum cadant, tamen & circumscripti finibus non semper arcentur. Illud verò quod asperum, hiulcum præruptumque scribendi, dicendive genus appellamus, magis conciso stylo proprium est, quanquam & acutum characterem (de quo postea) infestet. Hoc incurrunt, quoquot vel durè concurrentia, ob collisas vocales, aut consonantes plures in orationem, velut in vincula constringunt; vel subitò abruptis sensibus sententijsque hærent, cum legentis audientisve animus ad plura etiamnum suspensus est quæ ipsa oratio sensu mutila, nec satis numeris omnibbus explicata videtur exigere. In hoc vitium nonnunquam impegêre duo Lovaniensis Academiæ sidera Iust. Lipsius & Erycius Puteanus, qui priori ætate concisum illud dicendi genus excoluêre, uterque non ingrato sententiarum acumine; sed nimium frequenter suspenso; quandoque etiam affectato: ille tamen eruditione, hic scribendi nitore illustrior. Digni qui legantur, sed à firmatis jam Tullianâ eloquentia ingenijs, ne hoc mulso immoderatius hausto stomachū gustumque boni sermonis corrumpant. Robustioribus verò magnoperè etiam profuturum est, si Tulliana suavitate Lipsianam eruditionem condiant, utilissimo inter omnia imitationes genere, quo formam à Cicerone, materiam à doctissimis scriptoribus, minus stylo cultis, mutuentur.*

CAPUT XII.

Exemplum concisæ epistolæ ex circumscripta Tullij dictione traductum.

VT propius ad concisi Styli vim ingeniumque penetres; age, per experimenta usumque tradamus, quod præceptis exemplisque veterum docuimus. Aliquam ex Tullio sumamus epistolam & quod circumscriptè ab ipso dictum est, pressius concisiusque efferamus. His verbis Cicero Titium de interitu filij mœrentem consolatur l. 5. c. 16. famil.

Et

Etsi nunc ex omnibus minimè sum ad te consolandum accommodatus, quòd tantum ex tuis molestijs cepi doloris, ut consolatione ipse egerem: tamen cùm longius à summi luctus acerbitate meus abesset dolor, quàm tuus, statui nostræ necessitudinis esse, meæque in te benevolentiæ, non tacere, tanto in tuo mœrore, tamdiu: sed adhibere aliquam modicam consolationem, quæ levare dolorem tuum posset, si minus sanare potuisset. Est autem consolatio pervulgata quidem illa maximè, quam semper in ore atque in animo habere debemus; Homines non ut esse meminerimus ea lege natos, ut omnib⁹ telis fortunæ proposita sit vita nostra: neque esse recusandum, quominus ea, qua nati sumus, conditione vivamus: neve tam graviter eos casus feramus. quos nullo consilio vitare possumus; eventisque aliorum memoria repetendis, nihil accidisse nobis novi, cogitemus. Neque hæ, neque ceteræ consolationes, quæ sunt à sapientissimis viris usurpatæ, memoriæque ac literis proditæ, tantam videntur proficere debere, quantum status ipse nostræ civitatis & hæc perturbatio temporum perditorum, cùm beatissimi sint, qui liberos non susceperunt, minus autem miseri, qui his temporibus amiserunt, quàm si eosdem bona, aut denique aliqua rep. perdidissent. Quod si tuum te desiderium monet, aut si tuarũ rerum cogitatione mœres: non facilè exhauriri tibi istum dolorem posse universum puto. Sin illa te res cruciat, quæ magis amoris est, ut eorum qui occiderunt, miserias lugeas: ut ea non dicam, quæ sæpissime & legi, & audivi, nihil mali esse in morte; in qua si resident sensus, immortalitas illa potius, quàm mors ducenda sit: sin sit amissus nulla videri miseria debeat, quæ non sentiatur, hoc tamen non dubitans confirmare possum, ea misceri, parari, impendere reip. quæ qui reliquerit, nullo modo mihi quidem deceptus esse videatur. Quid est enim jam non modò pudori, probitati, virtuti, rectis studijs, bonis artibus; sed omnimo libertati ac saluti loci? Non mehercule quenquam audivi, hoc gravissimo & pestilentissimo anno, adolescentulum aut puerum mortuum, qui mihi non à Dijs immortalibus ereptus ex his miserijs, atque ex iniquissima conditione, vitæ videretur. Quare si tibi hoc unum detrahi potest, ne quid eis, quos amasti mali putes contigisse: permultum erit ex mœrore tuo diminutum. Relinquetur enim sim-

ſimplex illa jam cura doloris tui, quæ non cum illis cõmunicabitur, ſed ad teipſum propriè referetur: in qua non eſt jam gravitatis ac ſapientiæ tuæ, quam tu à puero præſtitiſti, ferre immoderatius caſum incommodatum tuorum, qui ſit ab eorum, quos dilexeris, miſeria maloque ſeiunctus. Etenim cum te ſemper & privatis in rebus, & publicis præſtitiſti, tuenda tibi ut ſit gravitas, & conſtantiæ ſerviendum. Nam quod allatura eſt ipſa diuturnitas, quæ maximos luctus vetuſtate tollit, id nos præripere conſilio prudentiaque debemus. Etenim ſi nulla unquam fuit, liberis amiſſis, tam imbecillo mulier animo, quæ non aliquando lugendi modum fecerit: certè nos, quod dies eſt allatura, id conſilio ante adferre debemus, neque exſpectare temporis medicinam, quam repræſentare ratione poſſumus.

Eadem Epiſtola Stylo conciſo expreſſa.

[Quantum ex tuis moleſtijs cepi dolorem! Egerem conſolatione, dum amico hanc cupio impendere. Utrumque noſtrùm hęc luctus acerbitas tangit, ſine me affligi non potes, dolorem gaudiumque poſſidemus communia. Sed cum mœror vix loqui ſinat, benevolentia tacere nõ patitur. Vincat illa, & ſi dolorẽ ſanare non poſſit, conſolando ſublevet. Pervulgata illa conſolatio quidem: Homines nos eſſe, ea lege natos, ut moriamur, ſcopum eſſe hanc vitam, in quam omnibus fortuna telis collineet. Non recuſandum, quo minus ea, qua nati ſumus, conditione vivamus. Non tam graviter ferendum, quod nequeat vitari. Aliorum eventis metiendos eſſe noſtros, cogitandum nihil nobis accidiſſe novi. Sed iſta mitto, quanquam ſapientum literis prodita. Ipſa re nunc civitas ſuo poterit ſqualore ſolari, illa temporum perturbatio tuæ eſſe perturbationis remedium; quando beatiſſimus qui non genuit, minus miſer qui liberos amiſit. Quod ſi tuarum rerum cogitatione mœres, difficile erit exhauriri dolorem; ſin occumbentium luges miſerias, remedium ſpero. Amoris hoc vulnus eſt: ſanaberis, ubi cognoveris nihil mali eſſe in morte. Quin immortalitas hæc potius, quàm mors ducenda ſiquis in illa ſenſus reſideat; ſin ſit amiſſus, nulla debet videri miſeria, quæ non ſentitur.

tur Illud non dubius confirmavero, ea misceri, parari, impendere Reip. quæ qui reliquerit, deceptus non sit. Est ne aliquis libertati ac saluti locus? Pudor, probitas, virtus recti studium, bonæ artes exulant. Si quis, aut puer, aut adolescentulus hac ætate vitam, simul ille miserias plures reliquit beneficium Dijs iste debet immortalibus. malis ereptus, non traditus est. Permultum tuo erit ex mœrore imminutum, si quos amasti. nihil illis mali putes contigisse. Hanc tibi cogitationem modò detrahi patiaris, & dolorem vicisti. Tuenda tibi est gravitas, & constantiæ serviendum: namque te semper & privatis præstitisti rebus & publicis ut id nunc deceat. Consilio prudentiaque tibi præripiendum est, quod sine te tempus poterit. Luctus enim etiam maximos ipsa vetustas atterit. Quod diuturnitas factura est, virtute præoccupes. Imbecillis illa animi mulieres sanat; te non possit consilium? Medicina à tempore exspectanda non est, quam ratio repræsentat.]

Vides, arbitror, quemadmodum periodi dissolvendæ sint, atque ex una instruendæ plures: animadvertes oppositis, interrogatiunculis, aliisque ad incisionem facientibus, quorum supra memini, utendum crebrius, verbis claudendos sæpe sensus, luxuriem omnem phrasium atque epithetorum amputandam, vibrantibus acutisque utendum sententijs. Hac porrò exercitatione magnam, & concisè Pliniana, & Tullianâ facundiâ circumscriptè dicendi facultatē assequeris: cum utriusque te styli discrimen observare necesse sit. Lentitudinem etiam illam, quā nonnulli in Cicerone perstringunt; ita sensim declinabis, ut media quadam cum Quintiliano dictione, nec concisa nimium, nec circumducta; attamen vivaci, & amœna efferaris: quam ego auream dicendi mediocritatem magnopere veneror, & Tullius ipse pluribus est locis secutus, multis etiam opportunè neglexit, cum vel rudioribus illam attemperaret auribus, vel affectibus potius, quam ornamentis studeret. Illud interea diffitendum non est, non paucos Ciceronianæ eloquentiæ imitatores, dum studiosius periodos circumducunt, languorem trahere, ideoque non abs re facturos si in concisa dictione prius exacuantur. Nuda enim in hac sententia, tanquam corpora nervis artibusque magis singulis, eminent: quæ si deinde in ordinem numerumque idoneum magis compositè (ut amat Tullius) digerantur,

tur, animosam simul fluentemque sine salebris orationem efficiunt, in quo vera denique eloquentiæ vis consistit. Quod magis infra intellecturus es, ubi concisæ dictionis genus certo numero ambituque concludemus, quanquam si paulò antè recitatam ex Tullio orationem expenderis, illic hoc iam factum reperies. Nunc ad vitia concisæ dictionis accedendum est; ut scopulos non ignores, dum proximè navigas, quod, ut Navarcho tutè progressuro, ita cæsim dicturo præcipitia & offensiones eius styli noscenda sunt.

§. 1.

Lipsij & Puteani concisæ & Laconicæ dictionis autorum censura & usus.

VT Iustus Lipsius & Erycius Puteanus viri proximæ ætatis doctissimi conciso illo dicendi genere potissimum sunt delectati, ita ab omni illius vitio non abfuere. Nimia plerumq; concisione vim dictionis infregere, & dum languidum, ut putant, Ciceronis stylum devitant, aridum, suspensum, præruptumque sectantur. Vt iccirco cultiorum Magistrorum cura, hos à manibus studijsq; adolescentium arceat, ne imitetur fugienda. Quare, non ut reprehendam viros tales tantosque, sed ut omnium usibus accommodem, asperitatemq; illam mollire atque inflectere doceam (quod magno ad stylum simul & eruditionem profectu, tractari studium poterit) pauca ex illis, Tullianis aliquantulum numeris mitigabo. In civili sua doctrina l. 4. c. 11. ita de vitio, imo & vitij suspicione Regibus fugienda disserit.

Lipsius.

Fuge odium, aut regnum te fugit, imò vita. Quomodo autem? si ea fugies quibus id paratur. Primum vitia, deinde vitiorum opinionem. Vitia quidem tria, adversa prioribus illis ad benevolentiam instrumentis, sævitiam, avaritiam, rigorē. Nam hæc mala & noxia esse imperio, quis tam imprudens, qui nesciat, tam impudens, qui neget? Itaq; fugienda hæc moneo, non doceo. Magis insistam in opinione à qua maius tibi discrimen. *Scimus enim* (ut Cicer. de lege Manil.) *homines, ut metuant, aut oderint, non minus opinione & fama, quàm certa aliqua ratione moveri.* Opinio autem vitio-

vitiorum ab illis, quæ agnata & affita jam dictis vitijs, uti sunt supplicia, tributa, censura, quæ per se laudabilia, imò necessaria omni regno, speciem tamen & vultum illaudabilem sumunt; nisi peritè & callidè administres. Ecce, supplicia quantulum à sævitia abeunt? sanguis enim ubertim effunditur, tributa ab avaritia? pecunia avidè congeritur. censura à rigore? frenum & modus invitis imponitur. Et profectò ea ipsa sint (*vitia*) nisi finis discriminet, qui palam ad salutem. In his igitur ut cautè & providè ambules, valde tibi providendum. Primum in supplicijs & vide, ne securè Iustitiæ illam securim distringas, sed *sit apud te parsimonia etiam vilissimi sanguinis*. ut Senec 1. de clem.

Hic quadam affectato acumine, ut fuge odium, aut te regnum fugit, *&* ne securè securim *distringas. Obscurè & suspenso imperfectoque sensu plura dicta sunt ut* supplicia quantum ab avaritia abeunt, *& quæ sequuntur. Eadem pleraque non minus prærupta. Quare sic poterunt esse graviora.*

Lipsii austeritas mitigata.

Nisi odium subditorum effugeris, neque regni, neque vitæ pericula declinabit. Quæris, qua illud via fugiendum putem? vitabis fomitem, quo odia accenduntur. Primum vitia, deinde & vitiorum opinionem &c. Hæc autem ab illis manat, quæ dictis vitijs agnata sunt, ut supplicia, tributa, & censura, quæ cum per se omni regno sunt necessaria, tum & laude digna, nisi tamen peritè administraveris, laude excident. Supplicia jure à nocentibus sumes, at ubi excesseris, sævitia erit. Tributa meritò exiges. Sed dum avidius congesseris, avaritia est. Censurâ rectè stringes; at cum pressius urseris, rigor est. Et profectò vitiorum, cum his virtutibus magna cognatio, solo fine sæpe distinxeris, quæ palam ad salutem sunt, occulta non debent cupiditate detorqueri &c.

§. 2.

Ericius Puteanus in panegyri Lipsij.

QUod alibi consuetudo hic pietas solenne facit, Auditores, luctumque publicum ferali pompa instaurat, necdum remissum. Etiam funus nobis æternus ille Lipsius est, magnoque vulneri continuus quoque dolor adhæret &c. Redimus ad luctum, quem nondum posuimus, ad lacrymas, quas nondum abstersimus: non hæc solennia, sed perennia sunt, & magnis, heu! Lipsi unius manibus debentur. Etenim.

Ex quo relliquias divinique ossa parentis
Condidimus terrâ,

in squalore fuimus, Justa justo fecimus, laudes diximus, non more, sed mœrore; quasi totius anni funus fuerit, exequias ivimus, & quem quotidie planximus, quotidie sensimus mori, semel Lipsio parentare satis non fuit, nec semel laudare satis. Primus id fecit piissimo vocis obsequio Clariss. I.C. tus & antecessor Gerardus Corselius, & in hoc ipso loco, alij deinde, sed alibi, hic familiam; ille vitam, iste famam & scripta, diviso veluti eloquij penso. Totum Lipsium nemo potuit, nemo poterit, nisi resurgat, faciatque ipse, qui extinctus. Laudari tamen vel sic debuit, ut cujus encomium mortales nulla ingenij felicitate queunt implere, ejus facilius exemplum admittant, hominem supra homines positum non detrectent imitari. Nemo, quem agnoscit parem, sequitur: vestigia placent, cum suspicimus. In Lipsio verò summa omnia, summus ipse, quem exprimere ideo omnes velint, quod nemo possit. Integrum nempe & sine æmulatione cuique exemplum, quia nemo attingit &c.

Hæc oratio quamvis præ illa Lipsiana, plus verbis niteat, magis tamen à rebus vacua est. Quo ferè in genere Puteanus à Lipsio dissidet, vincitque apparatu verborum, rerum vincitur. Sed & frigent quæsiti nonnunquam aculei. Quid enim argutum in illis: Laudes diximus, non more, sed mœrore? *quid ista sibi volunt*: vestigia placent, cum suspicimus? *An verum,*

quod

quod exprimere ideò omnes Lipsium velint, quod nemo possit: &c. *Nimius itaque in suo Laconismo Puteanus est, & cum paucis multa conatur dicere, multis pauca complectitur, hæret, luditque in iisdem tam rerum parcus, quàm profusus verborum, Ceterum quamvis suspensus sæpius, raro tamen præruptus, Laconismum magno cultu ornavit, magisterque tibi brevis, & acutæ dictionis esse poterit, si hos navos vitaveris, ac sæpe, quæ multis ipse, tu paucioribus, flore rerum orationisque decerpto, complexus fueris. Laconismum nullibi expressit stylo scitius, quam illic ubi eundem laudavit. Plus æquo aliquando laconizans. Modus ut in rebus omnimo, sic in sermone etiam spectandus est.* Nec *brevis nimium, nec immoderatè longus sapienti placet. Porrò de Laconismo paucis disserentem Puteanum audiamus.*

§. 3.

Puteanus Laconismum commendat Laconicè.

Dum laudo brevitatem, compendio verborum utar, ut breviter laudare videar. Magna oratio magno tædio constat. Brevem benignamque dare operam aurium, & expendat, an in Laconismo eloquentia esse possit. Multa paucis dicere, sed cum sale & venustate Laconicum est. βραχυλογίαν alii sed πολύνοιαν, quam Cretensibus Plato tribuit, rectius appellarim. Lacedæmonij namque, ut auctor Plutarchus in Lycurgo, *imbuebant pueros, ut oratione uterentur, quæ acrimoniam haberet mixtam venustate, & multum sensum paucis verbis complecteretur.* Breves igitur erant; sed viriles & arguti: eloquentes erant, sed quemadmodum à moribus fucum abesse & corruptelam, sic à sermone voluerunt, animo potius, quàm lingua diserti. Et verè diserti si Eloquentiam, non loquentiam æstimemus. Ipsa verborum parsimonia facunda & fæcunda est, cum res melioris sententiæ semine producta, raro irrigata. *Quid enim est tam furiosum*, ut Cicero ipsi scripsit l. 1. de orat. *quam verborum, vel optimorum & ornatissimorum sonitus inanis, nulla subjecta sententia, nec scientia?* Imperitiam dicentis inanis illa copia arguit: & longa periodo circumducta vox errat, ut sermonis improprietatem adfectata periphrasis

ſuppleat. Quod ſi recto orationis tramite cogitata proſequamur, brevis & compendioſa locutio ſit, recta & robuſta elocutio, utraque plana & perfecta. Tumor verò ille & exultans verborum audacia, elumbis, enervis, inepta eſt. Nam ut antiqui exiſtimant, cum Græci ſermonis uſus in proximas Aſiæ civitates influere, facundiæ exemplum ignaros traxit. Sic Græca laude capti Aſiani, rudi adhuc lingua, Eloquentiam adfectarunt. Quid fit? ea quæ propriè ſignare non poterant, circuitu cœperunt enuntiare, in quo defectu, velut virtute, poſtea perſeverarunt. Hæc origo, imò hæc natura profuſæ dictionis; quam ſiquis ſtylo, aut voce jactat, is ipſam imperitiam papavere & ſeſamo ſparſam. Quanto melius brevi verborum ambitu proferre animi ſenſum: piopriętatem, & ſimul nitorem ſequi! Proprius ſermo, cum nitorem habet, perfectus eſt: & ab omni antiquitate circa ſignificationem munditiæ laudantur.

At verò Tullius in Bruto ſcribit, *Lacedæmonium nullum fuiſſe oratorem.* Ego, oratorem aliquem fuiſſe Laconicum. Sprevit dicendi laſciviam Spartana ſeveritas; ſed frugalitatem Spartanam, cum jam Athenienſes in rumorem ſurrexiſſent, plures è reliqua Græcia, & poſtea à Latio amplexi. Inſpice Oratorum ſeriem: invenies apud Græcos Philiſtum Syracuſum, ipſum Thucydidem, Lyſiamque; apud Latinos Catonem, Gracchos, Saluſtium, Tacitum, alios, qui mira ſtyli munditie, ingenti robore Laconiſmi gravitatem uſurparunt. Breves igitur iſti omnes, nomine Attici, reipſà Laconici, laude perfecti. Quid hi? Lineam rectam Geometræ definiunt, *quæ in duo puncta breviſſima eſt*; ſic recta illa orationis norma, quæ breviſſimis pauciſſimiſque verborum ſpatijs extenſa eſt. Contrahe, contrahe vagum illum liberumque linguæ curſum, & ſi laudem. Oratoris ambis, collecto ſpiritu, multa non multis effare. Etenim in ipſo viro vis compacta fortior: pariter in oratione. Virum autem Oratorem volo; nec maturum ſolummodo, ſed robuſtum Brevitate erit, quæ ipſa orationis perfectio. Imaginem non magnitudo, ſed ſymmetria commendat: Eloquentia verò, quid niſi animi imago ſive character? atqui hic non minus coactâ periodo, quàm productâ plenus eſt, imò verò ipſa periodus, quid niſi orbis? ſed orbis tam exiguo quam immenſo circuitu perfectus eſt.

Aſiani noſtri nunc quidem in anguſtijs ſunt, niſi ad tria di-

dicendi genera confugiant, quæ, velut antiqua, divisione sterilem Laconismum à floridæ laudatæque Eloquentiæ ditione sejungant: Jure, an armis agam? Jus Spartanum rigidum est, cavete; arma severa, cavete. Quid igitur? pro jure & armis Laconismus erit. Brevitas accusatur, oppugnatur. quo colore? quo telo? Trigemino, è triplici pharetra, sive forma dicendi, exili, temperata, grandi. Sed obsecro; annon exilis oratione, si velit, Lacon meus sit? consenties. Annon temperatus? dabis. Sublimis, inquies, & altus quomodo erit? ut Asianus ille tuus, exilis aut etiam temperatus. Genus infimum in copia agnoscis; ego summum in brevitate. Militiam si intuemur, non turba, sed disciplina ad victoriam facit. non quam multi, sed quam boni pugnent. Etiam in Eloquentia victoria est, quam persuasionem vocant, non multitudine, sed robore & vi verborum obtinenda &c.

Hæc aliaque de eodem argumento Puteanus, multa ut existimat non multis complexus. Sed fallitur, cum hæc omnia Cicero paucioribus longe verbis dicturus fuerit; nec solis verbis, sed & rebus sententias periodosque impleturus. Puteanus rem solidam in plura membra dissecans, non minuit, sed auget orationem, auditum fatigat, memoriam dissipat. Iuvat potius imaginem, junctis expressam partibus lineamentisq́; , semel simulq́; objectam contemplari, quàm discerptam dissipatamque in hærentia male membra partim intueri. Brevitatem laudo, nisi rebus adimat dignitatem, & locus, res, auditor, orator eandem exigat: aliàs displicebit. Is qui præest, imperat, mores sapienter instruit leges scribit, responsa condit, gravis ætate vitaque est, paucis multa, tanquam oracula, complectatur. In alijs hæc ridens: Aliter inter sapientes, aliter in plebe loquendum; aliter cũ doctis, cum moves aliter. Ceterum displicent in Puteano quoq́; toties de repente proiectæ interrogatiunculæ: qui fit? quid ni? quid igitur? *Vtamur nonnunquam, sed parcius. In tot enim transeundi formulis, una toties repetita via fastidium creat. Denique tot in fine quæstiunculæ.* Quo colore? quo telo? &c. *responsionesque nimis cæsim obscuraque miscentur, vixque nexus in tot sententiolis dissolutè sparsis apparet. Colligamus eadem, sed eiusdem memores brevitatis, quæ non solis membris, sed toto orationis habitu nervosè adstricto compareat.*

Puteani dictio nonnihil immutata.

[Dum brevitatem laudo, brevis ero, ne tædium auditorem, & quod commendo non assequar. Iuvat experiri, an in Laconismo possit esse Eloquentia. Multa paucis dicere, sed cum sale & venustate, Laconicum est &c. Ipsa verborum parsimonia fœcunda est, cum velut in semine largam rerum segetem complectitur. &c.

Asiani nostri ut â florida laudataque Eloquentia dictione sterilem Laconismum seiungant, triplici illum dicendi forma, exili, temperata, grandi, vel impugnant, vel arcent. Quo, obsecro, argumento? an non exilis oratione, cum voluerit, Lacon est? consenties. An non eâdem, cum lubet, temperatus? & hoc daturus es. At sublimis & altus, quemadmodum, inquies, futurus est? Non te morabor, facilius omnino, quam tuus ille Asianus, exilis & temperatus. Si hic genus infimum in copia; ille summum in brevitate assequetur &c.]

Hæc ad usum tutiorem disertissimi autoris signare magis, quàm reprehendere placuit; ut ad optima quaque connitamur.

CAPUT XIII.

De Stylo periodicè circumscripto.

AMplum circumductumque genus dicendi stricto illi circumcisoque opponendum hic erit, verùm succinctè, cum de natura illius membrisque numeris ac compositione satis alibi tractatum sit. Neque ignota ejus orationis imago est, quæ ubique Ciceroni grata & familiaris, ac tanquam vastum corpus, facilè observatur. Vt tamen hominis vultus, & macilentus nimium, & enormiter pinguis displicet, mediamque habitudine gratissimus est; ita tumor juxta tenuitasque orationis despicitur; quidquid aurea mediocritate fulget, amatur. Rectè itaque circumducta oratio est, quæ per incisa aut membra, certo verborum

borum sententiarumque numero sic evolvitur, ut & animum audientes impleat, & ultra satietatem non excurrat. Hanc cum alibi in sua incisa, membra, periodosque distinxerimus; hic reliquum est, ut, quid in ea vitandum sit, expendamus, optimumque ejus genus exemplis subjectis illustremus. Ab his auspicemur.

§. 1.

De Circumscripto dicendi genere.

VBi à conciso dicendi genere cum virtute diflexeris, ad circumscriptum transibis.*

1. *In hoc tanto vocum delectu opus non est, cum epithetis ad vim ornamentumque orationis adhibitis energia illa suppleatur.*

2. *Locuples magis phrasium sententiarumque apparatus usurpatur: & ut in concisa dictione tenuit munditiès; ita hic luxus quidam regius amatur.*

3. *Calida illa vibrantesque figuræ, interrogationes, exclamationesque admoventur parcius, nisi ad motum comparata sit oratio. Idem de paræmijs, gnomisque sentiendum.*

4. *Opposita non tanta in luce, tamque nudè, ac frequenter contra se, velut in acie, collocantur, sed cultu aliquo dictionis vestiuntur, nexuque suaviori, tanquam conciliata, hærent, ac commiscentur, quæ in concisa apertè pugnant.*

5. *Particularum in hac oratione magna inprimis apud Ciceronem, cura, ut his tanquam vinculis ligata, suaviter ad finem usque periodi cohærens evolvatur.*

6. *Numeri, membrorumque sua sibi in toto ambitu proportione cohærentium, ratio singularis habenda est. Maxima apud Ciceronem vis & gratia in eorum dispositione eminet. quam pene solam hactenus ejus imitatores non sunt assecuti, quia minus observarunt. Quocirca pluscululm operæ huic rei à nobis impendendum videtur.*

* * *

§. 2.

Exemplum dictionis circumscriptæ in Stylo Epistolico.

Non eodẽ ubique circuitu dicendi Cicero in Epistolis volvitur, alibi productior, succinctior alibi. Epistola prima ad Quinctum fratrem de Provincia Asia Prætoris officio rectè administranda, ita scripsit, ut Epistolæ modum finesque prætervectus, nihil infra circumscriptæ orationis cultum elegantissimum dederit, dignaque illa sit, quæ non tantum omnium manibus; sed & animus ad omnem eloquentiæ florem aspirantium possideatur, tam omnia ad numerum aptè, & ad nitorem exquisitè componuntur. Redderem infra nisi in oculis plerorumque teneri existimarem. Nunc illa circumscriptione Epistolam dabo, quam hoc genus scribendi maximè decere censeo, eamque per suas periodos distributam, expendam.

M. Tull. Cicero P. Lentulo Proconsuli queritur Reip. statum, mutatum esse Pompeium sibi amicum pollicetur Lentulo conciliandum. Lib. 1. fam. Ep. 8.

1. De omnibus rebus, quæ ad te pertinent, quid actum, quid constitutum sit, quod Pompeius susceperit, optimè ex Emplatorio cognosces: qui non solum interfuit his rebus, sed etiam præfuit: neque ullum officiũ erga te hominis amantissimi, prudentissimi, diligentissimi prætermisit.

2. Ex eodem de statu rerum communium cognosces: quæ quales sint, non facilè est scribere.

3. Sunt quidem certè in amicorum nostrorum potestate, atq; ita, ut nullam mutationem unquam hac hominum ætate habitura res esse videatur.

4. Ego quidem, ut debeo, & ut tu te mihi præcepisti, &, ut me dignitas utilitasq; cogit, me ad eius rationes adiungo, quem tu in meis rationibus, tibi esse adiungendum putasti.

6. Sed te non præterit, quam sit difficile, sensum in rep. præsertim rectum & confirmatum, deponere.

7. Veruntamen ipse me conformo ad eius voluntatem, à quo honestè dissentire non possum.

8. Ne-

8. Neque id facio, ut forsitan quibusdam videor, simulatione.

9. Tantum enim animi inductio, & mehercule amor Pompei apud me valet, ut quæ illi utilia sunt, & quæ ille vult, ea mihi omnia jam & recta, & vera videantur.

10. Neque, ut ego arbitror, errarent, ne adversarij quidem ejus, si, cum pares esse non possunt, pugnare desisterēt.

11. Me quidem etiam illa res consolatur, quod ego is sum, cui vel maximè concedant omnes; ut vel ea defendam, quæ Pompeius velit; vel taceam; vel etiam id quod maxime lubet, ad nostra me studia referam litterarum.

12. Quod profectò faciam, si mihi per ejusdem amicitiam licebit.

13. Quæ enim proposita fuerant nobis, cum & honorib⁹ amplissimis, & laboribus maximis perfuncti essemus, dignitas in sententiis dicendis, libertas in rep. capescenda, ea sublata tota: sed nec mihi magis, quam omnibus.

14. Nam aut assentiendum est, nulla cum gravitate, paucis; ut frustra dissentiendum.

15. Hæc ego ad te, ob eam causam maximè, scribo; ut iam de tua quoque ratione meditere.

16. Commutata tota ratio est senatus, judiciorum, rei totius publicæ: otium nobis acceptandum est; quod ei, qui potiuntur rerum, præstaturi videntur, si quidam homines patientius eorum potentiam ferre potuerunt.

17. Dignitatem illam quidem Consularem fortis & constantis Senatoris, nihil est quod cogitemus: amissa est, culpa eorum, quia senatu, & ordinem coniunctissimum, & hominem clarissimum abalienarunt.

18. Sed ut ad ea, quæ cōiunctiora rebus tuis sūt, revertar.

19. Pompeium tibi valde amicum esse cognovi: & eo tu Cōsule, quantū ego perspicio, omnia, quæ voles, obtinebis.

20. Quibus in rebus me sibi ille affixum habebit: neque à me ulla res, quæ ad pertineat, negligetur.

21. Neq; enim verebor, ne sim ei molestus: cui jucundum erit, etiam propter idipsum, quod me esse gratum videbit.

22. Tu velim, ita tibi persuadeas, nullam rem esse minimam, quæ ad te pertineat, quæ mihi non carior sit, quàm meæ res omnes.

23. Idq; cum sentiam, sedulitate mihimet ipse satisfacere possum: re quidē ipsa, ideo mihi non satisfacit: quod nullam

partem tuorum meritorum, non modo referenda, sed ne cogitanda quidem gratia, consequi possum.

24. Rem te valde bene gessisse, rumor erat.

25. Exspectabantur literæ tuæ, de quibus eramus jam cum Pompeio locuti.

26. Quæ si erunt allatæ, nostrum studium extabit in conveniendis magistratibus & senatoribus

27. Cetera, quæ ad te pertinebunt, cum etiam plus contenderimus, quam possumus, minus tamen faciemus, quàm debemus.

Adjiciam his nonnulla ex 1. Epistol. famil. ad Lentulum.

28. Ego omni officio ac potius pietate erga te, ceteris satisfacio omnibus, mihi ipse nunquam satisfacio.

29. Tanta enim magnitudo est tuorum erga me meritorum, ut quoniam tu, nisi perfecta re, de me non conquiesti, ego quia non idem in tua causa efficio, vitam mihi acerbam putem &c.

30. Pompeium & hortari, & jam liberius accusare, & monere, ut magnam infamiam fugiat, non desistimus.

31. Sed plane nec precibus nostris, nec admonitionibus reliquit locum.

32. Nam cum in Sermone quotidiano, tum in senatu palam sic egit causam tuam, ut neque eloquentia majore quisquam, neque gravitate, neque studio, nec contentione agere potuerit; cum summa testificatione tuorum in se officiorum, & amoris erga te sui.

Epist. 6. famil. ad Lentulum de eodem argumento.

33. Quæ gerantur accipiés ex Pollione, qui omnibus negotijs non interfuit solum, sed præfuit.

34. Me in summo dolore, quem in tuis rebus capio, maximè scilicet consolatur spes, quod valde suspicor fore, ut infringatur hominum improbitas, & consilijs tuorum amicorum, & ipsa die, qua debilitantur cogitationes & inimicorum & proditorum.

35. Facilè secundo loco me consolatur recordatio meorum temporum, quorum imaginem video in rebus tuis.

36. Nam

36. Nam etsi minori in re violatur tua dignitas, quàm mea salus afflicta sit; tamen est tanta similitudo; ut sperem te mihi ignoscere, si ea non timuerim, quæ, ne tu quidem unquam timenda duxisti.

37. Sed præsta te eum, qui mihi à teneris (ut Græci dicunt) unguiculis es cognitus.

38. Illustrabit, mihi crede, tuam amplitudinem hominum injuria.

39. A me autem omnia sum in te studia officiaque exspecta: non fallam opinionem tuam.

§. 3.

EN *dignum erudita epistola characterem, ambitumque dictionem talem, qui nec lenta circumductione suspendat, nec subita præcisione orationem abrumpat. Abest tamen hinc epithetorum phrasiumque apparatus. Solo nexu atque implicatione membrorum sibi commixtorum amicè hæret, suaviterque in orbem volvitur. Qui nunc brevior, nunc laxior, in duorum vel trium ferè heroicorum versuum circuitu absolvitur. Primò itaque expende, quam apta dissolutione sententias nondum absolutas aliis membris orationis interpositis suspendat Cicero: quam grato eadem nexu societ, numeroque evolvat. Est enim ea in re, cum venustas, tum gratia dictionis singularis. Exempla habes n.*4.8.10.13.15.16.19.18.29.38. *Alius diceret.* Ego me ad ejus rationes adjungo, ut debeo, & ut tu præcepisti *&c.* Neque id facio simulatione, ut quibusdam forsitam videor.. *Et n.*10. si pugnare desisterent, cum pares esse non possent. &c.

Iterum observa, quam idonea divisione longiores sententias, per interjectas, iterasque non rarò, particulas dissecet; ut membra, velut in acie distributa, singulatim conspiciantur, quæ res pondus simul ornatumque orationi conciliat. Lege quæ habes n. 1.9.11.13.17.23.30.32.34. *Quæ, ut dicendi rationem mirificè variant, ita à circumscripto illo orationis, tractu, lentitudinem omnem (quam Tullii imitatores non satis vitant) incisione quadam, & celeri evolutione membrorum submovent. Dic enim e.g. n.*9. Omnia mihi recta & vera esse videntur. *Longè tardior fiet oratio, quam si dicas,* & recta, & vera: *sic n.*13. *segnescet oratio, si dicas* cum honoribus amplissimis laboribusque maximis perfuncti essemus. *Si incultior graviorque futura*

tura eſt n.32. cum ſcribes. Nam in ſermone quotidiano, & in ſenatu palam ſic egit cauſam tuam, ut quiſquam majore eloquentia, gravitate, ſtudio, contentione agere non potuerit.

Sed oppoſita quoque ſuo hanc orationem cultu ornare, periodoſque gratius circumferre, intelliges, cum expenderis illa n.14. 22.27.28.33.36. quæ quò minus eminent, tantò & ſuavius & occultius dictionem extollent.

Magna denique in ipſa verborum & ſententiarum collocatione apud Ciceronem vis eſt, quâ ſæpè ſola, quæ vulgaria ſunt, à trito ſermone, ad quandam evehit orationis dignitatem. Sic n.13. minus placuiſſet. Dignitas in ſententiis dicendis & libertas in rep. capeſſenda; quæ propoſita nobis fuerant, ea tota ſublata. Et n.16. *Tota ratio Senatus, judiciorum, rei publicæ totius commutata eſt* n. 22. *Ita tibi velim perſuadeas.* Et n. 23. *Cumque id ſentiam.* n.26. *Quæ ſi allata erunt.* Sed hæc, cum prima illa obſervatione, valde conjungitur.

Poſtremò eſt in proverbiis, conjunctionibus ceteriſque orationis adjunctis ſcitè uſurpatis gratia quadam Ciceronis particularis, ut n 5. Sunt quidem certè, & n.12. Quod profectò faciam, n.31. Sed planè nec precibus noſtris &c.

His tamen & ratas, minuſque in ceteris autoribus repertas phraſes meritò adjeceris; ut ſunt n.4. me ad ejus rationes adjungo. n. 6. ſenſum confirmatum depono &c. Vide n.12.16.34. & 38.

Qui plura ad hunc delectum facientia deſiderat, is, quæ de fontibus elocutionis §.4. *dedi, obſervet.*

§. 4.

Ciceroniano ſtylo traducta Plinii Epiſtola l. 2. Ep.3. ſupra recitata.

QUam Iſæus, ſuæ apud me eloquentiæ, exiſtimationem popularis famæ judicio collegerat, hanc non tantum æquare præſens, verum etiam ſuperare compertus eſt. Summa in ipſo, cùm facultas dicendi, tum ubertas ſpectatur & copia. Sermo illi non præmeditatus ad dicendum, ſed extemporaneus, velut ex ſcripto memoriaque, affluit. Nec Græcâ tantùm, verum inter Græcos quoque Attica dictione promptus eſt. Nihil ipſius præfationibus terſius

tersius dulciusque: nihil quoque, cum assurgere libuit, gravius eisdem erectiusque facilè repereris. Poscit, ubi res tulerit, controversias ad differendum plures: neque electionem sibi vendicat, sed offert auditori. Qui, ut primum delegerit, sæpe nihil cunctatus ad dicendum progreditur. Nec deinde, ut rerum sententiarumque anxius, aut quærendo hæsitat, aut eloquendo luctatur; sed occursantibus ultro verbis, sensibusque reconditis orationem fundit. Pleraque, tanquam ab instructa eloquentiæ penu, quæsita atque exculta arte depromuntur. Multam ipsius dictio cùm lectionem, tum scriptionem sapit. In prooemio aptus, in narratione apertus, in contentione acris & in conclusione fortis; nec ad docēdum minus, quam delectandum ac movendum est accomodatus. Meritò, qua in re potissimum excellat, dubitetur. Et profectò, sive enthymematum vim nervumque spectes, sive illam etiam circumscriptam syllogismorum efficaciam, nihil effluit, quod acri expolitoque censeas stylo indignum. Cui quædam excedit memoriæ promptitudo, prorsus, ut in extemporali opere, incredibilis. Altius, quæ ex tempore dixit, repetentem audias, & simul nec verbo quidem labentem obstupescas. Ad hanc tantam illum ἕξιν studium atque exercitatio quotidiana perduxit &c.]

Non aliud facilè promptum æquè expeditumq; ad Ciceronis in stylo indolem exprimendam exercitium repereris, quàm modò illa, quæ scripsit Tullius, concisa dictione reddere, modò rursum ejuscemodi ad affinē Ciceroni transferre facundiam. Quæ enim illic amputaveris, pari hic arte facilius restitues, quæ hic reddis, non minori illic facilitate resecabis. Hoc imitandi genus facilè præstantissimum, hactenus, an ignoratum nescio, certè non reperio commendatum.

CAPUT

CAPUT XIV.

De Styli historico circumscripto.

De historiæ ejusque styli ratione, ipsum præ ceteris Eloquentiæ principem Tullium juverit auscultasse: ut nobis deinde tutius liceat judicare.

Eloquentiã ex Historicorum lectione acui. Et, quæ ad absolutam historiæ scriptionem requirantur?

Dissertatio hæc laudem quorundam historicorum & historici officium continet. Antonius apud Ciceronem lib. 2. de Orat. §. 37. & seq.

APud Græcos eloquentissimi homines remoti à causis forensibus, cum ad ceteras res illustres, tum ad scribendam historiam maximè se applicaverunt. Namque, & Herodotum illum, qui princeps genus hoc ornavit, in caussis nihil omnino versatum esse accepimus. Atqui tanta est eloquentia, ut me quidem, quantum ego græcè scripta intelligere possum, magnopere delectet, & post illum Thucydides omnes dicendi artificio, mea sententia facile vicit: qui ita creber est rerum frequentia, ut verborum prope numerum sententiarum numero consequatur: ita porrò verbis aptus & pressus, ut nescias, utrum res oratione, an verba sententiis illustrentur. Hunc consecutus est Syracusis Philistus, qui cum Dionysii tyranni familiarissimus esset, otium suum consumpsit in historia scribenda, maximeque Thucydiden est, sicut mihi videtur, imitatus. Postea verò quasi ex clarissima Rhetoris officina, duo præstantes ingenio, Theopompus & Ephorus, ab Isocrate Magistro impulsi, se ad historiam contulerunt, causas omnino nunquã attigerunt. Denique etiam à Philosophia profectus princeps Xenophon, Socratius ille; post ab Aristotele Callisthenes

henes comes Alexandri, scripsit historiam, & hic quidem Rhetorico penè more, ille autem superior, leniore quodam sono est usus, & qui illum impetum Oratoris non habeat. Vehemens fortasse minus, sed aliquanto tamen est, ut mihi quidem videtur, dulcior. Minimus natu horum omnium Timæus, quantum autem judicare possum longè eruditissimus, & rerũ copia, & sententiarum varietate, abundatissimus, & ipsa compositione verborum non impolitus, magnam eloquentiam ad scribendum attulit.

Quorum ego libros, & nonnullos alios, non utilitatem aliquam ad dicendum aucupans, sed delectationis causa, cum est otium, legere soleo. Fatebor tamen, ut cum in sole ambulem, etiamsi aliam ob causam ambulem, fieri natura tamẽ ut coloret; sic cum eos libros studiosius legerim, sentio orationem meam illorum cantu quasi colorari. Magnum munus Oratoris historia; neque tamen eam reperio usquam separatim instructam Rhetorum præceptis, sita sunt enim ante oculos. Nam quis nescit primam historiæ legem, ne quid falsi dicere audeat, deinde ne quid veri non audeat, ne qua suspicio gratiæ sit in scribendo, ne qua simultatis. Hæc scilicet fundamenta nota sunt omnibus. Ipsa autem exædificatio posita est in rebus, & verbis. Rerum ratio ordinem temporum desiderat: regionum descriptionem: vult etiam, quoniam in rebus magnis, memoriaque dignis consilia primum deinde acta, postea eventus expectantur, & de consiliis significari, quid scriptor probet: & in rebus gestis declarari, non solum quid actum, aut dictum sit: sed etiam quomodo & cum de eventu dicatur, ut causæ explicentur omnes: vel casus, vel temeritas: hominumque non solum res gestæ, sed etiam qui fama, ac nomine excellant, de cujusque vita, atque natura. Verborum autem ratio, & genus orationis fusum, atque tractum, & cum lenitate quadam æquabili profluens sine hac judiciali asperitate, & sine sententiarum forensum aculeis prosequendum est.

Quintiliani de historia stylo judicium.

Lib. 9. c. 4. *in fine ait.* Historia non tam finitos numeros quàm orbem quendam contextumque desiderat. Námque omnia eius membra connexa sunt, quoniam lubrica est ac fluit,

fluit, ut homines qui manibus invicem apprehensis gradum infirmant, continent & continentur.

Et l. 10. c. 1. *post princ. inquit.* Historia quoque alere orationem, quodam molli jucundoque succu potest. Verùm & ipsa sic est legenda, ut sciamus plerasque eius virtutes Oratori esse vitandas, est enim proxima Poetis, & quodammodo carmen solutum, & scribitur ad narrandum, non ad probandum, totumque opus in actum rei, pugnamq; præsentem, sed ad memoriam posteritatis, & ingenii famam componitur, ideoque & verbis remotioribus, & liberioribus figuris narrandi tædium evitat.

§. I.

Exemplum historicæ narrationis ex Cicerone.

Beatam vitam in sola virtute, non in honore & opibus consistere, *Exemplo Dionysij ostenditur.*
Cicero Tuscul. q. lib. 5. num. 57.

DVo de quadraginta annos tyrannus Syracusanorum fuit Dionysius, cum quinque & viginti natus annos Dominatum occupasset. Quâ pulchritudine urbem, quibus autem opibus præditam, servitute oppressam tenuit civitatem? Atqui de hoc homine à bonis auctoribus sic scriptum accepimus: summam fuisse ejus in victu temperantiam, in rebusque gerendis virum acrem & industrium: eundem tamen maleficum natura, & industrium. Ex quo omnibus, bene veritatem intuentibus, videre necesse est miserrimum. Ea enim ipsa, quæ concupierat, ne tum quidem, cum omnia sese posse censebat, consequebatur. Qui cum esset bonis parentibus, atque honesto loco natus (etsi id quidem alius alio modo tradit) abundaretq; & æqualium familiaritatibus, & consuetudine propinquorum: haberet etiam, more Græciæ, quosdam adolescentes amore conjunctos; credebat eorum nemini: sed iis, quos ex familiis locupletum servos delegerat, quibus nomen

men servitutis ipse detraxerat, & quibusdam convenis, & feris barbaris, corporis custodiam committebat. Ita propter injustam dominatus cupiditatem in carcerem quodam modo ipse se incluserat. Quin etiam ne tonsori collum committere, tondêre filias suas docuit. Ita sordido, ancillatique artificio regiæ Virgines, ut tonstriculæ, tondebant barbam, & capillum patris. Et tamen ab iis ipsis cum jam essent adultæ, ferrum removit, instituitque ut candentibus juglandium putaminibus barbam sibi, & capillum raderent. Cumque duas uxores haberet: Aristomachen, civem suam; Doriden autem Locrensem, sic noctu ad eas ventitabat, ut omnia specularetur, & perscrutaretur ante. Et cum fossam latam cubiculari lecto circumdedissent, ejusque fossæ transitum ponticulo ligneo conjunxisset: eum ipsum, cùm fores cubiculi clauserat, detorquebat. Idemque, cùm in communibus suggestis consistere non auderet, concionari ex turri alta solebat. Atque is cùm pila ludere vellet (studiosè enim id factitabat) tunicamque poneret, adolescentulo, quem amabat, tradidisse gladium dicitur. Hic cùm quidam familiaris jocans dixisset. Huic quidem certè vitam tuam committis, atrisissetque adolescens: utrumque jussit interfici: alterum, quia viam demostravisset interemendi sui: alterum, quia id dictum risu approbavisset. Atque eo facto sic doluit, ut nihil gravius tulerit in vita. Quem enim vehementer amaret, occiderat. ¶Sic distrahuntur in varias partes, impotentium cupiditates. Cum huic obsecutus sis, illi est repugnandum. Quanquam hic quidem Tyrannus ipse indicavit, quam esset beatus. Nam cùm quidam ex ejus assentatoribus Damocles commemoraret in sermone copia ejus opes, majestatem, dominatus, rerum abundantiam, magnificentiam ædium regiarum: negaretque unquam beatiorem quenquam fuisse: visne igitur, inquit, Damocle, quoniam hæc te vita delectat, ipse eandem degustare, & fortunam experiri meam? cùm se ille cupere dixisset, collocari jussit hominem in aureo lecto, strato pulcherrimo, texili stragulo, magnificis operibus picto, abacosque complures ornavit argento, auroque cælato. Tum ad mensam eximia forma pueros delectos jussit consistere, eosque ad nutum illius intuentes diligen-

ter

ter ministrare. Aderant unguenta, coronæ incendebantur odores: mensæ conquisitissimis epulis exstruebantur. Fortunatus sibi Damocles videbatur. In hoc medio apparatu fulgentem gladium è lacunari seta aquina appensum, dimitti jussit, ut impendèret illius beati cervicibus. Itaque nec pulchros illos administratores adspiciebat, nec plenum artis argentum: nec manum porrigebat in mensam. Iam ipsæ defluebant coronæ: denique exoravit tyrannum, ut abire liceret, quod jam beatus nollet esse: Satisne videtur declarasse Dionysius, nihil esse ei beatum, cui semper aliquis terror impendeat? Aqui ei ne integrum quidem erat, ut ad justitiam remigraret libertatem, & jura redderet. Iis enim se adolescens, improvida ætate, irretierat eratis, eaque commiserat, ut salvus esse non posset, si sanus esse cœpisset. Quantopere verò amicitias desideraret, quarum infidelitatem extimescebat; declaravit in Pythagoreis duobus illis: quorum cum alterum vadem mortis accepisset; alter, ut vadem suum liberaret, præsto fuisset, ad horam mortis destinatam. Vtinam ego, inquit, tertius, vobis amicus adscriberet. Quam huic erat miserum, carere consuetudine amicorum, societate victus, sermone omninò familiari, homini præsertim docto à puero & artibus ingenuis erudito! Musicorum verò perstudiosum accepimus, Poëtam etiam tragicum: quam bonum, nihil ad rem. In hoc enim genere, nescio quo pacto, magis, quàm in aliis, suum cuique pulchrum est. Adhuc neminem cognovi Poëtam (& mihi cum Aquinio amicitia) qui sibi non optimus videretur. Sic se res habet. Te tua, me delectant mea. Sed ut ad Dionysium redeamus: omni cultu, & victu humano carebat. Vivebat cum fugitivis, cum facinorosis, cum barbaris, neminem qui aut libertate dignus esset, aut vellet omninò liber esse; sibi amicum arbitrabatur. Non ergo jam cū hujus vita, qua tertius, miserius, detestabilius excogitare nihil possum, Platonis, aut Architæ vitam comparabo, doctorum hominum, & planè sapientium. Ex eadem urbe humilem homunculum, à pulvere, & radio excitabo, qui multis annis post fuit. Archimedem. Cujus ego quæstor, ignoratum ab Syracusanis (cum esse omninò negarent) septum undique & vestitum vepribus, & dumetis, indagavi sepulchrum. Tenebam enim quosdam senariolos, quos in ejus monumento esse inscriptos acceperam: qui declarabant,

bant, in summo sepulchro sphæram esse positam cum cylindro. Ego autem, cum omnia collustrem oculis (est enim ad portas Agragianas magna frequentia sepulchrorũ) animadverti columellam non multum è dumis eminentẽ: in qua inerat sphæræ figura, & cylindri. Atque ego statim Syracusanis (erant autem principes mecum) dixi, me illud ipsum arbitrari esse, quod quærerem. Immissi cum falcibus multi, purgarunt, & aperuerunt locũ. Quò, cùm patefactus esset aditus, ad adversã basim accepimus. Apparebat epigramma exesis posterioribus partibus versiculorum, dimidiatis ferè. Ita nobilissima Græciæ civitas, quondam vero etiam doctissima, sui civis unius acutissimi monumentum ignorasset, nisi ab homine Arpinate didicisset. Sed redeat unde aberravit oratio. Quis est enim omnium, qui modò cum Musis, id est, cum humanitate & cum doctrinâ habeat aliquod commercium, qui se non hunc mathematicum malit, quàm illum Tyrannum. Si vitæ modum, actionemque quærimus: alterius mens rationibus agitandis, exquirendisque alebatur, cum oblectatione solertiæ: qui unus est suavissimus pastus animorum: alterius cæde, & injurijs cum & diurno, & nocturno metu. Age, confer Democritũ, Pythagoram, Anaxagoram. Quæ regna, quas opes studijs eorum, & delectationibus antepones? Etenim quæ pars optima est in homine, in ea situm esse necesse est illud, quod quæris, omnium optimum. Quid est autem in homine, sagaci ac bona mente melius? eius bono fruendum est igitur, si beati esse volumus. Bonum autem mentis, est virtus. Ergò hac beatam vitam contineri necesse est.

Hac Cicero leniori remissiorique, quàm judicio Quintiliani, pro historia par sit, stylo est prosecutus Mogli ille, character dissertationi, aut epistola, vel etiam orationi ad instructionem concepta deservire laudabilius poterit; historia ex instituto prosequenda minus est accommodatus. Plus in Curtio vita roborisque ad ejusmodi scribendi formam possidemus. Lubet exemplo hoc ipsum experiri.

§. 2.

Exemplum historicum lib. 3. cap. 10.

De Alexandro in Cydno flumine obrigescente & per Philippum Medicum feliciter restituto.

1. MEdiam (*regionem Asiæ*) Cydnus amnis interfluit,& tunc æstas erat, cujus calor non aliam magis,quàm Ciciliæ oram vapore solis accendit, & diei fervidissimum tempus exceperat.

2. Pulvere simul ac sudore perfusum Regem invitavit liquor fluminis, ut calidum adhuc corpus ablueret.

3. Itaque veste deposita, in conspectu agminis (decorum quoque ratus si ostendisset suis levi & parabili cultu corporis se esse contentum] descendit in flumen.

4. Vix ingressi subito horrore artus rigere cœperunt: pallor deinde suffusus est, & totum propemodum corpus vitalis calor liquit.

5. Exspiranti similem ministri manu excipiunt, nec satis compotem mentis in tabernaculum deferunt.

6. Ingens solicitudo, & penè jam luctus in castris erat: flentes querebantur in tanto impetu cursuq; rerum, omnis ætatis ac memoriæ clarissimum Regem, non acie saltem, non ab hoste dejectum, sed abluentem aquâ corpus ereptum esse & extinctum.

7. Instare Darium victorem antequam vidisset hostem: sibi easdem terras, quas victoria peragrassent, repetendas: omnia aut ipsos,aut hostes populatos: per vastas solitudines, etiamsi nemo insequi velit, euntes fame atque inopiâ debellari posse.

8. Quem signum daturum fugientibus? quem ausurum Alexandro succedere? Iam: ut ad Hellespontem fuga penetrarent, classem,quâ transeant,quem præparaturum ?

9. Rursus in ipsum Regem misericordia versa ; illum florem juventæ,illam vim animi; eundem Regem & commilitonem divelli à se,& abrumpi, immemores sui querebantur.

10. In-

10. Inter hæc liberius meare spiritus cœperat, adlevabatque Rex oculos, & paulatim redeunte animo, circumstantes amicos agnoverat: laxataque vis morbi hoc solum videbatur, quia magnitudinem mali sentiebat.

11. Animi autem ægritudo corpus urgebat: quippe Darius quinto die in Cilicia fore nuntiabatur,

12. Vinctum ergo se tradi, & tantam victoriam eripi sibi è manibus, obscuraq; & ignobili morte in tabernaculo extingui se querebatur.

13. Admissisque amicis pariter ac medicis, In quo me, inquit, articulo rerum mearum fortuna deprehenderit, cernitis; strepitum hostium armatorum exaudire mihi videor: & qui ultro intuli bellum, jam provocor.

14. Darius ergo cum tam superbas literas scriberet, fortunam meam in consilio habuit; sed nequicquam, si mihi arbitrio meo curari licet.

15. Lenta remedia, & segnes medicos exspectant tempora mea, & mori strenuè, quàm tardè convalescere mihi melius est.

16. Proinde si quis opis, si quid artis in Medicis est; sciant me non tam mortis, quam belli remedium quærere.

17. Ingentem omnibus incusserat curam tam præceps emeritas.

18. Ergo pro se quisque precari cœperat, ne festinatione periculum augeret; sed esset in potestate medentium.

19. Inexperta remedia, haud injuria, ipsis esse suspecta, cum ad perniciem eius, etiam à latere ipsius pecunia sollicitaret hostis.

20. Quippe Darius in mille talenta interfectori Alexandri daturum se, pronuntiari jusserat.

21. Itaque ne ausurum quidem quenquam arbitrabantur experiri remedium, quod propter novitatem posset esse suspectum.

22. Erat inter nobiles Medicos ex Macedonia Regem secutus Philippus, natione Acarnan fidus admodum Regi puero comes, & custos salutis datus: non ut Regem modo, sed etiam ut alumnum eximia caritate diligebat.

23. Is non præceps se, sed strenuum remedium adferre, tantamque vim morbi potione medicata levaturum esse promisit.

 24. Nul-

24. Nulli promissum ejus placebat, præter ipsum cujus periculo pollicebatur.

25. Omnia quippe facilius, quam morã perpeti poterat.

26. Arma & acies in oculis erant, & victoriam in eo positam esse arbitrabatur, si tantum ante signa stare potuisset.

27. Idipsum, quod post diem tertium medicamentum sumpturus esset (ita enim Medicus prædixerat) ægre ferens.

28. Inter hæc à Parmenione fidissimo purpuratorum literas accipit, quibus ei denuntiabat; ne salutem suam Philippo committeret: mille talentis à Dario & spe nuptiarum sororis ejus esse corruptum.

29. Ingentem animo solicitudinem literæ incusserant, & quidquid in utramque partem, aut metus, aut spes subjecerat, secreta æstimatione pensabat.

30. Bibere perseverem? ut si venenum datum fuerit, ne immeritò quidem quidquid acciderit evenisse videatur? damnem Medici fidem? in tabernaculo ergo me opprimi patiar?

31. At satius est alieno me mori scelere, quam metu nostro.

32. Diu animo in diversa versato, nulli, quid scriptum esset, enuntiat, epistolamque sigillo annuli sui impresso, pulvino, cui incubabat, subjecit.

34. Inter has cogitationes biduo absumpto, illuxit à Medico destinatus dies.

35. Et ille cum poculo, in quo medicamentum diluerat, intravit.

36. Quo viso, Alexander, levato corpore in cubitum, epistolam à Parmenione missam, sinistra manu tenens, accipit poculum, & haurit interritus: tum epistolam legere Philippum jubet; nec à vultu legentis movit oculos, ratus aliquas conscientiæ notas in ipso ore posse conprehendere.

37. Ille epistola perlecta, plus indignationis, quàm pavoris ostendit: projectisque amiculo & literis ante lectum: Rex, inquit, semper quidem spiritus meus ex te pependit, sed nunc verè arbitror sacro & venerabili ore trahitur.

39. Crimen parricidii quod mihi objectum est tua salus diluet.

39. Servatus à me, vitam mihi dederis.

40. Oro

40. Oro quæsoque, omisso metu, patere medicamentũ concipi venis: laxa palisper animum, quem, intempestiva solicitudine, amici sanè fideles; sed molestè seduli turbant.

41. Non securum modo hæc vox, sed etiam lætum Regem ac plenum bonæ spei fecit.

42. Itaque, si Dii, inquit, Philippe, tibi permisissent, quo maximè modo velles animum experiri meum; alio profectò voluisses; sed certiore, quam expertus es, ne optasses quidem.

43. Hac epistola accepta, tamen quod dilueres bibi; & nunc crede me non minus pro tua fide, quam pro mea salute esse solicitum &c.

44. Ut verò medicamentum se diffudit in venias, & sensim toto corpore salubritas percipi potuit: primum animus vigorem suum, deinde corpus quoque exspectatione maturius recuperavit.

45. Quippe post tertium diem, quam in hoc statu fuerat, in conspectum militum venit: nec avidius ipsum Regem, quàm Philippum intuebatur exercitus.

46. Pro se quisque dexteram amplexi: grates habebant velut præsenti Deo.

47. Namque haud facilè dictu est, præter ingenitam illi genti erga Reges suos venerationem, quantum hujus utique Regis, vel admiratione dediti illi fuerint; vel caritate flagraverint.

48. Iam primum nihil sine divina ope aggredi videbatur: nam cum præsto esse ubique fortuna: temeritas in gloriam cesserat.

49. Ætas quoque vix tantis matura rebus, sed abundè sufficiens omnia ejus honestabat.

50. Et quæ leviora haberi solent, plerumque militari gratiora vulgo sunt.

51. Exercitatio corporis inter ipsos, cultus, habitusque paullum à privato abhorrens, militaris vigor.

52. Quibus ille vel ingenii dotibus, vel animi artibus, ut pariter carus & venerandus esset, effecerat.

§. 3.

Animadvertes hunc stylum, periodum circumscriptione modoque, ab epistolari nihil aut parum differre. Quanquam

quam hic numerus ſine vitio nequeat, in Epiſtola negligi poſſit.

Sed & primo minora illa particularum (ut in præpoſitionibus conjunctionibuſque molliter uſurpatis cernitur) ornamenta, nexuſque faſtidit, ſtringit magis, addenſatque ſententias Vt n. 7.6.9. aliiſque videre eſt.

*Deinde phraſin à trito ſermone magis elevat, idque, nunc Metaphoris paulò illuſtrioribus, ut cum inanimatis vitam tribuit, ut n.*1. Calor diei tempus exceperat. *Et n.*2. Regem invitavit liquor. *n.* 13. Me fortuna in hoc rerum articulo deprehendit. *n.*29. Quidquid ſpes metuſque ſubjecerat. *Qui ornatus planè eſt ſingularis, ſoluſque orationem quandoque nobilitare poterit. Nunc etiam adjunctis opportunè epithetis extollit: ut n.*12. Obſcura & ignobili morte in tabernaculo ſe extingui querebatur. *n.*29. Secreta æſtimatione cuncta penſabat. *n.*40. Intempeſtiva ſolicitudine turbant. S*ed cavendum, ne otioſa adjectione cumulentur. Quidquid enim abeſſe, ſalva poteſt ſententia, ſupervacuum eſt. Ceterùm delectus vocum, aliaque, quæ ad illuſtrandam in verbis potiſſimum dictionem faciunt, alibi à nobis obſervata inquiras. Vnde n* 7. peragrare terras victoria *n.*14. fortunam in conſilio habere *n.*18. in poteſtate medentium eſſe &c. *delectum habent.*

*Tertiò oppoſita in hac oratione majori in luce ſolent eminere. Vt n.*13. qui ultro intuli bellum, jam provocor. *n.*31. Satius eſt alieno me mori ſcelere, quam metu noſtro. *n.*38. Crimen meum, tua ſalus diluet &c. *Vide n.*15. *&* 16.

*Quartò Sententiosè & acutè dicta ſenſum legentis feriunt, præſertim ſiqua præter exſpectationem includant. Vt n.*25. Omnia facilius, quàm moram perpeti poterat. *n.*40. Amici fideles, ſed moleſtè ſeduli. *n.* 43. Non minus pro Medici fide, quàm pro ſua Rex ſalute ſolicitus.

In his univerſim ſcitè venuſtèque uſurpatis nihil Curtio reperi exquiſitius. Vincant nonnulli in partibus, moderatione ſtyli primas tenet, nec protritus facilitate, nec raritate obſcurius. Nec conciſus nimium, ut Saluſtius, nec productus immoderatius, ut ſæpe Livius.

CAPUT

CAPUT XV.

De Stylo Oratorio circumscripto exemplum.

Ex Orat. Cicer pro Marcello.

Legere, pro hoc genere, Orationem pro lege Manilia, Milone, aliasque poteris; ego pauca ex oratione pro M. Marcello adducam.

1. DIuturni silentii, P.C. quo eram his temporibus usus, non timore aliquo; sed partim dolore, partim verecundia, finem hodiernus dies attulit; idemq; initium quæ vellem, quæque sentirem, meo pristino more, dicendi.

2. Tantam enim mansuetudinem, tam inusitatam, inauditamque clementiam; tantum in summa potestate rerum omnium modum, tam denique incredibilem sapientiam, ac penè divinam tacitus nullo modo præterire possum.

3. M. enim Marcello, vobis P.C. reique publicæ reddito; non solum illius; sed meam etiam vocem atque authoritatem, & vobis, & reip. conservatam ac restitutam puto.

4. Dolebam enim P,C. ac vehementer angebar, cum viderem virum talem, qui in eadem causa, in qua ego fuisset, non in eadem esse fortuna.

5. Nec mihi persuadere poteram, nec fas esse ducebam, versari me in vestro veteri curriculo illo æmulo, atque imitatore studiorum ac labotum meorum, quasi quodam socio, à me, & comite distracto.

6. Ergo, & mihi meæ pristinæ vitæ consuetudinem, C. Cæsar, interclusam aperuisti, & his omnibus, ac bene de omni Rep. sperandum, quasi signum aliquod sustulisti.

7. Intellectum est enim mihi quidem in multis, & maximè in me ipso, sed paullò ante in omnibus, cum M. Marcellum Senatui populoque Rom. & Reip. concessisti? commemoratis præsertim etiam offensionibus, te autoritatem ordinis, dignitatemque Reip. tuis vel doloribus, vel suspicionibus anteferre.

8. Ille quidem fructū anteactæ vitæ hodierno die maxi-

mum cœpit, cum summo consensu Senatus, tum præterea judicio tuo gravissimo & maximo.

9. Ex quo profectò intelligis, quanta in dato beneficio sit laus, cum in accepto tanta sit gloria.

10. Est verè fortunatus ille, cujus ex salute non minor penè ad omnes, quam ad illum ventura sit, lætitia provenerit.

11. Quod ei quidem meritò atque optimo jure contigit.

12. Quis enim est illo, aut nobilitate, aut probitate, aut optimarum artium studio, aut innocentia, áut ullo genere laudis præstantior?

13. Nullius tantum est flumen ingenij, nulla dicendi, aut scribendi tanta vis tantaque copia, quæ, non dicam exornare; sed enarrare, Cæsar, res tuas gestas possit.

14. Tamen hoc affirmo, & hoc pace dicam tua, nullam in his esse laudem ampliorem, quàm eam, quam hodierno die consecutus es.

15. Soleo sæpè ante oculos ponere, idque libenter crebris usurpare sermonibus; omnes nostrum Imperatorum, omnes exterarum gentium potentissimorumq; populorũ, omnes clarissimorum Regum res gestas, cum tuis, nec contentionum magnitudine, nec numero præliorum, nec varietate regionum, nec celeritate conficiendi, nec dissimilitudine bellorum posse conferri: nec verò disjunctissimas terras citius cujusquã passibus potuisse peragrari, quam tuis, non dicam cursibus; sed victoriis illustratæ sunt.

16. Quæ quidem ego, nisi ita magna esse fatear, ut ea vix cujusque mens aut cogitatio capere possit, amens sim.

17. Sed tamen sunt alia majora.

18. Nam bellicas laudes solent quidam extenuare verbis, easque detrahere Ducibus, communicare cum militibus, ne propriæ sint Imperatorum.

19. Et certè in armis militum virtus, locorum opportunitas, auxilia sociorum, classes, commeatus multum juvant: maximam verò partem, quam suo jure fortuna sibi vendicat & quidquid est prosperè gestum, id pene omne ducit suum.

20. At verò hujus gloriæ, Cæsar, quam es paullò ante adeptus socium habes neminem; totum hoc, quantumcunq; est, quod certè maximum est, totum est inquam, tuum.

21. Nihil sibi ex ista laude centurio, nihil præfectus, nihil cohors, nihil turma decerpit: quin etiam illa ipsa rerum humana-

manarum Dominia Fortuna, in istius se societatem gloriæ non offert, tibi cedit, tuam esse totam & propriam fatetur.

22. Nunquam enim temeritas cum sapientia commiscetur, nec ad consilium casus admittitur.

23. Domuisti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes; sed tamen ea vicisti, quæ & naturam & conditionem, ut vinci possent, habeant.

24. Nulla est enim tanta vis tantaque copia, quæ non ferro ac viribus debilitari frangique possit.

25. Verùm animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, adversarium nobilitate, ingenio virtute præstantem, non modo extollere jacentem, sed etiam amplificare ejus pristinam dignitatem: hæc qui faciat, non ego illum cum summis viris comparo, sed simillimum Deo judico. &c.

§. 1.

Digna hac tota oratio est, qua omnium memoria insideat, omniumque imitatione efformetur. Summa enim dicendi vi, elegantia, ac copia uni C. Cæsaris facto immoratur; quod Marcello, partes Pompeij Adversarij sui (ut & Cicero fecerat) secuto, clementer, post victoriam, ignoverit.

1. *Itaque oratio universè à reliquo dictionis genere differt, quod eidem rei amplificandæ, exaggerandæque per diversa adiuncta inhæreat. Totum enim, quidquid his Cicero differit, argumento per brevi hoc modo complectaris.*

Tacere nullo modo possum, tam inusitatam tuam C. Cæsar clementiam, quâ virum talem, mihi in studijs ijsdem conjunctum, & resp. utilissimum, privatis offensionibus posthabitis, pristino honori restituisti. Hac laude virtutis, omnem partam bello gloriam (quæ sanè est maxima) longè superasti, cum ex illa multum alij sibi vendicent, hanc solus possideas; illic alios, hic etiam te ipsum ipsamque victoriam viceris.

Quare diligenter observandum est, quâ quaque ratione amplificet.

2. *Quæ supra de stylo epistolari ornamenta in Cicerone observanda dixi in dissolutione & apta permixtione phrasium, collocatione & connexione sententiarum, hic non repeto. Vbique apud illum locum reperiunt.*

3. *Hic latior campus troporum figurarumque est, atque ab*

 his

his etiam cum aliqua concinnitate implentur periodi repetitiones inprimis particularum gratiam conciliant. ut n.12.15.aliisque liquet.

4. *Enumeratio partium, adjunctorumque expositio & ambitum orationis explent, & magnificè extollunt, prior num. 13.15.19. & 21. altera num. 23. & 25. egregiè periodum illustrat.*

5. *Epithetorum quoque opportunus usus, orationem non minus amplificat, quam exacuit. ut num. 2. haud obscurè patet.*

6. *Oppositio sententiarum, per particulas*, tantum, quantum; non modò, verùm etiam, neque verò, sed: *aliasque similes, tam diducendæ quam ornandæ periodo subserviet, ut, n. 25. observabis.*

7. *Illud verò etiam in stringenda laxandaque periodo, negligendum non est; quòd quò illa est brevior, tantò ferè membris utatur longioribus; tantò contra brevioribus quò longior, ut multitudine corrigat tarditatem. In rebus porrò ad ornatum compositis, numerosa magis, suos inter ambitus, membris productioribus, tanquam passibus gravius incedit. In iis verò quæ & motum spectant, suis incisis licet intra periodos fertur concitatius. Hic enim pugnam illic pompam instruit; hic delectat, illic flectit. Compone Manilianam & Catilinariam, discrimenque haud obscurè deprehendes. Rursum & periodos tunc esse productiores convenit, cum res magna atque ardua, sive ad ornatum, sive ad motum proponitur, breviores cum præcepta legesque dantur. cumq; epiphonemate aliquo exposita clauduntur. Rem magnam n.1. cetera n.9.10.22.& 24. reperies. Vnum intereà non ignorabis, quod varietas ipsa periodorum delectet; ut ex imagine superius posita facilè elucescit.*

CAPUT

CAPUT XVI.

De vitijs Styli circumscripti, & Cacozelia imitatorum Ciceronis.

QVadam orationis vitia, tanquam morbi, hoc potissimum dicendi genus infestant, ut est Lentitudo, Puerilitas, & Cacozelia, sive perversa imitatio.

Lenti seu languidi illi sunt, qui circumductis longius membris periodisque auditori lectorive fastidium movent. Pueriles, qui dictionis elaborata flores, scite eleganterque dicta, & figuras verborum sententiarumque, allusiones gratas, rerumque non ineptas descriptiones & siquid ejusmodi ornamentorum est, huc ab alijs traductum, loco, temporique opportunò non adhibent. Cazoli, qui ex doctorum scriptis, vitiosa pro virtute, vel rariora crebrius, vel inscitè elegantia, imitantur. Quorum primi circumscriptione: alij traductione: tertij imitatione imperitâ peccant.

Exemplis hac fient illustriora. Iuvat laudatum à multis imitatorem Ciceronis Petrum Bembum Cardinalem audire lib.3. epist. ad virum doctissimum Iacobum Sadoletum.

1. Ego verò perlectis literis tuis, quibus tu desiderium, vel potius aviditatem meam legendi jam aliquid abs te, cumulatè atque amantissimè lenijsti, etiam effigiem amoris erga me tui, omnibus prorsus officij benevolentiæ, humanitatis, pietatis, luminibus expressam, ac perpolitam in illis agnoscens, non sum admiratus.

2. Nihil enim mihi magis exploratum est, quàm me abs te amari, vel antiquam illam nostram consuetudinem ac penè convictum, cum Ferrariæ Leonicenum audiebamus, vel postremò cum Romam venissem, recens tuum in me atque meis ornandis studium diligentiamque repetenti: quod quidem ipsum sedulò facio.

3. Itaque si mihi unquam ejus rei occasio dabitur (quæ præfectò dabitur) efficiam sanè, ut quoniam quanti ego

ego semper fecerim, perspicacissimum illud ingenij tui acumen, ad omnes bonas artes capessendas, quibus te à puero tradidisti, cum per sese, tum usu atque exercitatione incitatissimum, conjunctum cum suavissimis moribus, admirabilique lenitate vitæ, ipse perspicere potuisti; etiam quantum tibi debere me existimem áliquando cognoscas: vel potius, ut omnes homines utrumque, & te mihi esse charissimum propter egregias virtutes tuas, & propter ea, quæ dixi, officia, me tibi esse devinctissimum intelligant.

4. Nunc venio ad reliquas partes Epistolæ tuæ.

5. De valetudine tua gratulor convaluisse te, diuturna præsertim ac gravi; sic enim existimabam, conjectura utens te, nisi tibi rectè esset, tam bellam epistolam conscribere non potuisse.

6. Nam ut quidem nobis præter discrimen, in quod te ais, vexatum diebus circiter nonaginta, penè extremum perductam, nihil scribis.

7. Cave autem existimes quenquam te habere, cui tua salus charior sit, quàm mihi, quibus æquè chara sit, fortasse habes non multos, atque illos quidem, vel fratres, vel parentes tuos. Ceteros omnes, si à me in te amando planè vinci superarique dixero, fortasse non mentiar.

8. Quod epistolam meam missam ad Phœdrum laudas, teque ipsum inopem nuncupas ab argumentis epistolarum, facis tu quidem in altero amoris abundantia, in altero humanitatis.

9. Sed omnino neque clam me est, quam tu abundans, quam fluens, quàm elegans in scribendo sis Neque siquid interdum nos fortassè non ineptè scribimus, id qualecunque est (si modo est aliquid) ignorare te existimo. &c,

§. I.

PRomo nonnullas disertissimi, & Tulliana eloquentia assertoris æmulatorisque studiosissimi offensiunculas, ad cautelam instructionemque illorum, qui paria vestigia consectantur. n.1. 2. & 3. lentitudine sua fastidium lectori non submovet, cùm membris, parum aptè distributis, periodos ultra exspectationem producat, neque, ut in longioribus par est, numerosè concludat.

In reliquis plerisque vix cavit cacozelia vitium ut n. 6. valetudinem *more Ciceronis pro morbo rectè usurpat; sed convalere de valetudine diuturna Cicero non dixerit. Rursum:* sic enim existimabam, *Tullio frequens est, ut existimabam conjectura utens, eidem displiceat. Sic n. 6. in* discrimen extremum perduci *Ciceronianum est, at nusquam tam ingrata divulsione sententia usurpatum n. 7* fortasse *bis sic repetitum Tullius non ferret; reliqua Tulliana sunt, uti & n. 8. Verùm n. 9. pari occasione Cicero non scripserit, imò fortasse nunquam hac conjunxerit.* Sed omnino, neque clam me est.

Iam verò, an non etiam puerilitas quadam n. 1. hoc se dicto prodat, literis tuis aviditatem meam cumulatè & amantissimè lenijsti; *& rursum:* effigiem amoris erga me tui, omnibus officijs benevolentiæ, & luminibus expressam non sum admiratus: *aliorum esto judicium. Nam si cumulatè; cur aviditatem tantùm* leniit? *si tam admirabilis tot virtutum in amore effigies, cur etiam in amantissimo sui non admiretur? Certè hac aptiori loco poterant adhiberi. Sic illa parenthesis n. 3.* (quæ profectò dabitur) *minus opportunum in matura oratione sensum obtinet, magisque ad aurium delicias, quàm significandi virtutem est comparata. Qua verò sequuntur, nimia extensione sententia, velut in novam parenthesin conjecta, intellectum suspendunt. Ornatus qui obscurat, ornatus non est, nec addit, sed aufert gratiam orationi. Quanquam alibi in eodem Epistolarum libro, ubi* mehercule, me dius fidius, Deos, *in re seria loquens, inducit; magis in hoc vitium impingat.*

§. 2.

N*On minora his illi Lipsius Epist. 61. ad Ianum Dousam exprobrat in historia Venetorum. Stilus, inquit est, quem reprehendo, supinus languidus, & affectata imitatiuncula fractus. Vt pueri pedes per delicias, malè ponunt, & imitari varias discunt. Sic iste, cum rectè scribere posset, maluit pravo elegantia studio flectere orationem enervare. Magnos viros illa atas sub magnanimo Leone tulit; sed quosdam in puerili illa haresi, ut religio illis esset scribere, aut dicere aliud, quàm à Cicerone scriptum aut dictum. Inter eos Bembus. Itaque universa scriptio composita & formata ad avum priscum: & omnia sic de re Veneta, quasi de potenti illa re Romana. Hoc fero. Etiamne verba*

ba

ba omnia, ex illorum moribus tracta ad hos nostros; & ubi ea desunt, nescio quid plurium ambitu dictum, quod assequi debeamus divinando? Hoc, ut mea quidem mens est, damno: & fallor, aut tu, & omnes viri meum. Ecce. Patres conscripti *semper venetorum Senatus ipsa venetia κατ' ἐξοχὴν* urbs, *anni numerati non à Christo nato: sed* ab urbe condita: *qui militia eorum præfectus ςιμιῶς ubiq;* Imperator. *Illa jam γιλαςα* Rex urbini, Rex Mantuæ, Rex Populoniæ, Rex Camertium. *Quid censes eum dicere? Duces. Saltem Regulos dixisset. Quale illud de Ludovico Gallorum Rege, quam Aloysium (magis ρωμαϊςὶ scilicet) ubique appellat? Quid, quod etiam in divinis rebus has sibi permittit? Et fides nostra non nisi* persuasio *illi est; Excommunicatio* aqua & igni interdictio. P*eccata morituro remittere*, Deos superos, manesque illi placare: *Ipse Deus rarò in stylo aut animo, sed prisco ritu* Dij immortales. *Atque adeo, quod omnem stultitiam superet, prudens ille Senatus Venetus ad Iulium Pontificem publicè scribit*, ut fidat Dijs immortalibus, quorum vicem gerit in terris. *Iam quæ periphrases in eo, & circuitus verborum? Senatus Venetus dono misit Aloysio Regi Gallorum.* Aquilas Sexaginta, ex earum genere quibus in aucupio uti Reges consueverunt. *Quid Aquilas? Ita Falcones tibi dicere religio est, qua tamen voce Iulius Firmicus usus: Accipitres igitur dixisses, verò magis, etsi minus augusto verbo. Scribis ibidem.* Donatas Regi pelles pretiosiores canis ab summo inter nigrum colorem conspersas, ducentas. *Quæ ista sunt? Genettas dicis, an potius Zebellinas? Quin, malùm, exprimis, & res novas novo aliquo nomine dicis? Si puritati sermonis tui metuis, adde,* ut vulgo dicimus: *nihil infuscas. At illud ambiguum etiam nunc me habet, quod Iulius Pontifex* Contareno, cum classem Hostiam adduxisset, vini Corsi carros sexdecim, boves sexdecim, hircos genitalibus defectis bis totidem dono misit. *Qui enim isti hirci? Maritine caprarum per delicias in Italia exsecantur; an vis dicere verueces O Crasse, O Heraclite, ridete. Quod si ad verba & phrases etiam, benigna hercules materia cavillorum. Ecce scribit,* velle se hominem suum Byzantium mittere. I*terum*, reip. hominem ad se missum, *quod nos diceremus Actorem, aut Legatum.* Turrim terream *appellat, propugnaculum sive aggerem è terra, quo exemplo?* Sūpti, tumulti, senati, *inflectit ad Plautinum avū, cum reliqua omnia mini..e antiquarij sermonis.* Neminem unam partem muni-

muniunt: *pro nullam: quia Ciceroni alibi, Nemo, de femina dictum* Prooppidum *sæpe, quod nos suburbium*: Prodominus, *qui vicedominus Venetis*: *itemque* Proimperator & proordines, *putidè ut sentio, aut novè.* Rebus suis veritus, *crebro & ad nauseam, pro timens aut diffidens, quia idem Cicero semel fortasse, vereor mihi.* Præfectos, qui se omnes, nec strenuè, nec amanter, eo bello gesserant, missos fecit, *sæpiusque & illud* amanter, *invitâ sane venere, amat.*

Hæc aliaque Lipsius, in laudatissimo ceteroquin Tullij imitatore, at nimia verborum phrasiumque religione quandoque aberranti, reprehendit ut intelligas, quanta etiam cautione vestigijs Ciceronis insistentibus opus sit; stultissimamque illam superstitionem esse, qui nihil, nisi à Cicerone usurpatum, sibi excidere patiumur. ut si unus ille sua rebus omnibus imposuerit nomina & non magis Orationis, totius habitus, quàm illa vocum elementa in Cicerone expendenda sint.

CAPUT XVII.

Exemplum historiæ Plinianum lib. 9. Ep. 33. & Salustianum de bello Catil. stylo circumscripto translatum. Plinius.

EST in Africa Hipponens Colonia, mari proxima adiacet, navigabile stagnum, ex hoc in modum fluminis æstuarium emergit, quod vice alterna, prout æstus, aut repressit, aut impulit, nunc infertur mari, nunc redditur stagno. Omnis hic ætas piscandi, navigandi atque etiam natandi studio tenetur, maximè pueri quos ocium ludusque solicitat. His gloria, & virtus altissimè provehi. Victor ille, qui longissimè, ut littus, ita simul nantes relinquit. Hoc certamine puer quidam audentior ceteris, in ulteriora tendebat: Delphinus occurrit, & nunc præcedere puerum, nunc sequi, nunc circuire, postremo subire, deponere: Iterum subire, trepidantemque perferre primum in altum, mox flectit ad littus, redditque terræ & æqualibus.

Serpit

Serpit per Coloniam fama, concurrêre omnes, ipsum puerum tanquam miraculum aspicere, interrogare, audire, narrare. Postero die obsident littus, prospectant mare, & si quid è mari simile, natant pueri, inter hos ille, sed cautius. Delphinus rursus ad tempus, rursus ad puerum, fugit ille cum ceteris. Delphinus, quasi invitet, revocet, exilit, mergitur, variosque orbes explicat, expeditque. Hoc altero die, hoc tertio, hoc pluribus. Donec homines innutritos mari subiret timendi pudor, accedunt & alludunt, & appellant, tangunt etiam pertrectantque præeuntem. Crescit audacia experimento maximè. Puer qui primus expertus est, adnatantis insilit tergo fertur, referturque. Agnoscunt se, ex mari puerum ille, è terra iste, neuter timet, neuter timetur. Hujus fiducia, mansuetudo illius augetur, nec non & alij pueri dextra lævaque simul eunt, hortantes monentesque, ne timeat. Id quoque mirum. Delphinus alius tantum spectator & comes, nihil enim simile aut faciebat, aut patiebatur: sed alterum illum ducebat reducebatque ut puerum ceteri pueri. Incredibile, tam verum tamen, quàm priora. Delphinum gestatoremque collusoremque puerorum in terram quoque extrahi solitum; harenisque sicatum, ubi incaluisset in mare revolvi. Constat Octavium Avitum legatum proconsulis in littus educto, religione prava superfudisse unguentum, cujus illum novitatem odoremque in altum refugisse, nec nisi post multos dies visum languidum & mœstum; mox redditis viribus, priorem lasciviam & solita ministeria repetisse. Confluebant ad spectaculum omnes Magistratus, quorum adventu & mora modica resp. novis sumptibus atterebatur. Postremò locus ipse quietum suum secretumque perdebat. Placuit occulrè interfici ad quod coibatur.

Hæc Plinius diserta strictaque, ut solet, scribendi elegantia. Ingressus historiæ sat plena circumscriptaque dictione fluit. illic verò ubi Delphini occurrentis celeres motus flexusque inflexa quoque oratione exprimit, aptè inciditur. Reliqua plenioribus sic licebit me a. bris periodisque includere.

Quæ ut primum per Coloniam fama spargitur, concurrunt omnes, ipsumque, tanquam miraculum aliquod puerum circumsistunt, intuentur, interrogant, audiunt. Die postero, ejusdem spectaculi exspectatione, natantium puerorum agmina frequens multitudo ex littore observat. Nec tempo-

tempori pueroque eodem effuso Delphinos obsequenter adnatans defuit. Verum ille ejusmodi officiorum insolentia territus, cum sociis sese in fugam vertit; dum interea Delphinus, tanquam blandus invitator, ludo atque agitatione varia, ad obsequium amoremq; composita, revocare fugientes ac retinere secum adniteretur. Hac ultro citroque provocandi fugiendique ludificatione extracti dies aliquot: dum nonnullos mari innutritos pudor subiit graviora metuendi, qui deinde allapsi, cum appellant, colludunt, tangunt, pertra ctantque præeuntem, innoxia ludendi experimento hausere audaciam. Atq; imprimis puer ante vecturam expertus, tergo insilit adnatantis, illæsusque fertur in altum, atque ad littus refertur. Consuetudine huius fiducia atque illius mansuetudo augetur. Iamque eo familiaritas processerat, ut Delphinus ex mari puerum, puer ex litore Delphinum agnosceret, neuter alterum formidaret. Comitatus etiam utrinque auctus: nam & pueri adnantes, & Delphinus alter, velut spectator, vectoris vectique lateribus adhærebant: neque tamen, aut paria illi audebant, aut hic etiam patiebatur &c.

Vides in hac oratione plus dignitatis ponderisque reperiri, ac sæpe per levi inflexionis momento, totius habitum dictionis mutari. Ita in Salustio nonnihil extollendo, flore orationis retento, utilissimo labore studiosus eloquentiæ desudabit. vertamus oratiunculam illam, qua supra, in stylo conciso, suos Catilina ad decretorium prælium animavit,

Compertum ego milites habeo, nullius Imperatoris tantam in dicendo vim, tantamque in persuadendo facultatem reperiri, quæ ex ignavo strenuum, ex imbecillo fortem, ex timido generosum audacemque possit exercitum suscitare. Viris ad magna quæque natis sola verborum lenocinia virtutem non addiderint; quod natura moribusque consilij, atque audaciæ cuique est insitum, hoc potissimum in extremo bellorum discrimine solet eminere. Hunc nequicquam stimulaveris. cui ingenium, neque dignum gloriæ calcar, neque justum periculorum sensum subjecerit. Timor omnem generosæ cogitationis vim elidit. Vos tamen ut hortando & nonnulla communefacerem, & consilij mei aperirem rationes, in hanc concionem advocavi.

Scitis profectò milites, quantam ipsi Lentulo, quantam nobis cladem ipsius socordia, atque ignavia attulerit, quæque me ratio, dum ex urbe præsidia opperior, cogitantem jam dum in Gallias, frustraque omnia pro nostræ salutis securitate molientem, remorata sit. Quo verò nunc in loco res nostræ sint, juxta mecum omnes intelligitis. Duplex hostium exercitus, alter ab urbe, alter à Gallia in nostram perniciem intentus objicitur. Diutius in his locis versari, si maximè animus ferat, commeatus aliarumque rerum ad vitam necessariarum inopia prohibet, castra aliò transferenda sunt, ferro iter est aperiendum. Quapropter forti vos, instructoque adversus fortunam omnem, animo esse cupiam, & si prælio decernendum sit meminisse, vos omnes opes vestras, omne decus, omnem gloriam, libertatemque atque ipsam adeo patriam, vestris in manibus, atque armis suspensam circumferre: Vnius victoriæ præsidio hæc nobis universa parata sunt, commeatus suppetet, municipia ac Coloniæ patebunt. &c.]

En ut modica, vel connexione, vel inflexione, vel etiam adjectione membrorum, ad Tullianos ejusmodi oratio numeros circumscriptionemque potest aptari. Cætera quæ in eadem exhortatione Salustiana sequuntur, tam levi momento traduci possunt, ut repetere penè eadem operæ pretium non duxerim. Magis tamen figuris hæc eadem Tullianis excitare ac majori eloquentiæ vi inflammare poteris. Quid si enim hoc pacto suos Catilina animaret.

[Quid agimus, commilitones fortissimi, Tantamne quantam nobis Lentuli socordia atque ignavia cladem attulit, nostra etiam cunctatione ac desidia cumulabimus? Duo nos circumsident exercitus hostium, alter ab urbe, alter à Gallia inter montium angustias velut captivos constringit, an hæc desides atque inulti patiemur, ut fame denique ac rerum necessariarum inopia sine hoste, sine ferro, sine vulnere trucidemur, & de nobis canant victoriam, qui nostra nunquam arma senserint? Non ita, aut illis vincendum, aut nobis pereundum est. Majora mihi & vestra virtus & paratus ad pugnam animus pollicetur. &c.] His enim interrogationibus non parum incitatur oratio, altiorique animum cogitatione defigit, ut Catilina expertus est,

quando

quando illo Tulliano fulmine in senatu perstrictus exilium maluit, quam illam oratoris vehementiam sustinere.

CAPUT XVIII.

De Styli arguti natura & indole.

AD *tertium celebrioris Styli genus accedimus, quod argutæ dictionis vi nervoque lectorem auditoremve excitat. De cujus inventione cum singulari opere prolixè disseruerim, in quo fontes acutæ cujusvis, seu ligatæ, seu liberæ dictionis aperui, nihil hic lubet repetere. Hoc universim suffecerit, observasse lectorem, quod ad aliquam argutè acutèque disserendi facultatem parandam & copiam, necesse sit ad opposita atque illi, de qua disseris, rei adversantia cogitationem transferre, ac rationem aliquam eruere, cur hæc de eadem asseras tribuasque, quæ communi sensu minimè tribuenda viderentur: aut certè neges de re, quæ illi familiaria, atque ex vulgi usu maximè propria, judicantur. His enim potissimum exspectatio auditorum aut fallitur aut superatur rei enuntiatæ raritate. Nec quicquam mentem altius figit penetratque, quàm inopinata sententia, velut ex occulto producta veritas. Verum nobis nunc de stylo magis, & eloquendi, quam inveniendi ratione suscepta dissertatio est. Magna enim in hoc genus scribendi invecta à quibusdam corruptio est, quæ affectato quodam aculeatæ dictionis studio, penè omnes infercit periodos, & quod ad oblectationem solam & delicitas quasdam orationis magis, quam robur ac vim persuadendi natum est, hoc ipso eandem obruit infringitque. Vt enim melle, aut aceto, immoderatius affuso, ciborum vigor saporque opprimitur; ita iisdem condimentis, quibus temperatè adhibitis sapit oratio, intemperanter usurpatis, subitò desipit, & venenum esse incipit, quod poterat esse antidotum. Nemo disserit sine studio persuadendæ veritatis, hæc autem nuda rectius, quàm fracta nimium dictio-*

nis aculeis deliciisque occultata proponitur. Vbi in oculos sese illa intulerit, tum eidem venustè decenterque alludere, quosdam in adversarios detorquere aculeos gratiam merebitur. Cavendum itaque, ne vel crebris nimium argutiis, vel certè obscuris, mens lectoris auditorisve defigatur ac hæreat: ne res tenuis nulliusque ornamentis digna his temere excolantur. 3. ne frigidis parumque nervosis, ac velut infantilibus pupis, crepundiisque ludatur. Sint acumina sali piperique non fatuo, tenuiterque asperso simillima, condiant cibum, non exasperent. Sed exemplis res verius docebitur.

§. 2.

De Stylo epistolari arguto Plinij Sec. exemplum lib.8. Ep.14.

1. PRiorum temporum servitus, ut aliarum optimarum artium, sic etiam juris senatorij oblivionem quandam, & ignorationem induxit. Quotus enim quisque tam patiens, ut velit discere, quod in usu non sit habiturus. Adde quod difficile est tenere, quæ acceperis, nisi exerceas.

2. Itaque inducta libertas rudes nos & imperitos deprehendit, cujus dulcedine accensi cogimur quædam facere, antequam nosse.

3. Erat autem antiquitus institutum, ut à majoribus natu non auribus modò, verum etiam oculis disceremus, quæ facienda mox ipsi, ac per vices quasdam tradenda minoribus, haberemus.

4. Inde adolescentuli statim castrensibus stipendijs imbuebantur, ut imperare parendo, duces agere, dum sequuntur, adsuescerent.

5. Inde honores petituri adsistebant curiæ foribus, & consilij publici spectatores, antequam consortes erant.

6. Suus cuique parens pro magistro, cui parens non erat; maximus quisque & vetustissimus: quæ potestas referentibus, quod censentibus jus, quæ vis magistratibus, quæ ceteris libertas, ubi cedendum, ubi resistendum, quod silentij tempus, quis dicendi modus, &c.

7. At nos iuvenes fuimus quidem in castris, sed cum suspecta

pecta virus, inertia in pretio, cum ducibus autoritas nulla, nulla militibus verecundia, nusquam imperium, nusquam obsequium, omnia soluta, turbata, atque etiam in contrarium versa, postremò obliviscenda magis, quam tenenda.

8. Iidem prospeximus curiam, sed curiam trepidam, & elinguem, cum dicere quod velles periculosum, quod nolles, miserum esset.

§. 2.

Et lib. 4. De Regulo improbo homine parum syncerè filium mortuum lugente, sic habet stylo magis conciso.

9. REgulus filium amisit, hoc uno malo indignus, quòd nescio an malum putet. Erat puer acris ingenii; sed ambigui, qui tamen posset recta sectari, si patrem non referret.

10. Hunc Regulus emancipavit, ut heres matris existeret, mancipatum (ita vulgo ex moribus hominis loquebantur) fœda & insolita parentibus indulgentiæ simulatione captabat.

11. Incredibile est, sed Regulum cogita.

12. Amissum tamen luget insanè. Habebat puer manulos & vinctos, & solutos: habebat canes majores minoresque: habebat Luscinias, psittacos, merulas: omnes Regulus circa rogum trucidavit, nec dolor ille erat, sed ostentatio doloris.

13. Convenitur ad eum mira celebritate. Cuncti detestantur, oderunt, & quasi probent, quasi diligant, cursant frequentant. Utque breviter, quod sentio, enuntiem, in Regulo demerendo Regulum imitantur.

14. Tenet se trans Tiberim in hortis, in quibus latissimum solum porticibus immensis, ripam statuis suis occupavit; ut est in summa avaritia sumptuosus, in summa infamia gloriosus.

15. Vexat ergo civitatem in saluberrimo tempore, & quod vexat solatium putat.

16. Dicit se velle ducere uxorem, hoc quoque sicut alia perversè, audies brevi nuptias lugentis, nuptias senis: quorum alterum immaturum, alterum serum est.

 17. Vn-

17. Vnde hæc augurer, quæris? non quia affirmat ipse quo nihil mendacius est? sed quia certum est Regulum esse facturum, quidquid fieri non oportet. Vale.

§. 3.

HÆc ea moderatione argutiarum tractata sunt, ut reprehensionem non mereantur, legentem teneant, & subtili iucundaque expositione oblectent. Eminere verò hos magis in concisa dictione, quàm circumscripta aculeos, facilè observabis, nimius enim orationis ornatus illos obruit, & seipsis, citra hunc apparatum, emicant. In prima epistola lucent rarius, densius in altera, magis etiam favente materia: neque enim ubique par omnibus locus.

Rursum videbis in eo universim totam penè consistere argutè scribendi inventionem, artificiumque; ut vel affirmes de re, quod ab ea vulgò existimatur alienum; vel quod eidem, ut proprium, tribuitur, hoc ipsi deneges. Quid tam alienum, quam aliquem parendo imperare *n.* 4. inertiam in pretio esse *n.* 7. curiam elinguem, *n.* 8. in avaritia esse sumptuosum, in infamia gloriosum. *n.* 14. nubere lugentem ac senem? *n.* 16.

Ceterum ex oppositione, & hæc, & alia gratiam mutuantur. Ut facere antequam nosse, *n.* 2. *tam* velle periculosum, quam nolle miserum esse. *n.* 8. *eundem &* emancipatum, & mancipatum esse. *n.* 10. Facere quidquid fieri non oportet *n.* 17.

Horum tantò major venustas ac gratia, quod neque orationem obscurent, neque rebus indignis frivolisque adhibeantur, nec denique frigida ac puerili id rerum interpretatione fiat, qua supra in hoc genere scribendi cavenda esse, tanquam vitia maximè infesta, monuimus.

CAPUT

CAPUT XIX.

De Stylo Historicorum arguto.

DUplici potissimum scribendi genere hunc stylum historici complexi sunt: aut ipsum historiæ planioris filum argutiis quibusdam sententijs, tanquam gemmis floribusve, interpolando: aut quandam historiæ longioris summam compendiò in sententias aliquot digerendo, quæ suum aliquem ab acumine dicendi, quò altius animis insiderent, ornatum traherent. quales ferè sunt epigrapha defunctorum sepulchris, aut etiam triumphalibus monumentis, tabulisque publicis, sive ad laudem, sive ad reprahensionem adhibita. De his in Argutiis actum fusius, nunc breviter utriusque scriptionis exempla contemplemur. A priori specie exemplum supra in Stylo conciso ex Salustio recitatum parum abest, quædam etiam in stylo circumscripto notata ex Curtio. Hic tamen Valerium Maximum cum egregia scribendi virtute sua etiam confundentem vitia, sed cultiori tamen ex loco differentem, audiemus. Amat ille eiusmodi aculeos, sed quandoque invitâ Venere adscitos, magis hac gratia quandoque placiturus, nisi sibi in ijs nimium placere visus esset.

§. I.

Valerius Maximus lib. 8. De studio & industria.

1. QVid cesso vires industriæ commemorare, cujus alacri spiritu militiæ stipendia roborantur, forensis gloria accenditur, fido sinu cuncta studia accepta nutriuntur. Quidquid animo, quidquid manu, quidquid lingua admirabile est, ad cumulum laudis perducitur &c.

2. Cato minor ita doctrinæ cupiditate flagravit, ut ne in curia quidem, dum senatus cogitur, temperaret sibi, quo

minus libros Græcos lectitaret : qua quidem industria ostendit, alijs tempora deesse, alios temporibus superesse.

3. Terentius autem Varro humanæ vitæ exemplum ætatisque spacium nominandus: non annis, quibus seculi tempus æquavit, quam stylo vivacior fuit. In eodem enim lecto, & spiritus ejus, & egregiorum operum cursus extinctus est.

4. Consimilis, perseverantiæ Livius Drusus, qui ætatis viribus, & acie oculorum defectus, jus civile populo benignissimè interpretatus est; utilissimaque discere id cupientibus monumenta composuit. Nam ut senem illum natura, cæcum fortuna facere potuit: ita neutra interpellare valuit, ne non animo & viveret, & videret.

5. Demosthenes cum inter initia juventæ, artis quam affectabat, primam literam dicere non posset, oris sui vitium tanto studio expugnavit, ut ea à nullo expressius efferretur. Deinde, propter nimiam exilitatem, acerbam auditu vocem suam, exercitatione continua, ad maturum & gratum auribus sonum perduxit. Lateris etiam firmitate defectus, quas corporis habitus vires negaverat, à labore mutuatus est.

6. Multos enim versus uno spiritu cōplectebatur, eosque adversa loca celeri scandens gradu, pronuntiabat. Ac vadosis litoribus insistens, declamationes, fluctuum fragoribus obluctantibus, edebat: ut, ad fremitus, concitatarum concionum, patientia duratis auribus uteretur. Fertur quoque, ore insertis calculis, multum ac diu loqui solitus, quo vacuū promptius esset & resolutius. Præliatus est contra rerum naturam, & quidem victor abijt, magnitatem ejus pertinacissimo animi robore superando. Itaque alterum Demosthenem mater, alterum industria enixa est.

7. Archimedis quoque fructuosam industriam fuisse dicerem, nisi eadem illi & dedisset vitam, & abstulisset.

8. Captis enim Syracusis, Marcellus machinationibus ejus multum ac diu victoriam suam inhibitam senserat; eximia tamen hominis prudentia delectatus, ut capiti ejus parceretur, edixit, penè tantum gloriæ in Archimede servato, quantum in Syracusis captis reponens.

9. Atris dum animo & oculis in terram defixis formas describit, militi, qui prædandi gratia domum irruperat,

rat, strictoque super caput gladio, quisnam esset? interrogabat, propter nimiam cupiditatem investigandi quod quærebat, nomen suum indicare non potuit; sed protecto manibus pulvere. Noli, inquit, obsecro istum disturbare. Ac perinde quasi negligens imperii victoris, obtruncatus sanguine suo artis suæ lineamenta confudit. Quò accidit, ut propter idem studium modò donaretur vita, modò spoliaretur.

10. Iam Solon quanta industria flagraverit, & versibus complexus est, quibus significat, se quotidiè aliquid addiscentem senescere: & supremo vitæ die confirmavit, cum assidentibus amicis, & quadam de re sermonem inter se conferentibus, satis jam pressum caput erigeret. Interrogatusque quapropter id fecisset? respondit: Vt dum istud, quidquid id est, de quo jam disputatis percepero, moriar. Migrasset profectò ex hominibus inertia, si eo animo vitam ingrederemur, quo eam Solon egressus est.

Hac laudem pleraque merentur, ingeniique non vulgaris est, factum aliquod celebre in historiis arguto animis epiphonemate affigere. Sed tamen affectati nimium otiosique, aut etiam frigidi obscurique acuminis labes devitanda est. Qualem num. 9. Valerius non subterfugit, dum idem quod n. 7. dictum, supervacua subtilitate revocavit, ceterùm plerosque numeros non importuna argutia conclusit. Sed *nec illud, eodem cap. vi quadam accersitum laudare possum, quod de Socrate sub finem vita musicam discente, subjicit.* Ergo, dum ad discendum semper se pauperem credidit, ad docendum fecit se locupletissimum. *Sic nec ubique purus, aut sanus sermo: nolim enim o. c. cum eodem illic dicere.* Virtutem duramento sui confirmat: *nolim scribere*: Terentius Varro, humanæ ætatis spacium nominandus. S*imilia qui noverit cavere. Valerium utiliter ad exacuendam dictionem legerit. Sed alium stylo magis expolito suos etiam miscentem aculeata dictionis flores audiamus.*

❧ (***) ❧

§. 2.

C. Velleius Paterculus lib. 2. histor. sub finem de Cæsare Tiberio & Seiano Præfecto.

1. SAcravit parentem suum Cæsar non imperio, sed religione; non appellavit eum, fecit Deum. Revocata in forum fides, summota è foro seditio, ambitio campo, discordia curiâ: sepultæq; ac situ obsitæ, justitia, æquitas, industria, civitati redditæ. Accessit magistratibus autoritas, senatui majestas, judiciis gravitas; compressa theatralis seditio: rectè faciendi omnibus aut incussa voluntas, aut imposita necessitas.

2. Honorantur recta, prava puniuntur; suscipit potentem humilis, non timet: antecedit, non contemnit humiliorem potens.

3. Fortuita non civium tantummodo, sed urbium damna Principis munificentia vindicat. Pœna in malos sera, sed aliqua; superatur æquitate gratia, ambitio virtute. Nam facere rectè cives suos Princeps optimus faciendo docet; cumque sit imperio maximus, exemplo major est.

4. Rarò eminentes viri non magnis adjutoribus ad gubernandam fortunã suam usi sunt, ut duo Scipiones duobus Læliis, quos per omnia æquaverunt sibi, ut D. Augustus M. Agrippa, & maximè ab eo Statilio Tauro. Quibus novitas familiæ haud obstitit, quo minus ad multiplices consulatus triumphosque & complura eniterentur sacerdotia. Etenim magna negotia magnis adjutoribus egent. Interestque Reip. quod usu necessarium, & dignitate eminere, utilitatemque autoritate muniri.

5. Sub his exemplis Tiberius Cæsar Seianum Ælium principe equestris ordinis patre natum, materno verò genere clarissimas, veteresque & insignes honoribus complexum familias, habentem consulares fratres, consobrinos avunculum, ipsum verò laboris ac fidei capacissimum, sufficienti etiam vigore animi, compage corporis, singularem principalium onerum adjutorem, in omnia habuit, ac habet; virum severitatis lætissimæ, hilaritatis priscæ, actu otiosis simillimum: nihil sibi vindicantem, eoque assequentem omnia; semper infra aliorum æstimationes

tiones

tiones se metientem, vultu vitaque tanquillum, animo exsomnem.

6. In hujus virtutum æstimatione jam pridem iudicia civitatis cum judiciis Principis certant. Neque novus hic mos senatus populique Romani est, putandi quod optimum sit, esse nobilissimum. Et qui C. Marium ignotæ originis usque ad sextum consulatum sine dubitatione Romani nominis habuere principem, & qui M. Fulvio tantum tribuêre, ut penè assentatione sua quibus vellet principatus conciliaret; quique nihil Asinio Pollioni negaverunt, quod nobilissimis summo cum sudore consequendum foret, profectò hoc idem senserunt, in cujuscunque animo virtus inesset, ei plurimum esse tribuendum.

7. At Tiberius, quoties populum congiariis honoravit, senatorumque censum, cum id senatu autore facere potuit, quam libenter explevit; ut neque luxuriam invitaret, neque honestam paupertatem pateretur dignitate destitui?

8. Quantæ molis bellum Principe Galliarum ciente Sacroviro Floroq; Iulio mira celeritate ac virtute compressit? ut ante populus Rom. vicisse se, quàm bellare cognosceret, nunciosque periculi victoriæ præcederet nuncius.

9. Veniendum ad erubescenda. Quantis hoc triennium, M. Vinici, doloribus laceravit animum ejus? quamdiu abstruso, quod miserrimum est pectus ejus flagravit incendio, quod ex nuru, quod ex nepote, dolere, indignari, erubescere coactus est? cujus temporis ægritudinem auxit amissa mater eminentissima, & per omnia Deis, quàm hominibus similior femina; cujus potentiam nemo sensit, nisi aut levatione periculi, aut accessione dignitatis.

Cultissima hujus autoris dictio, in paucioribus quàm illa Valerii offendit, sed tamen offendit nonnunquam, & suas etiã labes elegantissimæ admiscet Musarum purpuræ. Hic oratori panegyrico, quàm historico propior est, & quasdã nimio producit ambitu periodos, quod nec alibi vitiũ satis declinat, præsertim ubi in longas parentheses multa conjecit, his vinculis eximenda. Nonnunquã sententias aut addensat obscurius, aut præcipitato amputatóve repentè numero abrumpit: neq; tã historiã, quã ejus quoddã compendiũ proponit. Dignus qui Curtio adjũgatur. cui ut in vitiis quibusdã cedit, ita & in nonnullis styli virtutib. est antefteren-

ferendus. Suavissima moderatione omnem ab acutè dictis affectationẽ submovet. Quam enim aptè simul argutèque de Principe demisso dictum: antecedit, non contemnit humiliorem, *n.*2. rectè facere suos Princeps optimus faciendo docet. *n.*3. *de moderatè severo*, Vir severitatis lætissimæ *n.*5. *de modesto*, nihil sibi vindicantem assequi omnia, *ib. De liberali in pauperes*; nec luxuriam invitavit, nec honestam paupertatem dignitate destitui passus est. *n.* 7. *De victore.* Nuntios periculi victoriæ nuncius prævertit. *n.* 8. *de clemente & liberali*, cujus potentiam nemo sensit, nisi aut levatione periculi, aut accessione dignitatis. *n.*9. *Quæ quam in Tiberio vera sint, hic non examino; hoc tantùm assero, quod universa magno pondere sententiarum argutè librentur.*

§. 3.

D*E Epigraphis cum alibi tractatum fusius, hic unam suffecerit adjungere, ut, quâ illa potissimum virtute emineant, intelligas. In his veterum pauca nobis relicta sunt, quæ recentiorum studia assequantur; recentioribus verò nimia affectatio placere visa est. Emanuel Thesaurus, Franciscus Remondus, & I. Baptista Masculus hoc scribendi genere inprimis eminent: quanquam frigidæ affectationis, atque obscuritatis vitium non omnes evitarint. Ceterum argutæ subtilitate admirandi. dignique qui ad illam aspirantibus, cum illius offensionis devitatione, legantur. Unum Masculi satis, de Salomone per Voluptatem in senio delirante, cultum est. In reliquis ad meas Argutias, secundæ præsertim editionis, quam paro, remitto.*

Salomonis elogium.

Hæret animus decora inter & probra.
Legitimam complexus es Sponsam Sapientiam,
Voluptas de sede & statu dimovit.
Cordatum fecit excordem.
Studiosus pacis abstinuisti gladio, quanquã eo semel usus,
Cum de una prole duæ disceptarent Matres,
anticipem nondum ancipiti ferro dirimens,
difficilem nodum solvere aggressus es gladio:
non adhibito, sed intento,
vel hoc Macedonum Rege major.

A pace sortitus es nomen.
Sed cum alius deesset hostis, tu tibi ipse fuisti.
Gemuit Sapientia, cum sapientissimum vidit desipere.
Exorsus à Libani Cedro disserere, Cedro digna scripsisti:
Sed immani corruisti radicitus casu. (neri.
Post tot heca tombas, & vota, te victimam devovisti; sed Ve-
Vbi jam refrixetas senio, deflagrasti Cupidine.
Cum multiplicasti cantatrices & psaltrias,
auxisti Sapientiæ luctum,
Frustra solium fabricatus ex ebore es candido:
pulcher in throno, turpis in toro. (degener.
Effinxisti ad soli decus leones, sed inter generosas belluas
Pater à Leonibus eripuit vitam,
Te filium prædatæ sunt Lupæ.

Vides hic magis densari acumina, & velut in aciem collocata digeri, ac soluti quodammodo Epigrammatis adire vices. Singula ita oculis subjecta sunt, expositione alia non indigeant.

CAPUT XX.

Styli Oratorii arguti exemplum è Plinii panegyrica.

Adoptatio Trajani Cæsaris ab Imperatore Nerva, ob Virtutes Trajani, præfertur hæreditariæ successioni, & variis titulis argutè extollitur.

1. *Quia ad magnam Reip. utilitatem assumptus est.*
2. *Quia non cognationis, sed virtutis intuitu.*
3. *Quia Deorum ope ad quos Nerva confugit factum, ut Trajano electo statuo tumultus exortus quieverit.*
4. *Quia & Imperatoris & populi voluntate postulatus paruit.*
5. *Quia modestè imperio usus est. Vt Nerva nihil divinius fecisse visus sit. Plin. in pan. mihi p. 6.*

1. EXpectatum est tempus, quo liqueret, *non tam accepisse te beneficium, quam dedisset.* Confugit in sinum tuum

tuum concessa Resp. ruensque imperium super Imperatorem, Imperatoris tibi voce delatum est. Imploratus adoptione, & accitus es. Vt olim duces magni à peregrinis, externisque bellis ad opem patriæ ferendam revocari solebant; ita *filius ac parens, uno eodemque momento, rem maximam invicem præstitistis*: *ille tibi imperium dedit, tu illi reddidisti*. Solus ergo adhuc, cui *pro munere tanto paria accipiendo fecisti, imò ultra dantem obligasti*: communicato enim imperio sollicitor tu, ille securior factus est. O novum, atque inauditum ad principatum iter, *non te propria cupiditas, proprius metus, sed aliena utilitas, alienus timor Principem fecit*. Videaris licet, quod est amplissimum, consecutus inter homines: felicius tamen erat illud, quod reliquisti, sub bono principe privatus esse desiisti: assumptus es in laborum, curarumque consortium, *nec te læta, & prospera stationis istius; sed aspera, & dura ad capessendam eam compulerunt*. Suscepisti imperium, postquam alium suscepti pœnitebat.

2. Nulla adoptati cum eo, qui adoptabas cognatio, nulla necessitudo, nisi quod *uterque optimus erat, dignusque alter eligi, alter eligere*. Itaque adoptus es, non, ut prius, alius, atque alius, in uxoris gratiam. Adscivit enim te filium non vitricus, sed princeps: eodemque animo Divus Nerva pater tuus factus est, quo erat omnium. Nec decet aliter filium adsumi, si adsumatur à Principe. An S.P.Q. Romani exercitus, provincias, socios transmissurus uni, successorem è sinu uxoris accipias? summæque potestatis heredem tantum intra domum tuam quæras, non per totam civitatem circumferas oculos? & hunc tibi proximum, hunc conjunctissimum existimes, quem optimum, quem Diis simillimum inveneris? *Imperaturus omnibus, eligi debet ex omnibus*. Non enim servulis tuis Dominum (ut possis esse contentus, quasi necessario herede) sed Principem civibus daturus es Imperator. Superbum istud, & regium, a nisi adoptes eum, quem constet imperaturum fuisse, etiamsi non adoptasses. Fecit hoc Nerva; *nihil interesse arbitratus, genueris, an elegeris; si perinde sine judicio adoptentur liberi, ac nascuntur*: nisi tamen quòd æquiore animo ferunt homines, quem princeps parum feliciter genuit, quàm quem malè elegit.

3. Se-

a *Regum more factum, qui ex se natos præficiunt.*

3. Sedulò ergo vitavit hunc casum: nec judicium hominum, sed Deorum etiam in consilium adsumpsit. Itaq; non tua in cubiculo, sed in templo, nec ante genialem thorum, sed ante pulvinar Iovis optimi maximi adoptio peracta est: quâ tandem non servitus nostra, sed libertas & salus, & securitas fundabatur. Sibi enim Dii immortales gloriam illam vendicaverunt: horum opus, horum illud imperium, Nerva tantùm minister fuit. *Vterque, qui adoptaret tam paruit, quam tu adoptabaris.* Allata erat ex Panonia laurea, id agentibus Diis, ut invicti Imperatoris exortum victoriæ insigne decoret. Hanc Imperator Nerva in gremio Iovis collocarat, cum repentè solito major, & angustior, advocata hominum concione Deorumque, te filium sibi, hoc est, unicum auxilium fessis rebus adsumpsit. Inde quasi deposito Imperio, quâ securitate, qua gloria lætus? (nam quantulum refert, deponas, an partiaris imperium; nisi quod difficilius hoc est) non secus, ac præsenti tibi innixus, *tuis humeris se, patriamque sustentans, tua juventa, tuo robore invaluit*; statimque consedit omnis tumultus. Non adoptionis opus istud, sed adoptati fuit. Atque adeò temere fecerat Nerva, si adoptasset alium. Oblitine sumus, ut nuper post adoptionem non desierit seditio, sed cœperit? irritamentum istud irarum, & fax tumultus fuisset, nisi incidisset in te.

4. An dubium est? *ut dare posset imperium Imperator, qui reverentiam amiserat, autoritate ejus effectum est, cui dabatur.* Simul filius, Cæsar, mox Imperator, & consors tribunitiæ potestatis, & omnia pariter, & statim factus es, quæ proximè parens verus tantum in alterum filium contulit. Magnum hoc tuæ moderationis indicium; quod non solum successor Imperii, sed particeps etiam, sociusque placuisti: nam *successor etiam si nolis habendus est, non est habendus socius, nisi velis.* Credentne posteri patritio & consulari, & triumphali parte genitum, cum fortissimum, amplissimum, amantissimum sui exercitum regeret, imperatorem non ab exercitu factum? eidem cum Germaniæ præsideret, Germanici nomen hinc missum? nihil ipsum, ut Imp. fieret, agitasse? nihil fecisse, nisi quod meruit, & paruit. P*aruisti* enim *Cæsar, & ad principatum obsequio pervenisti, nihilq; magis à te subjecti animo factū est*,

est, quàm quod imperare cœpisti. Iam Cæsar, Iam imperator, jam Germanicus absens,& ignarus: &,post tanta nomina, quantum ad te pertinet, privatus. Magnum videretur, si dicerem,nescisti te imperatorem futurum. *Eras Imperator, & esse te nesciebas.* Vt verò ad te fortunæ tuæ nuncius venit, malebas quidem hoc esse quod fueras, sed non erat liberum. An non obsequeris Principi civis, legatus Imperatori, filius patri? Vbi deinde disciplina? ubi mos à majoribus traditus, quodcunque Imperator munus injungeret, æquo animo paratoque subeundi? quid enim si provincias ex provinciis, ex bellis bella mandaret? eodem illo uti jure posse putes,cum ad imperium revocaret, quo sit usus,cum ad exercitum miserit? nihilque interesse ire legatum,an redire Principem jubeat,nisi quod *major* sit *obsequii gloria in eo, quod quis minus velit? Augebat autoritatem jubentis, in summum discrimen autoritas ejus adducta; utq; magis parendum imperanti putares,efficiebatur eò,quòd ab aliis minus parebatur.* Ad hoc audiebas Senatus, populique consensum. Non unius Nervæ judicium illud, illa electio fuit: nam qui ubique sunt homines,hoc idem votis expetebant. Ille tantum jure Principis occupavit,primusque fecit,quod omnes facturi erant. *Nec* hercule *tantopere* cunctis *factum placeret, nisi placuisset ante quàm fieret.*

5. At quo temperamento, Dii boni,potestatem tuam, fortunamque moderatus es Imperator? Tu titulis & imaginibus, & signis: cæterùm modestia, labore, vigilantia, dux, & legatus, & miles, cum jam tua vexilla, tuas aquilas magno gradu anteires: neque aliud tibi ex illa adoptione, quam filii pietatem, filii obsequium adsereres, longamque nomini ætatem longamque gloriam precarere, jam te providentia Deorum primum in locum provexerat, tu adhuc in secundo resistere, atque etiam senescere optabas. Privatus tibi videbaris, quamdiu Imperator & alius esset. Audita sunt vota tua, sed in quantum optimo illi, & sanctissimo seni utile fuit: quem *Dii cœlo vindicaverunt, ne quid post illud divinum, & immortale factum, mortale faceret.* Deberi quippe maximo operi hanc venerationem, ut novissimum esset, autoremque eius statim consecrandum. *ut* quandoque inter posteros *quæreretur, an illud jam Deus fecisset*? Ita ille *nullo magis nomine publicus parens, quàm quia tuus:*

tuus: ingens gloria, ingensque fama, cum abundè expertus esset, quam benè humeris tuis sederet imperium, *tibi tertius, te terris reliquit, eo ipso charus omnibus, at desiderandus; quòd prospexerat, ne desideraretur.*

Audis, quanta sententiarum gratiâ hi aculei vibrentur; velut illustres è sole radii totum orationis corpus pulchro lumine perfundunt. Repetere non lubuit, sed diversis plerumque signare literis, ut altius penetrentur, oculosque minus eruditorum in se convertant. Ex oppositis. factorum, rerum, personarumque. atque etiam adjunctorũ, vides passim aliquid præter exspectationem erui, animoque audientis defigi. Sequere, quà licet, hæc subtilioris ingenij vestigia; at cave offensiones, quæ altiora consectantibus sunt ubique probiores. Satis densa hæc aculeorum in oratione silva, si quam apud nonnullos reprehensionẽ incurrat, fortè sua mereatur frequentia. Quod tam crebris obruatur, ac cedat denique fatigata auditoris attentio, ideoque voluptatis loco tædium creetur. Magis illud in Seneca *Rhetore, suis in controversis, his perpetuo lusibus adhærenti metuendum est. Magnopere tamen ad exacuendum ingenium stylumque faciet, si quis cum delectu ex ipsis depromat, vel suasoriis, vel controversiis multa cum sale atque acrimonia argutè pronuntiata.*

CAPUT XXI.

Vitia hujus styli cum virtutibus in exemplo proponuntur.

M. Annæus Seneca Rhetor libro Suasoriarum. Suas. 6.

Deliberat Cicero, an Antonium hostem suum victorem, contra quem Philippicas vel dixerat, vel scripserat, deprecetur?

Q. Haterius, negat Ciceronem debere Antonio supplicem fieri.

1. SCiant posteri *potuisse Antonio servire Remp. non potuisse Ciceronem.* Laudandus tibi erit Antonius. In hac causa

etiam Ciceroni verba deficient. Crede mihi, cum diligenter cuſtodieris, *faciet* tamen *Antonius, quod Cicero tacere non poſſit*. Si intelligiris Cicero, *non dicit* (Antonius) *roga, ut vivas; ſed roga, ut ſervias*. Intrare ſenatum voles, in quo non Cn. Pompeium viſurus es, non M. Catonem, non Lucullos, non Hortenſium, non Lentulum atque Marcellum, non tuos inquam Conſules Hircium & Panſam: Cicero, quid in alieno ſeculo tibi? jam noſtra peracta ſunt. M. Cato ſolus maximum vivendi moriendiq; exemplum, mori maluit, quam rogare.

2. *Porcius Latro idem tuetur*. Ergo (*ait*) *loquitur Imperator Cicero, ut non timeat Antonius*: *loquatur unquam Antonius, ut Cicero timeat*? Civilis ſanguinis Syllana ſitis in civitatem redit, conſularia capita auro reprehenduntur. Tuis verbis, ô Cicero, utendum eſt, ô tempora, ô mores! Videbis ardentes crudelitate ac ſuperbia oculos, videbis illum non hominis, ſed belli civilis vultum, videbis illam corporis totius gladiatoriam firmitatem, videbis illum pro tribunali loco quem Magiſter equitum (cui ructare turpe erat) vomitu fædaverat: ſupplex accides genibus, deprecaberis, & ore, cui ſe debet ſalus publica humilia in adulationem verba ſubmittes? *Pudeat Verrem* quoque; *quia proſcriptus, fortius perit*.

3. *Ceſtius Pius ſic idem ſuaſit*. Si ad deſiderium populi reſpicis Cicero, quandocunque perieris, parum vixiſti: ſi ad res geſtas, ſatis vixiſti: ſi ad injurias fortunæ, & præſentem Reip. ſtatum nimium diu vixiſti: ſi ad memoriam operum tuorum, ſemper victurus es Tu mehercules, Cicero, *ſi veneris ad Antonium, mortem rogabis*.

4. *Pompeius Silo*. Scias licet, tibi non expedite vivere, ſi Antonius permittit, ut vivas, Tacebis ergo proſcribente Antonio & Remp. laniante, & ne gemitus quidem tuus erit? *Malo populus Rom. mortuum Ciceronem, quàm vivum deſideret*.

5. *Albutius* Moriendum eſt Ciceroni, etiamſi nemo proſcriberet, graves odiorum cauſæ; maxima cauſa proſcriptionis ipſe eſt Cicero. Non unus tibi infeſtus Antonius eſt. Si cui ex triumviris non es inviſus, gravis es. *Roga Cicero, exora unum, ut tribus ſervias*.

Deli-

Deliberat Cicero, suane comburat scripta? promittente Antonio incolumitatem, si fecisset.

6. *Negat. Q. Haterius.* Non feres Antonium, intolerabilis in malo ingenio felicitas est. *Ingenium tuum amas, quod illud Antonius plus odit, quam te. Remittere, ait, se tibi, ut vivas, commentus quemadmodum etiam eripiat quo vixeras, crudelior est pactio Antonii, quam proscriptio.* Ingenium erat in quod nihil juris haberent triumviralia arma; *commentus est Antonius quemadmodum, quod non poterat cum Cicerone proscribere, tolleret per Ciceronem.* Hortaret te Cicero, ut vitam magni æstimares, si libertas suum in civitate haberet locum, si suum in libertate eloquentia. Nunc ut scias, nihil melius esse, quàm mori, vitam tibi Antonius promittit. Pendet nefariæ procriptionis tabula: tot prætorii, tot consulares, tot equestris ordinis viri periere, nemo relinquitur, nisi qui servire possit. *Nescio, an hoc tempore vivere, velis Cicero; nemo est cum quo velis.*

7. *Cestii Pii.* Nunquid opinio me fefellit? Intellexit Antonius salvis eloquentiæ monumentis non posse Ciceronem mori. Ad pactionem vocaris, qua pactione melior in te pars tui petitur. Si occidetur Cicero, jacebit inter Pompeium Patrem filiumque & Afranium Petreiumque. Q. Catulum. M. Antonium illum, indignum hoc successore generis; si servatur, vivet inter Ventidios, & Canicios, & Saxas. Ita dubium est an satius sit, cum illis jacere; an cum his vivere? *Pro uno homine, jactura publica pacisceris.* Scio omne pretium iniquum esse, quod ille constituit: *nemo tanti emit* Ciceronis vitam, *quanti vendit Antonius.* Si hanc tibi pactionem ferret. Vives, sed eruentur oculi tibi; vives sed debilitabantur pedes. Etiamsi in alia damna corporis præstares patientiam, excepisses tamen linguam. Ubi est sacra illa vox tua? *Mori* enim *naturæ finis est, non pœna?* Hoc tibi uni non liquet? At videris Antonio persuasisse. Asserte te potius libertati, & *unum crimen inimico adjice: fac Antonium moriendo nocentiorem.*

8. *P. Asprenatis.* Permitte te populo Rom. contra Antonium, si *scripta combusseris, Antonius paucos annos tibi promittit, at si non combusseris populus Rom. omnes.*

9. *Argentarii.* Ut corpus quod fragile & caducum est ser-

vetur, pereat ingenium quod æternum est? Ego mirabar, si non *supplicio crudelior esset Antonii venia.* P. Scipionem à majoribus suis desciscentem generosa mors in numerum Scipionum reposuit. *Mortem tibi remittit, ut id pereat, quod solum immortale est.* Qualis est pactio? *aufertur Ciceroni ingenium sine vita, promittunt,* oblivione nominis tui, *paucitas servitutis anni.* Non ille te vivere vult; sed facere ingenii tui superstitem. Vive, ut Cicero audiat Lepidum, Cicero audiat Antonium, nemo Ciceronem. *Pati potes, ut quod in te optimum habes, ante te efferas?* Sine post te durare ingenium tuum, perpetuam Antonii proscriptionem.

10. *Aurelii fusci.* Quoad humanum genus incolume manserit, quamdiu usus literis honor summæ eloquentiæ pretium erit. Quamdiu Reip. nostræ aut fortuna steterit, aut memoria duraverit, admirabile posteris vigebit ingenium, & *uno proscriptus seculo, proscribes Antonium omnibus.* Crede mihi vilissima pars tui est, quæ tibi vel eripi, vel donari potest. *Ille verus est Cicero, quam proscribi Antonius non putat, nisi a Cicerone posse.* Non ille tibi remittit proscriptionem; sed tolli desiderat suam. *Si fidem deceperit Antonius, morieris: si præstiterit, servies.* Per te M. Tulli, per sexaginta annos pulchrè actos, per salutarem Reip. consulatum, per æternam, si pateris, ingenii tui memoriam, per Remp. (quæ, ne quid te putes carum relinquere, ante te periit) oro & *obtestor; ne moriaris, confessus, quod nolueris mori.*

In his multa sana sunt, & ingeniosa subtilitate opponuntur. Sed quandoque nimia affectatione, vel frigescunt, vel obscurantur. Talia sunt quæ n.2. Latro adfert. Illud quoque Haterii n.1. non dicit, roga ut vivas &c. *& illud n.6.* Ingenium tuum amas &c. *frigida sunt, quia magis ornatum quàm veritatem spectant. Sed & illud Cestii n.7.* Fac Antonium moriendo nocentiorem *(si te videlicet novo scelere interemerit) acutius, quam illustrius dictum est. Illud* nemo tanti &c. *obscurum est. Illa Pompei in 4. Albutii n.5. Aspernatis n.8. Argentarii n.9. Fusci n.10. laudem merentur. Cetera ferè in ambiguo sunt. Vniversè plus lucis in expositione sententiæ requiritur. Agedum simili utamur exemplo, & acuto scribendi genere Herodis factum prosequamur, qui Bethlemi infantes omnes immisso milite trucidavit, ut Christum natum tolleret. Ita enim praxin ipsam subtiliter arguteq; disserendi propius eloquentiæ studiosus percipiet, & stylo, velut manu alterius ducto, certius assequetur.*

CAPUT

CAPUT XXII.

Via ac ratio argutam dictionem & inveniendi, & stylo Oratori idoneo formandi.

QVi argutè subtiliterque volet disserere, primo rei tractandæ argumenta rationesque, quibus vel laudet, reprehendatve, vel suadeat, aut dissuadeat, animo complectatur. Deinde ad illarum opposita mentem transferat, ex hac enim, velut adversa sibi invicem acie hic conflictus sententiarum, & exspectati ictus, quibus audientis animus percellitur, existunt: dum vel aufertur uni partium, quod illi auferendum minimè judicabantur; vel accedit alteri, quod minimè videbatur tribuendum. Expendamus Herodis factum per usitatas circumstantias: primùm rudi investigatione argumenta simul eorumque opposita oculis subjiciendo; quod simplicius præsto, ut inveniendi rationem faciliùs assequaris.

Quis? Rex est; sed, cui ira furorque imperent; tam impotens sui, quàm in alios potens.

Purpuram indutus; sed quam innocentum tinxit sanguine, minimè regiam.

Coronam gestat; sed quã ad innocentes pueros transtulit, cum vitam abstulit.

Dare his certius coronam non poterat, quàm cum sic ab illis auferre conatus est.

Sibi infelix, suisque ademit, cum vellet alieno firmare sanguine. Regnaturus diutius, nisi Christum regnare noluisset.

Sceptro usus, sed pro quo, insano errore, arripuit gladium, quos Rex tueri debuit, tyrannus oppressit.

Iam vir adultus, quam pudendum, quod infantes timuerit?

Hoc unum cum laude patrare visus es, quod Rex cum esset plurimos Reges fecerit, eosq; cœlestes, non terrenos. Quis talem ad magna creatum non asserat? Regium hoc verè factum, tot tantosque Reges procreare.

Quid? Qui innocentes peremit, an innocens esse potuit?
Retorto in se gladio propriam sustulit innocentiã.
Alios ferit, ipse succubuit. Victis reliquit Victoriam, Victor amisit. Turpis pugna in qua sic vincitur.
Scelus plexuit, sed nondum cogitatum,
Plectendus ipse, si nefas gladio vindicaretur; non enim in aliis reperit, sed in se admisit.
Nisi fortè hunc neges nocentem, qui tot innocentes cœlo asserit.
Certè utcunque res habeat Herodes Christum Regem timuit.
Religiosus homo, qui nece infantium non imminuit Regnum Christi, sed auxit.

Quibus auxiliis? Armatos contra inermes misit, milites contra infantes. Viros contra feminas.
Tantâ potentiâ, quæ magnam ostenderet impotentiam.
Sed frustra homines oppugnat, quas propugnant Angeli.
Vnus puer omnibus viris fortior est, Gigas in cunis
Infans nuper natus, & Abrahâ ætate major est.
Supra Reges fortis, & supra fortes Rex.
Qui nec cedit, nec cæditur, nisi volens.
Infantes sub militum gladiis succumbere patitur, ut resurgant fortius.
Et vires à casu mutuentur, triumphaturi si caderent.
Purpurã suo tincturi sanguine Herodianâ nobiliorẽ.

Cur? Ne regnum apud Iudæos occupet, Christum Herodes persequitur.
Quam stulte! Nam si superi destinarint regnum, quomodo eripies;
Si negarint, cur persequeris? An Deo legem statuet homo?
Si Christus homo, est, cur metuis infantem? si Deus, Cur non metuis ultorem?
Si, quis regnis nascuntur, perire metuerunt. Herodi jam diu debetur supplicium.

Si iccircò ut scelera puniantur, Herodes hanc cædem esse pietatem putat,

Impii sunt quotquot hactenus pepercerunt Herodi, tot scelerum reo.

Quomodo? Qui vix natos ferro tollit; aut nasci nunquam debuit, aut in cunis mori.

Nemo ad talem nascitur victimam dignior.

Si ita in Herode plexuissent Majores scelera, nullum modò admitteret.

Et quantò felicius periisset innocens, quàm innocentes perderet!

Tantum potuisse flagitium planè impotentis potentia est.

Ægyptus isti Herodis sceleri ingens debet beneficium cum Deum possidet.

Quando? Cum tota possideret terra pacem, Matribus bellum Herodes induxit,

Matre non alia dignus, quam tigride.

Lac quod Liberis Matres præbebant, Liberorum rependit sanguine.

Nunquam graviori has vulnere potuit ferire, quàm in filiis.

Vna plaga duorum erat, suo parens sanguine maduit, suo eodem & filius.

Ita quando Christus humanitatem induerat, Herodes exuit,

Deus homo factus est, Herodes bestia.

Hæc prout sese in calamum effuderunt, paucis sum prosecutus, quæ si per adjuncta pleraque suis etiam ornentur similibus dissimilibusque, campus erit ludendi amplior. Vt si Herodem Pastori, vel lupo, Innocentes agnis vel floribus &c. compares, paribusque hæc oppositionibus, ut fecimus, exornes. Vt

Homerus Regem populi esse Pastorem sensit,

Aberravit Herodes Rex, Lupus non Pastor fuit,

Innocentum subditorum cũ pastus sanguine est.

Elephantos à muribus terreri ne miremur,

Quando Herodes Rex imbelles formidat infantes.

Quam brutus hic terror fuit, qui ratione nondum usos plecteret,
Minus ipse ratione usus! &c.

§. 1.

V*Ides, ut unum Herodis facinus multorum argutè dictorum materia est. Verum hæc nuda illarum inventio est, quæ per orationem cum delectu spargi possunt, neque densa nimium subtilitate congerenda sunt, ne vel affectationem nimiam sapiant, vel obscuritatem inferãt, cum satietate ac fastidio audiẽtis. Ceterùm totum penè artificium dictionis argutæ in eo vides consistere, ut, vel affirmetur, de re aliquid, quod ab illa videtur alienum; vel negetur de eadem, quod ipsi convenire inprimis judicatur. Varietas tamen magna, quam hic expendere per subjecta exempla otiosum duxerim, cum alibi id à me abundè sit præstitum. Illa verò quæ sub titulo alienatorum illic complexus sum maximè præter exspectationẽ vibrantur. Vt si de Iuda super togam Apostolicam (ut quidam autumnant) fune latus præcincto dixeris.* De tam pio amictu, nihil impio præter funem convenire visum est, collo tamen prius quàm lateri adhibendũ. *Sic nonnemo Lothi uxoris statuæ inscripsit.* Femina fuit; dicerem, est: nisi prodigium videretur, feminam esse, & tacere. *Et de funere* Principis *cujusdam multis invisi, cui Crucem nemo præferret, alienata rei causa falsè dictum.* Faces prætulerunt ephebi Crucem nemo, quia currus vehebat publicam. *Sed horum ut major subtilitas, ita raritas est.*

Nunc in orationem non nulla eorum quæ de Herode reperta sunt, digeramus. Ex primo solum adjuncto, Quis, *nonnulla delibabo, cum ceteris inhærere longum sit.*

§. 2.

Dissuadetur Herodi parricidium.

DEsine, ô Herodes, desine tam funesta agitare mortis consilia, depone hanc cogitationẽ de infantum cæde conceptam, tam ignominiosam tibi, quam patriæ luctuosam. Rex es, & quid Rege minus dignum, quam inconsulta indignatione abripi, præcipiti furore efferri, suisque non posse imperare cupiditatibus, qui tot populis sibi parituris imperat? Proborsum enimvero sit, tantæ in ceteris mode-

moderandis potentiæ Dominum, sui adeo ad legem rationis componendi esse impotentem, ut quam alijs præscribit, imò extorquet æquitatis observantiam, hanc à seipso nequeat impetrare. Turpe sit, gestare purpuram non magis Assyriorum tinctam murice, quam innocentum sanguine fœdatam; gladium succinctum lateri ferre, qui non in hostem, sed amicum non in alienum sed subditum, non in defensionem, sed oppressionem patriæ vertatur. Non ille bonorum Principum, sed vel perditorum sicariorum, vel tyrannorum habitus est. Memineris sceptrum tibi cum gladio traditum, utrumque pro tutela subditorum; hunc ad hostium terrorem, illud ad tuorum moderationem, noli permutare arma, tuique imperij insignia; gladium cõvertere in tuos, sceptrum ad alienos porrigere. Boni Principis non est, vel opprimendos defendere, vel opprimere defendendos. Excelsum quippiam ac Deo proximum est regia majestas & potentia, ipsius adeò Dei ab humanis oculis subducti officium munusque vicaria potestate exequitur. Qui ut nihil nisi æquum, nisi rationi legibusque conforme à nobis postulat; ita flagitium perversitasque summa Regum sit, aliud à subiectis sibi populis flagitare, alias ab ijsdem pœnas reposcere, quàm divinis legibus concessas. Nullum Regibus in vitam mortalium jus est, quod summus vitæ arbiter Deus non impertivit. Deus Regi, Rex hominibus imperat, qui iccirco coronã gestat, quod non tam dignitate ac loco, quàm virtute præstet ceteris. Hic si æquitatis, si pietatis, si clementiæ in commissum sibi populum obliviscatur, si præfexos legum terminos prætervectus fuerit, jam illa, qua cingitur, corona, illo, quo ornatur, honore indignus excidit. Vide igitur, O Herodes, quid facturus sis: cum in jugulos innocentium puerorum ferrum strinxeris, cum non pro virtute, quam debes tueri, sed pro impietate, quam teneris opprimere, gladijs cædibusque grassatus fueris. Laudatam in tuo hactenus vertice coronam, à te tuisque ad alienos transferes: innocentia coronabitur, despecta atque ignobilis in Rege tyrannis contemnetur. Expende quam ignominiosum illud tibi bellum futurum sit, quod Rex adversus subditos, armatus contra inermes, vir denique contra infantes susceptururus es, in quo certa illorum innocentia, incerta regni olim attentandi suspicio,

picio; nullum non modo patratum scelus, sed ne cogitatum quidem plectitur. Quid obsecro in tali aetate, vel formidare potes, vel odisse? an vir cum sis, metuas infantes? an cum homo, vix natos oderis homines? Haec posse fieri fidem prope excedunt humanam. Cave, ne Herodes primus fidem facias, & alia non celebretis inter posteros memoria, quam incognitae hactenus repertor tyrannidis. &c.

En, ut flexi aliquantulum suisque numeris temperati illi in oratione melius vibrentur aculei. Alia enim inscriptionum, tanquam per versus quosdam ductarum ratio; alia composita ad suadendum movendumque eloquentia. Illa ad quasdam instructa delicias, libera poesios speciem imitantur, strictim conferunt, opponuntque sententias, ludunt in rebus, verbisque, delectationi potissimum student, memoriae serviunt, imagine quadam tantùm factorum propositâ; haec delectationis quidem non omnino negligens, at exponendae magis veritati, animisque ad hujus amorem impellendis intenta, occultè magis argutatur, numeros in orbem circumducit aures implet, rationem instruit, affectibus dominatur. Perfecti Rhetoris est, utriusque naturam & ingenio assequi, & imitatione posse complecti.

CAPUT XXIII.

De Stylo grandi.

GRandem appello, qui mole duplici, virtutis energiâ & sententiarum amplitudine supra communem dicendi usum assurgit. humilia protritaque fastidit. & eruditorum auribus ad plausum inservit. Virtus in significatione eminet, amplitudo in gravium sententiarum majestate. Laudi inprimis ac reprehensioni, hic stylus adhibetur: tum rerum descriptionibus graphicè exponendis idoneus est. Quare encomiastici juxta ac Satyrici illo delectantur, ut magnificum rebus colorem allinant, & Regium quodammodo stylum sua vestiant purpura. Nos primò quae in illo observanda, quaeque vitanda sint, paucis vide-

videbimus; deinde per singula scribendi genera suis exemplis lectorem ducemus. Elevatur phrasis primum verbis, tum grandioribus, tum etiam rarioribus, modò opportunè loco ac tempore adhibeantur.

2. *Apta translatione, qua res laudanda per inductam illustris rei similitudinem, tanquam in splendido aliquo ornatu spectanda; vituperanda rursum in despectæ rei imagine contemnenda proponitur. Qua de re consule, quæ tradidi, in fonte tertio phrasium.*

3. *Extollit orationem quoque rariorum phrasium opportuna inductio. De qua vide fontem quartum.*

4. *Epithetorum illustrium minimèque otiosorum discreta usurpatio, crebrior quoque substantivorum, moderata tamen introductio, quæ vel epithetis opportunum locum facit, vel eorum scitè officio fungitur. Sic,* eximia viri elucet prudentia, *grandius erit quàm* vir prudens apparet. *Magis extolles, si dicas,* exercitata viri sensus prudentia oris oculorumque iudicio proditur. *Nam cum epithetis substantiuisque rectè adhibitis crescit orationis dignitas. Illud tamen Aristotelis monitum excidere non debet: epithetis in oratione, non tanquam cibis, sed veluti condimentis utendum, ne fastidium creent. quod in subiectis exemplis factum intelliges.*

5. *Antiquitatum historiarumque allusio eruditam dictionem à vulgari humilitate ad quandam dignitatem & æstimationem Doctorum transfert, quam vulgus admiratur tantùm, non percipit. De qua eundem fontem tertium & quæ postea singulari libro dicturus sum, legere poteris. Quod si etiam Palæstra nostra poetica, partem 1. lib. 2. c. 11. & 25. de phrasi elevanda, consulere lubeat, operæ pretium te facturum existimem. Multum enim hic stylus à poetica dictionis venustate mutuatur. Tulliumque ad hunc magis conatum suum attulisse, quàm assecutum fuisse constat, cum minus felici ausu in poesi versatus sit.*

Vitia tamen his affinia virtutibus omni studio devitanda. 1. Ne quæsitis crebrius, remotiusque accersitis, tropis allegoricus, obscurusq; stylus sit. 2. Ne epithetis substantivisque importunè minusque significanter ingestis, tumidus poeticusque fiat. 3. Ne raritatis antiquitatisque cura nimiâ affectatus. Quibus vitijs Sidonius. Apollinaris, Ammianus, & Ennodius gloriam frustra scribendo

quæ-

quæsitam amiserunt. De quibus vide illa, quæ de Characteris sublimis & temperati vitijs tradidi.

§. I.

Stylus grandis epistolaris.

C. Plinius Marcellino suo s. lib. 5. Epist. 16.
De morte Virginis.

TRistissimus hæc scribo. Fundani nostri filia minor defuncta. Nondum annos quatuordecim expleverat, & jam illi senilis prudentia, matronalis gravitas erat. Quâ illa temperantia, qua patientia, qua etiam constantia novissimam valetudinem tulit? Medicis obsequebatur, sororem patremque adhortabatur, ipsamque se destitutam corporis viribus, vigore animi sustinebat: Duravit hic illi usque ad extremum, nec aut spatio valetudinis, aut metu mortis infractus est, quò plures gravioresque nobis causas relinqueret, & desiderij, & doloris. O triste planè acerbumque funus, morte ipsa mortis tempus indignius! Iam destinata egregio juveni, jam electus nuptiarum dies, jam nos advocati. Quod gaudium,quo mœrore mutatum est? Non possum exprimere verbis, quantum animo vulnus acceperim, cum audivi Fundanum (ut multa luctuosa dolor invenit) præcipientem, quod in vestes, margaritas, gemmas fuerat erogaturus, hoc in thura, unguenta, & odores impenderetur. Expulus ille virtutibus, totum se permisit dolori. Memento adhibere solatium,non quasi castigaturum,& nimis forte; sed molle, & humanum quod, facilius admittat, multum faciet medij temporis spatium. Vt enim crudum adhuc vulnus medentium manus reformidat, deinde patitur atque ultro requirit; sic recens animi dolor consolationes reijcit, ac refugit, mox desiderat & clementer admotis acquiescit.

Vale.

§. 2.

C. Plin. ad Macrinum de exundatione Tiberis lib. 8. Ep. 17.

NUm istic quoque immite & turbidum cœlum? Hic assiduæ tempestates & crebra diluvia. Tiberis alueum excessit, & demissioribus ripis altè superfunditur (quāquam fossa, quam providentissimus Imperator fecit, exhaustus, premit valles) innatat campis. Quàque planum solum pro solo cernitur. Inde quæ solet flumina accipere, & permista devehere, velut obvius retro cogit, atque ita alienos operit agros, quos ipse non tangit. Anio, delicatissimus omnium, ideoque adiacentibus villis, velut invitatus retentusque, magna ex parte nemora, quibus inumbratur, & fregit & rapuit. Subruit montes, & decipientium mole pluribus locis clausus, dum amissum iter quęrit, impulit tecta, ac se super ruinas evexit atque extulit. Viderunt hi quos excelsioribus terris illa tempestas non deprehendit; alibi divitem apparatum & gravem supplectilem, alibi instrumenta ruris: ibi boves, aratra, rectores; hic soluta & libera armenta: atque inter hæc arborum truncos, aut villarum trabes atque culmina, variè latéque fluitantia. Multi ejusmodi casibus debilitati, obruti, obtriti, & aucta luctibus damna. Ne quid simile illic, pro mensura periculi, vereor; teque rogo si nihil tale est, quam maturissimè solicitudini meæ consulas. Sed etsi tale, id quoque nuncies. Nam paruulum differt, patiaris adversa, an exspectes; nisi quod tamen est dolendi modus, non est timendi, doleas enim quantum scias accidisse, timeas quantum possit accidere. Vale.

§. III.

C. Plin. Apollinari Villæ suæ amœnitatem describit lib. 5. Ep. 6.

AMavi curam & solicitudinem tuam, quod cum audisses me æstate Thuscos meas petiturum, ne facerem suasisti, dum putas insalubres. Est sanè gravis, & pestilens ora Thuscorum, quæ per littus extenditur. Sed hi procul à

mari

mari recesserunt, quin imò Apennino saluberrimo montium subiacent. Atque adeò, ut omnem pro me metum ponas, accipere temperiem cæli, regionis situm, villæ amœnitatem, quæ & tibi auditu, & mihi relatu jucunda erunt. Cœlum est hieme frigidum & gelidum, myrtos, oleas, quæque alia æstivo tempore lætantur, aspernatur ac respuit. Laurum tamen patitur, atque etiam nitidissimam profert interdum; sed non sæpius, quàm sub urbe nostra necat. Æstatis mira clementia, semper aer spiritu aliquo movetur, frequentius tamen auras, quàm ventos habet. Hinc senes multi. Videas avos proavosque jam juvenum. Audias fabulas veteres sermonesque majorum, cumque veneris illò, putes alio te seculo notum. Regionis forma pulcherrima. Imaginare amphitheatrum aliquod immensum, & quale sola rerum natura possit effingere. Lata & diffusa planicies montibus cingitur. Montes summa sui parte procera nemora & antiqua habent. Frequens ibi & varia venatio. Inde cæduæ siluæ, cum ipso monte descendunt. Has inter pingues terrenique colles (neque enim facilè usquam saxum, etiamsi quæratur, occurrit) planissimis campis fertilitate non cedunt, opimamque messem serius tantùm, sed nõ minus, percoquunt. Sub his per latus omne vineæ porriguntur, unamque faciem longè latèque contexunt. Quarum à fine imoque quasi margine arbusta nascuntur, prata inde campique: quos non nisi ingentes boves, & fortissima aratra perfringunt, tantis glebis tenacissimum solum, cum primùm prosecatur assurgit, ut novo demum sulco perdometur. Prata florida & gemmea, trifolium aliasque herbas teneras semper, & molles, & quasi novas alunt. Cuncta enim perennibus rivis nutriuntur. Ibi aquæ plurimum, palus nulla; quia devexa terra quidquid liquoris accepit, nec absorbuit, effundit in Tiberim. Medios ille agros secat, navium patiens, omnesque fruges devehit in urbem hieme duntaxat & vere. Æstate submittitur, immensi fluminis nomen arenti alueo deserit, autumno resumit. Magnam capies voluptatem, si hunc regionis situm à monte prospexeris, neque enim terras tibi, sed formam aliquam, eximiamque pulchritudinem, pictam videberis cernere: ea varietate, ea descriptione, quocunque inciderint oculi, reficiuntur. Villa in colle imo sita prospicit, quasi è summo, ita leniter & sensim cliuo fallente consurgit, ut cum ascendere te non putes,

putes, sentias ascendisse. A tergo Apenninum, sed longius habet, accipit ab hoc auras, quamlibet sereno, & placido die, non tamen acres, & immodias, sed spatio ipso lassas, & infractas. Magna sui parte meridiem spectat, æstiuumque solem ab hora 6. hibernum aliquantò maturius quasi invitat in porticum latam, & pro modo, longam. Multa in hac membra, atrium etiam pro more veterum. Ante porticum Xystus, concisus in plurimas species, distinctus buxo, demissus inde, pronusque pulvinus, cui bestiarum effigies invicem adversas buxus inscripsit: canthus in plano mollis, & penè dixerim liquidus. Ambit hunc ambulatio pressis, variéque tonsis, viridibus inclusa. Ab his gestatio in modum Circi quæ buxum multiformem, humilesque & retonsas manu arbusculas circuit. Omnia maceria muniuntur, hanc gradata buxus aperit, & subtrahit. Pratum inde, non minus natura, quam superiora illa arte, visendum. Contra mediam ferè porticum diæta paulum recedit, cingit areolam, quæ quatuor platanis inumbratur. Inter has marmoreo labro aqua exundat, circumiectasque platanos, & subiecta platanis gramina leni aspergine fovet. Et cubiculum à proxima platano, viride & umbrosum, marmore excultum podio tenus; nec cedit gratiæ marmoris ramos insidentesque ramis aves imitata pictura &c.

In his plerisque phrasin minimè vulgarem, literisque passim scribendis haud satis visitatam reperies. Doctis multa auribus concinnata sunt. Ut se destitutam corporis viribus vigore animi sustinebat *&c.* totum se permisit dolori, crudum vulnus medentium manus reformidat *&c. vulgaria non sunt in sermone familiari. Præcipua tamen hujus styli elatio, dignitasque, in illo eminet metaphorarum usu, quæ rebus inanimatis vitam sensum actionesque tribuunt. Quid enim frequentius in hac tertia Plinii epistola, ut agri Thuscorum* procul à mari recesserunt. Cœlū oleas aspernatur, ac respuit. Oleæ æstivo tempore lætantur. Terra quidquid liquoris non absorbuit, effundit in Tiberim, Fluvius naviū patiens *&c Deniq; & in hoc genere audaciora quædam, cum egregia tamen significandi virtute usurpantur. Vt* villa sensim fallente clivo consurgit. Auras accipit spatio ipso lassas. Hibernum solem invitat in porticum. Bestiarum effigies buxus inscripsit. *&c. Hoc unum igitur si imitatur scitè fueris magnum feceris ad hoc styli genus progressum. Moderationem tamen suaserim,*

serim, etiam in descriptionibus, ubi potissimum inter epistolas locus, ne cum nimio orationem colore finxeris, naturalem pulchritudinem amittat. Supra Plinium assurgentem non laudaverim.

CAPUT XXIV.

De Stylo grandi historico ejusque vitijs.

C. Cornelius Tacitus lib. 1. Annal.

VRbem Romam principio Reges habuêre. Libertatem & consulatum L. Brutus instituit Dictaturæ ad tempus sumebantur: neque decemviralis potestas ultra biennium; neque Tribunorum militum consulare jus diu valuit. Non Cinnæ non Syllæ longa dominatio, & Pompeij Crassique potentia, citò in Cæsarem, Lepidi, atque Antonij arma, in Augustum cessere, qui cuncta discordijs civilibus fessa, nomine Principis sub imperium accepit. Sed veteris reipublicæ prospera vel adversa claris scriptoribus memorata sunt: temporibusque Augusti dicendis non defuêre decora ingenia, donec gliscente adulatione deterrerentur. Tiberij Caijque, & Claudij, ac Neronis res, florentibus ipsis, ob metum falsæ, postquam occiderant, recentibus odijs compositæ sunt. Inde consilium mihi pauca de Augusto, & extrema tradere: mox Tiberij principatum, & cetera, sine ira, & studio, quorum causas procul habeo, postquam Bruto, & Cassio cæsis, nulla iam publica arma, Pompeius apud Siciliam oppressus, exutoque Lepido, interfecto Antonio, ne Iulianis quidem partibus, nisi Cæsar dux reliquus: posito Trium viri nomine, Consulem se ferens, & ad tuendam plebem Tribunicio jure contentum, ubi militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otij pellexit; insurgere paulatim, munia senatus. Magistratutum, legum in se trahere nullo adversante: cum ferocissimi per acies, aut proscriptione cecidissent, ceteri nobilium, quanto quis servitio promptior, opibus & honoribus extollerentur: ac novis ex

rebus

rebus aucti, tuta & præsentia, quàm vetera, & periculosa mallent. Neque provinciæ illum rerum statum abnuebant, suspecto senatus populique imperio, ob certamina potentium, & avaritiam magistratuum: invalido legum auxilio, quæ vi, ambitu, postremò pecunia turbabantur. Ceterùm Augustus subsidia dominationi Claudium Marcellum, sororis filium admodum adolescentem pontificatu & curuli ædilitate: M. Agrippam ignobilem loco, bonum militia, & victoriæ socium geminantis consulatibus extulit; mox defuncto Marcello Generum sumpsit. Tiberium Neronem & Claudium Drusum privignos, imperatorijs nominibus auxit, integra etiam dum domo sua, nam genitos. Agrippa Caium aa Lucium, in familiam Cæsarum induxerat, nec dū posita puerili prætexta, principes iuventutis appellari, destinare Consules, specie recusantis, flagrantissimè cupiverat, ut Agrippa vita concessit; L. Cæsarem euntem ad Hispanienses exercitus, Caium remeantem Armenia: & vulnere invalidum, mors fato propera, vel Novercæ Liviæ dolus abstulit, Drusoque pridem extincto, Nero solus è privignis erat: illuc cuncta vergere, filius, collega imperij, consors tribunitiæ potestatis adsumitur, omnesque per exercitus ostentatur: non obscuris, ut antea matris artibus, sed palam hortatu. Nam senem Augustum devinxerat adeò, uti nepotem unicum Agrippam Posthumnum in insulam Planasiam proijceret: rudem sanè bonarum artium, & robore corporis stolidè ferocem nullius tamen flagitij compertū. At Herculè Germanicum Druso ortum, octo apud Rhenū legionibus imposuit, adscirique per adpotionem à Tiberio iussit, quamquam esset in domo Tiberij filius iuvenis, sed quò pluribus munimentis insisteret. Bellum ea tempestate nullum, nisi adversus Germanos supererat: abolendæ magis infamiæ, ob amissum cum Quinctilio varo exercitum, quàm cupidine proferendi imperij, aut dignum ob præmium. Domi res tranquillæ, eadem magistratuum vocabula, iuniores post Actiacam victoriam, etiam senes pletique inter bella civium nati quotus quisque reliquus, qui rempub. vidisset? Igitur verso civitatis statu, nihil usquam prisci & integri moris: omnes exuta æqualitate iussa Principis exspectare, nulla in præsens formidine, dum Augustus ætate validus, seque & domum & pacem sustentavit.

Grandem faciunt Tacitum, non tantùm vulgaris styli proscriptio, & illorum, quorum supra in Epistolis memini, troporum usus. Sed adstrictus præterea, & velut per gravis viri pronuntiata, sive etiam oracula libratus præcisusque sermo, qui plerumque sensu, quàm verbis uberior, multa lectori cogitanda relinquat. Verum & suis apud quosdam vitijs in admiratione est; qui nonnullis graviter atque eruditè scriptis capti, reliqua etiam, cum minus capiant, venerantur. Sic in his: libertatem & consulatum L. Brutus instituit: *paucis multa complexus, sed libertatem instituere, neque proprium, neque scitè translatum est. Ita quoque*, Lepidi atque Antonij arma in Augustum cessere: *quis enim illud, cedere in aliquem arma valdè probet? At quod de Augusto sequitur*, cuncta discordijs civilibus fessa sub imperium accepit: *translatione egregium est. Rursum* ingenia adulatione deteri, *parum illustri metaphora dicitur. Sed illud rursum præclarè*: Caium Novercæ Liviæ dolus abstulit: *At de his judicium non unum est omnium, quia subtilissimum. Vt verò penetres, atque ex veritate hanc litem discernas: quæ propria esse videris, has cum verbis aut nominibus, quibus proximè dedebentur, compone: quæ sunt translata, hæc in suam resolve similitudinem, & apparebit, quem locum, dignitatemque mereantur. Quam enim quæque metaphora aptius simile involuerit, tantò illustrior futura est. Reperta hæc est, ut lucem rebus addat, non detrahat illam, quam vox propriè usurpata adferret. Sed neque obscuritatis vitium Tacitus satis in illa styli sublimitate declinavit: ut cum dixit*, Claudij & Neronis res florentibus ipsis, ob metum falsæ, postquam occiderant, recentibus odijs compositæ sunt. *Nam, quod propter viventium tyrannidem occultata veritas, iam mortuorum odio (ut velle existimo) pateant: non satis ex verbis liquet. Hæc monui, ut delectum in Tacito instituendum esse non ignorares. Maluissem sic esse locutum.*

[Roma principio Reges habuit. Libertatem sub his amissam, sublatis Regibus, Consulatuque inducto, L. Brutus restituit &c. Pompeii Crassique potentia citò ad Cæsarem, Lepidi atque Antonij arma ad Augustum translata sunt &c. Temporibus Augusti conscribendis illustria non defuere ingenia, donec gliscente adulatione succumberent. Tiberij Caijque & Claudij ac Neronis res florentibus ipsis, ob metum ficta, postquam

quam occiderant, emergente veritate larvam exuerunt. &c.] quæ sequuntur aut laudanda, aut certè toleranda sunt, *nisi quod præcipiti aliquando brevitate displicere possint. Quocirca alterum eodem scribendi genere paulò numerosius sese efferentem audiamus.*

§. 1.

L. Florus Historiarum lib. 4.

De bello civili inter Pompeium & Cæsarem.

IAm penè toto orbe pacato majus erat imperium Rom. quàm ut ullis externis viribus extingui posset. Itaq; invidens fortuna principi gentium populo, ipsum illum in exitium suum armavit. Ac Mariana quidem Cinnanaque rabies intra urbem se præcluserat, quasi experiretur? Sullana tempestas latius, intra Italiam tamen detonuerat? Cæsaris furor atque Pompeii, urbem, Italiam, gentes, nationes, totum denique, quà patebat imperium, quodam quasi diluvio, & inflammatione corripuit, adeò ut non rectè tantum civile dicatur, ac ne sociale quidem, sed nec externum? sed potius commune quoddam ex omnibus, & plusquam bellum. Quippe si Duces ejus inspicias, totus senatus in partibus? si exercitus, hinc XI. legiones, inde XVIII. flos omnis & robur Italici sanguinis? si auxilia sociorum, hinc Gallici Germanique delectus? inde Deiotarus, Ariobatzanes, Tarcondimotus Gothus, omne Thraciæ, Cappadociæque, Ciliciæ, Macedoniæ, Græciæ, Italiæ, totiusque robur Orientis: si moram belli, quatuor annis, & pro clade rerum breve tempus? si locum & spatium ubi commissum est, intra Italiam? inde se in Gallium Hispaniamque deflexit, reversumque ab occasu, totis viribus in Epiro Thessaliaque consedit? hinc in Ægyptum subitò transilit? inde respexit Asiam, Africæ incubuit? postremò in Hispaniam remigravit, & ibi aliquando defecit. Sed non & odia partium finita cum bello. Non enim prius quievêre, quam in urbe ipsa, medio senatu, eorum qui victi erant, odia victoris sese cæde satiarent. Causa tantæ calamitatis eadem, quæ omnium, nimia fælicitas,

licitas. Siquidem Quincto Metello, & Lucio Afranio consulibus, cum Romana majestas toto orbe polleret, recentesque victorias, Ponticos & Armenios triumphos in Pompeianis theatris Roma cantaret, nimia Pompeii potentia apud otiosos (ut solet) cives movit invidiam. Metellus ob imminutum Cretæ triumphum. Cato adversus potentes semper obliquus, detrectare Pompeium, actisque ejus obstrepere. Hunc dolor transversum egit, & ad præsidia dignitati paranda impulit. Fortè tunc Crassus genere, divitiis, dignitate florebat? vellet tamen auctiores opes. Cajus Cæsar eloquentia, & spiritu, & jam consulatu allevabatur: Pompeius tamen super utrumque eminebat. Sic igitur Cæsare dignitatem comparare, Crasso augere, Pompeio retinere cupientibus, omnibusque pariter potentiæ cupidis, de invadenda republica facilè convenit. Ergo cum mutuis viribus in suum quisque decus niteretur, Galliam Cæsar invadit, Crassus Asiam, Pompeius Hispaniam, tres maximi exercitus: & jam sic orbis imperium, societate trium principum occupatur. Decem annos traxit ista dominatio. Exinde quoniam mutuo metu tenebantur, Crassi morte apud Parthos, & morte Iuliæ Cæsaris filiæ, quæ nupta Pompeio. generi socerique concordiam matrimonii fœdere tenebat, statim æmulatio erupit. Iam Pompeio suspectæ Cæsaris opes, & Cæsari Pompeiana dignitas gravis. Nec hic ferebat parem, nec ille superiorem. Nefas! sic de principatu laborabant, tanquam duos tanta imperii fortuna non caperet.

Planè florido scribendi genere Florus excurrit, atque ipsa dictione animosum bellicumque aliquid spirare mihi videtur. Quam illa brevi orationis dignitate extolluntur; Mariana rabies intra urbem se præcluserat, syllana tempestas latius, intra Italiam tamen detonuerat, Cæsaris furor atque Pompeii totum corripuit imperium. *&c.* Eorum qui victi erant, odia victoris sese cæde satiarunt *&c.* Dolor hunc transversum egit, & ad præsidia dignitati paranda impulit. *Quæ pleraque vides illustribus tropis elevari. Interea non diffitebor quandoque & Florum audacius elatum, minusque locutū propriè, quanquam hoc illum in Stylo ante Tacitū locavero, magis siccum horridumque. Florus animosa inventuti? Tacitus gravi senio loquitur: plus ille eloquentia? hic prudentia ostendit: ille tardo suspensoque gradu, hic incitato cursu fertur: ille velut togatos*

gatus imperator in consilio deliberat? hic velut armatus in bello pugnat. Offendit tamen & nonnunquam. Minus quidem aptè illud Rabies *se intra urbem præcluserat*, quasi experiretur: *& bellum* totis viribus in Thessalia consedit. *prius enim verbum sententiam non explicat? posterius vim rerum non adæquat? Sic vel imperfectum, vel improprium est*: Galliam Cæsar invadit &c. tres maximi exercitus. *Sed hæc ejusmodi non sunt, quæ egregium scriptorem manibus lectorum extorquere debeant. De Romana historia breviter eruditèque instruet, steri lemque scriptoris calamum fœcundabit. Ceterum Florus eadem cum* Plinio *& Tacito ætate scripsit, bonis artibus literisque sub optimo Imperatore Traiano in florem dignitatemque pristinam utcunque revocatis. Addo nunc ejusdem ætatis scriptorem, cuius nomen laudemque minimè præterirem, nisi minus castè, quam cultè pleraque exarasset. Dignior qui in palæstra Veneris, quàm Musarum honoretur. Styli tamen exemplum, quod hac tabe omnino infectum non sit, juverit expendisse.*

§. 2.

Mulierum ad dolorem amoremque impetus, ut sunt vehementes, ita parum constantes esse, exemplo docetur.

MAtrona quædam Ephesi, tam notæ erat pudicitiæ, ut vicinarum quoque gentium fœminas ad sui spectaculum evocaret. Hæc igitur cum virum extulisset, non contenta vulgari more funus passis prosequi crinibus, aut nudatum pectus in conspectu frequentiæ plangere in conditorium etiam prosecuta est defunctum, positumque in hypogæo, Græco more, corpus custodire ac flere totis noctibus diebusque cæpit. Sic afflictantem se, ac mortem inedia prosequentem, non parentes potuerunt abducere, non propinqui magistratus ultimò repulsi abierunt, comploratąq; singularis exempli femina ab omnibus quintum iam diem sine alimento trahebat. Assidebat ægræ fidissima ancilla, simulque & lacrymas commendabat lugenti, & quoties defecerat, positum in monumento lumen renovabat. Una igitur in tota civitate fabula erat, & solum illud affulsisse verū

pudicitiæ amorisque exemplum, omnis ordinis homines, confitebantur; cum interim Imperator Provinciæ latrones jussit crucibus affigi, secundum illam candem casulam, in qua recens cadaver matrona deflebat. Proxima ergo nocte cum miles, qui cruces asservabat, ne quis ad sepulturam corpora detraheret, notasset ibi & lumen inter monumenta clarius fulgens, & gemitum lugentis audisset? vitio gentis humanæ cupiit scire, quis, aut quid faceret. Descendit igitur in conditorium, visaque pulcherrima muliere, primo quasi quodam monstro, internisque imaginibus turbatus substitit. Deinde, ut & corpus jacentis conspexit, & lacrymas consideravit, faciemque unguibus sectam, ratus scilicet id quod erat, desiderium extincti non posse feminam pati, attulit in monumentum cænulam suam, cæpitque hortari lugentem, ne perseveraret in dolore supervacuo, & nihil profuturo gemitu pectus diduceret; omnium eundem exitum esse, sed & idem domicilium, & cetera quibus exulceratæ mentes ad sanitatem revocantur. At illa ignota consolatione percussa, laceravit vehementius pectus, ruptosque crines super pectus jacentes imposuit. Non recessit tamen miles? sed eadem exhortatione tentavit dare mulierculæ cibum, donec ancilla, vini certè ab eo odore corrupta, primùm ipsa porrexit ad humanitatem invitantis victam manum? Deinde refecta potione, & cibo, expugnare Dominæ pertinaciam cœpit. Et, quid proderit, inquit, hoc tibi, si soluta inedia fueris? si te vivam sepelieris, si antequam fata poscant, indemnatum spiritum effuderis.

Id cinerem & manes credis curare sepultos

Vis tu reviviscere reluctantibus fatis extinctum: vis discusso muliebri errore, quandiu licuerit lucis commodis frui? ipsum te jacentis corpus admonere debet, ut vivas. Nemo invitus audit, cum cogitur, aut cibum sumere, aut vivere. Itaque mulier aliquot dierum abstinentia sicca, passa est frangi pertinaciam suam, nec minus avidè replevit se cibo, quàm ancilla quæ prior victa est. Ceterum scitis quid tentare plerumque soleat humanam satietatem. Quibus blanditiis impetraverat miles, ut matrona vivere vellet, iisdem etiam pudicitiam

dicitiam ejus aggressus est. Nec deformis aut infacundus juvenis castæ videbatur, conciliante gratiam ancilla ac sub inde dicente

Placitone etiam pugnabis amori.
Nec venit in mentem quorum consederis arvis?

Quid diutius moror, victor miles utrumque persuasit. Ceterum delectatus miles & forma mulieris, & secreto, quid boni per facultates poterat, coëmebat, & prima statim nocte in monumentum ferebat. Itaque cruciarij unius parentes, ut viderunt laxatam custodiam, detraxerunt nocte pendentem, supremoque mandaverunt officio. At miles circūscriptus, dum desidet, ut postero die videt, unam sine cadavere crucem; veritus supplicium, mulieri quid accidisset, exponit, nec se exspectaturum judicis sententiam, sed gladio jus dicturum ignaviæ suæ: commodaret modo illa perituro locum, & fatale conditorium familiari ac viro faceret. Mulier non minus misericors, quam pudica. Nec istud, inquit, Dij sinant, ut eodem tempore duorum mihi charissimorum hominum funera spectem, malo mortuum impendere, qui vivum occidere. Secundum hanc orationem, iubet corpus mariti sui tolli ex area, atque illi, quæ vacabat, cruci affigi. Usus est miles ingenio prudentissimæ fæminæ, posteroque die populus miratus est, qua ratione mortuus isset in crucem.

In hac narratione observabis non nulla, licentiâ quadam epithetorum, ad poeticam ferè dignitatem extolli; præter illa quæ in cæteris troporum ornamenta vidisti, ut hortatus lugentem ne gemitu nihil profuturo pectus diduceret *&c.* quibus exulceratæ mentes ad sanitatem revocantur. Indemnatum spiritum effundere. Reluctantibus fatis extingui. *Cæterùm & illa substantiva, quæ locum epithetorum eleganter explent, hanc non mediocriter orationem elevant, ut* porrexit ad humanitatem invitantis victam manum; Expugnare Dominæ pertinaciam cœpit. *Denique totus dictionis habitus supra vulgi usum consuetudinemque elatus, nihil triviale complectitur, ut,* non se exspectaturum Iudicis sententiam, sed gladio dicturum jus ignaviæ suæ, commodaret modò illa perituro locum &c.

Egregius ejusdem styli artifex superioris seculi scrip-

tur Ioanno Barclaius in sua fuit Argenide, quam de regno Galliarum, sub ficta Virginis specie ornavit, historiaque similitudine scribendo est prosecutus. Nihil verò in hoc stylo prodijsse cultius facilè ausim affirmare, genuinum alterius supra laudati characterem exprimit; majestate etiam dicendi superat, ac sine noxa pudoris in manibus legentium poterit versari, ut iccirco is facilè ad hoc scribendi genus aspirantibus negligi, hic queat tractari. Dabo exemplum, ubi oratorium quoque characterem hoc in genere propius assequatur.

CAPUT XXV.

De Stylo grandi inter historicum oratoriumque medio exemplum, post brevem historiam, dissertationem complectens.

Joannes Barclaius in sua Argenide lib. 5.

Ancroestus frustra ad religiosum habitum, purpura oblatâ permutandum invitatus, de bono religionis disserit.

AFfuêre ex Poliarchi imperio, qui regio indumento Aueroësti paupertatem mutarent. Sed ille nunc teneresuam vestem, nunc purpuram manu repellere, mirantique ac multū obtestanti Poliarcho, ut mœstitiæ insignia poneret, negavit ista de se meritos esse Deos, ut ab illorū familia abiret. Benè cessisse, quod is regno suo potiebatur, quē omnibus votis heroë optasset. De cetero rursus nolle impacatis negotiorū fluctibus exerceri Ne pretiosissimam paupertatē eriperent, aut crederent rebus suorū inutilem esse, qui familiarius ad accessum Deorū admotus, eos amicis conciliaret. Multa hæc & seria optimi senis ad vitā obscurā pertinacia, confestim varijs sermonibus præbuit causā. Nec deerat argumentis Poliarchus quibus Aneroesti hæc austera incusaret consilia, revocaretq; cunctantē ad assuetas Regibus curas. Aneroestus omniū voces (plures enim eadē suadebant)

bant) excipiebat patientissimo silentio, adeo ut crederent multi hæc ad animum pervenire gaudentem expugnari. Ita diu cunctatus, sive, ut omnia quæ ingerebantur una oratione everteret, sive, ut interim dato spatio ornaret defensionem, mereretur que audiri pari omnium pace. Vultu tandem modestè sublato, in hunc modum exorsus est.

Summam aliquam esse mentem, quæ omnia condiderit, ipsa lex solis nunquam exerrantis ab orbita, tum lunæ & ceterorum siderum ordo, totiusque naturæ ingenium satis hominibus persuadet, quos nec sapientiæ suæ superba opinio, nec brutis animantibus peior negligentia cœcavit. Putes autem sanctum hoc Numen, Deum, inquam, qui omnium origo virtutum, fas rectumque mortalium animis, ingeneratá ratione, præscripsit, iis vitiis delectari, quibus passim naturam corrupimus? Non potest hanc quam cernimus legem naturæ dedisse, justissimus autor; justus autem ille non erit si feret abire impunè tot scelera. Ubi igitur, amor recti, & ambitus jucundæ cum Deo amicitiæ, simulque cœlestis iræ timor tetigit animum, nihil illi antiquius esse debet, quàm recedere à vitiorum periculis, jam tot mortalium exitio infamibus. Ea vero pericula partim nobis insita habemus, partim ab aliis in nos incurrunt. Et in hæc omnia efficaci remedio istam solitariæ severitatis religionem invenimus. Primum enim cupiditates immodicæ, quibus ipsi nobis sumus infesti, sic in hoc vitæ genere, fracto impetu, exarmantur, ac si feris mansuescere edoctis, dentes quoque & unguium aciem subtraxeris; ut neque deinde si in naturam redierint, facile possint habere quo sæviant. Nam desiderium voluptatum, contrario severitatis usu suam pertinaciam apud nos dediscit; & si, veluti ex cinere, illa flamma resurget, nihil tamen in egena, ac veluti agresti domo, effecerit, in qua desunt superfluæ instrumenta luxuriæ. Aviditatem quoque frustratur simplicissima paupertas, & ad superbiæ stimulos erubescit squalida vita, & seipsam despiciens. Sic illa, sic cetera mentium mala, ut est ira, invidia, timor, audacia, in hoc sancto rigidoque secreto, tanquam destituta alimentis incendia, exspirant: præsertim, ubi mens vitiorum jugo excusso sibi ipsi se reddidit, timidæque cupiditates, & assuetæ parêre, priusquam aliquid velle ausint, aut nolle, consulunt rationem.

Eo modo, qui nobis acerbissimi hostes sumus, reciso aut correcto effrenis naturæ impetu, ad sanam utilemque virtutem adigimur. Venio ad hæc tela quæ in nos ex aliorum hominum contagione comparantur; sæva illa & nimium certa; siquidem plures existimem exemplo, quàm ingenio peccare. Quia morum consortio placere amicis cupimus. rarumque est vivere diu cum improbis, nec de vitiis primum melius sentire, mox illis & infici. Superbiam aliorum ambitus accendit, contentionem ad opes ceterorum aviditas. Fraudibus appetitus, animum antea fortè insontem, ne inultus sis, ad fraudes applicabis, & ex hostium in te odio disces odisse. Cum præterea multi, in virilis gloriæ titulis ponant, ipsam peccandi occasionem, timidosque, & gerendis rebus ineptos eos existiment, qui Diis obsequuntur. Illius opinionis metu, haud pauci assuescunt peccare, magis scilicet, ut iis probentur, quibus virtus est vilis, quàm quod sint vilia apud ipsos in pretio. Hæc autem omnia à Domesticis suis submovet familiæ nostræ integritas, in qua, ut paucis absolvam, contagionem improborum vitamus, & præter suspicionem ignaviæ timere Deos licet.

CAPUT XXVI.

De Stylo grandi Oratorio.

ORatorem hoc scribendi genere eximium vix dedit antiquitas. Fuit tamen M. Fabii Quintiliani Rhetoris, sæpius à nobis laudati avus, eodem nomine, qui Declamationes aliquot reliquit, quos nonnulli perperam Nepoti tribuunt. Qui in grandi illo dicendi genere vitiis juxta ac virtutibus eminet.

Laudem inprimis illâ Pauperis contra Divitem, pro Apibus suis agentis, declamatione tulit, Ex qua præstantissima del babo, quod vitiosis censendis, in autore, quem magnopere nulli legendum suasero, immorari non lubeat. Nam arduis, & poeticam usque elocutionem assurgentibus delectatur, obviam phrasin fastidit, sensus infringit, abrumpitque, sententias minori judicio, quam pondere librat, varitatem cum obscuritate affectat, & ad jactantiam magis, quam persuasionem omnia disponit.

Habet

Habet tamen ubi ab vitiis discedit, animosi ac feliciter elati styli virtutes, sententiosè sæpe, nonnunquam & arguté differit, floridè describit, stringit nervosè. Quare illa potissimum tangam, quæ cum laude conjuncta sunt.

§. 1.

Argumentum actionis.

P*Auper Diviti vicinus erat: illi angustus ager, ideoque domi, unde se familiamq; aleret. Apes: huic latus & floribus refertus campus, quem à vicini Pauperis Apibus insideri floresque suos carpi questus est denuntiavit, ut Apes transferret, quo neq lecto, floribus veneno infectis, allapsas Pauperis Apes sustulit. Hic igitur injuriarum Divitem reum agit.*

Exordium parum laudis habet, quocirca à propositione & expositione facti & causæ initium duco. Florida hac & poetica sæpe phrasi elata, sed justa prolixiori dilatanda tamen, per adiuncta personæ & factorum, narrationis exemplum, quod n. 1. Pauperis hortum & apes num. 2. Divitis venenum in flores sparsum & mortem apum complectitur.

Causam, sive actionem in tres partes, divisit, juxta adversarii sese defendentis rationes. Refutat igitur, primò negantem n. 3. damnum illatum esse, quod liberum, volucre, & extra imperia positum animal sustulisset: cum eodem jure cetera omnia, quæ libera natura genuisset, homines, servos, & jumenta aliena quivis posset Domino tollere. Refutat n. 4. asserentem jure factum, quod inferentes sibi damnum apes in proprio & privato prædio necarit: eam sic latrocinia & furta multa defendi possent. Refutat. n. 5. frustra se tuente, quod ultro ad sparsum apes venenum advolaverint. Cum sit homo etiam, qui oblatum venenum nescius ultro biberit, accusari magis, qua propinator ipse debeat. Quo loco exaggeratur indignum facinus in tam innoxias, sedulas, & humano generi utiles apes exercitum.

M. Fab. Quintilianus. Declam. XIII.

An apes Pauperis à Divite, sparso per flores sui agri veneno, jure sublata sint?

Actio Pauperis.

1. E St mihi paternus, Iudices, agellus, sanè angustus & pauper, non vitibus consitus, non frumentis ferax, non pascuis lætus: jejunæ modò glebæ atque humiles thymi

thymi, & non latè pauperi casæ circumjecta possessio. Verùm mihi vel hoc fuit gratissima, quod non fuit digna, quam dives concupisceret. In hoc ego vitæ meæ secreto, remotus à tumultu civitatis, ignobile ævum agere, procul ab ambitu, & omni majoris fortunæ cupiditate constitui: & dum molesta lege naturæ transiret ætas, vitam fallere. Hoc mihi parvulum terræ & humilis tuguri rusticum culmen æquitas animi Regnum fecerat, satisque divitiarum erat, nihil amplius velle. Quid prodest? sic quoque me latentem invenit invidia. Nec ab initio, Iudices, vicinus divitis fui, pares circa me habitavère Domini, & frequentibus villis, concors vicinia parvos limites coluit. Quos cives pascebat, nunc divitis unius hortus est, postquam, proximos quosque revellendo terminos, ager locupletis latius inundavit. Æquatæ solo villæ & excisa patria sacra, & cum conjungibus parvisque liberis, respectantes patrium larem migraverunt veteres coloni, & latæ solitudinis indiscreta unitas facta est, postquam ad apes meas divitis fundus accessit.

Namque ego judices dum fortius opus permisit ætas, terram manibus subegi, & difficultatem labore perdomui, & in vito solo nonnihil tamen fœcunditatis expressi. Citò labitur dies, & proclivis in pronum fertur ætas: abière vires, census meus, defectaque labore senectus, magna pars mortis, nihil mihi reliquit nisi diligentiam. Circumspicienti quod conveniret opus invalidæ senectutis curæ, succurrebat sequi pecora, fœtuque placidi gregis paupertatem tueri: sed ex omni parte circumjectus divitis ager, vix tenuem ad gressus meos semitam dabat. Quid agimus? inquam. Vndique vallo divitiarum clusi sumus. Hinc hortuli locupletis, hinc arva, inde vineta, hinc saltus, nullus terræ datur exitus. Quæramus animal quod volet. Nam quid apibus invenit natura præstantius? Parcæ, fideles, laboriosæ. O animal simile pauperibus! Et sanè dabat occasionem mihi opportunitas hortuli mei. Est namque positus ad ortus solis hyberni, apricus, omnibus ventis medius. Fusus ex proximo fonte rivus, crepitantibus inter radiantes calculos aquis, utrinque ripa virente præterfluit. Satis consiti flores, & viridis quamvis paucarum arborum coma, nascentibus populis prima sedes, unde ego frequenter consertum novæ juventutis agmen ramo gravescente suscepi. Nec me

tanta

tanta capiebat voluptas, quòd fluentia ceris mella conderem, quam ad sustinendas paupertatis impensas deferrem in urbem? quòd divites emerent, quàm quod adversus omnia lassæ tædia ætatis habebam senex quod agerem. Iuvabat aut lenta vimina vernis fœtibus texere, & ne æstivus ardor, aut hiberna vis gravidam penetraret alvum hiantes rimas tenaci linire fimo, aut fessis apibus ultrò præbere mella, aut fugiens examen ære terrere, aut bella sedare pulveris jactu: tum ne quid periculi saltem singulis esset, avidas longè fugare volucres, & arcere parva à convictu animalia: reclusas interim scrutari apium domos, ne per vacuas alvos, fœda pestis insidiosas texeret plagas Dederam laboribus meis justam senex missionem, habebam quæ pro me opus facerent.

2. Quo non penètras livor improbe? Quidve scabræ malignitati clausum est? Invidet pauperi dives. Cùm evocasset me subitò trepidum, totoque fortunæ suæ strepitu circumstetisset. Quid tu, inquit, non potes imperare apibus tuis, intra privatum volent? ne hortorum meorum floribus insideant, ne in meo rorem legant, remove, transfer. Impotentissime tyranne, quo? Nunquid tam latum possideo agellum, ut illum apes transvolare non possint? Neque tamen tantum inerat pectori meo robur, ut non perturbarer denuntiatione notæ impotentiæ. Volui relinquere avitos lares, & conscios natalium parietes, & ipsam nutriculam casam: jamque pauperem focum, & fumosa tecta, & consitas meis manibus arbusculas transferre destinatus exul decreveram. Volui. Iudices, decedere, volui? sed nullum potui invenire agellum, in quo non mihi vicinus dives esset. Nec tamen licuit diu quærere. Fortè serenus pura luce fulserat dies, & hilaris matutini solis tepor ad quotidiana opera lætius solito agmen effuderat. Quin ipse spectator operis (præcipua namque hæc mihi voluptas erat) processeram, sperans fore ut viderem, quomadmodum aliæ libratæ pennis onera conferrent, aliæ depositâ sarcina in novas prorumperent prædas, & quanquam angusto festinaretur aditu, turba tamen exeuntium non obstaret intrantibus, aliæ militatibus castris pellerent vulgus ignavum, aliæ longum permensæ iter, fatigatæ anhelitum traherent, hæc ad æstivum solem porrectas panderet pennas. Miserum me, ignoscite modò gemitibus meis. Non flosculos perdidi, nec

caduca

caduca folia proximo lapsura vento. Apes cum volarent. suffugium tenuitatis meæ, solatium senectutis, amisi. Nunquam me alias pauperem putavi. Triste me excepit exspectatque silentium, & inanis alui inchoata tantum opera, & rudes ceræ. Vos Judices æstimate quatenus recipiatis hunc affectum meum, libenter bibissem, si invenissem, venenum. Hoc mihi damnum non dedit glacialis brumæ penetrabilis rigor, non suppressi longâ siti flores suduxerunt jejunam miseris famem, non aviditas injusta Domini nihil mellis reservantis, non æqualis fessas morbus invasit: non damnatis sedibus suis avias fuga petiere silvas. Apes pauper, miser in opere, perdidi. Paravit homo nefarius ante omnia tantum veneni, quod posset & divitis hortis satis esse, & linivit flores maleficis succis, & in venenum mella convertit. Sparsit omnibus floribus mortem, & quantò plura interim corrupit, quam quæ apes abstulissent? illæ studio quotidiani operis excitatæ, ut primum aurora lucem vocavit, in assueta miseræ pascua volant? ut, antequam noctis humorem radii solis ebiberent, matutinos legerent rores, & cælestes aquas ad horreum ferre possent, nec sibi, sed operi biberent. Hic triste spectaculum, & tantum non ipsi qui fecerat, miserandum. Illa ad primum feralis succi haustum insolito consternata gestu fugit? sed fugisse nihil prodest. Illa longiores expetitura pastus, in altum tollitur, vitamque in aura reliquit. Hæc primo statim flosculo emoritur. Illa rigescentibus morte pedibus exanimis, sicut hæserat, pendet. Alia defecta nisu volandi, adhuc per terram languidè repit. Si quas tamen usq; ad sedem suam distulit mors lentior, sicut ægræ solent sub ipsis pendere portis, in globum nexas, & mutuò amplexas mors sola divisit. Quis figurare possit, quis dicere, quàm multas mali formas, quàm varia lethi genera fecerint tot mortes? semel, ut ipse tristem finiam expositionem, dicendum est, omnes perdidi. Celebre illud alvearium, & domino suo notius, ad nihilũ recidit. Audete nunc lacessere divitem, quibus vitæ causa superest: excitare libertatẽ fortibus verbis, si quid offenderit, & quod difficillimũ fuit, jam expertus est quantum posset veneũ. Quod si mihi fortuna, vel ingenii vires, vel suas opes dedisset? crimen istud non privatam taxationem formulæ merebatur. Venenum leges habere, emere, nosse deniq; vetant, inevitabilem pestem occulta fraude grassantem. Malè hæret ibi innocentia, ubi in

potestate

poteſtate eſt ſecretum ſcelus, velut venenum, & quidem præſentaneum, inventum, compoſitum, datum eſt. Quantulum intereſt quis biberit? Homo dedit, homini dari poteſt. Non adeò deſunt odiorum cauſæ, ut jam rata ſimultas ſit: & ut videatur aliquis nihil magis, quam malos odiſſe, libebit aliquando longius manum porrigere, & indulgere animis. Credite mihi judices, difficilius eſto venenum invenire, quàm inimicum. Sed me conſcia mediocritatis infirmitas intra meas tantummodo continet querelas. Nam damnum id eſt, Iudices graviſſimũ. Pauper vulnus accepi, quod mihi diutius deflendum apud vos, quam probandum eſt. Nam coarguendis quidem criminibus quis labor eſt adverſus confitentem: habent divites hoc quoque contra nos cõtumelioſum, quod non tanti videmur, ut negent. Porrò qui confeſſum defendit, non abſolutionem ſceleris petit, ſed licentiam. Longius iſta quam timui quæſtio pervenit: Non de præterito tantum litigamus: hoc agitur, ut etiam ſi quid fortè reparavero, iterum diviti liceat occidere.

3. In duas enim, quantum animadvertere potui, quæſtiones dividi cauſam, an damnum ſit, & an injuria datum. Negat eſſe damnum, quod animal liberum, & volucre, & vagum, & extra imperia poſitum perdiderit. Negat injuria datum, quod in privato ſuo, quod eas quæ ſibi nocerent, extinxerit: poſtremò quod ſparſo tantum per flores veneno, ipſæ opes ultrò ad mortem venerint. Ut nihil eſſet quod his poſſem reſpondere; æquumne erat inter vicinos ſic agi? Sed excutiam ſingula, nec prius meis argumentis nitar, quam diverſa repulero. Quoniam quidem quæritur, ad damnum ſit perdere, quod lucrum eſt habere? Liberum eſſe animal, puta: non dico fœtus, meis manibus exceptos, & in tutam conditos ſedem, & reſervatum ad ſupplementa generis in favis examen vernaculum. Quoniam quidem tyrannorum jura defendis, natos in privato meo, puta me, vel inanis arboris trunco, vel cavis inventos petris, domũ favos retuliſſe: multa nihilominus quæ libera fuerant, tranſeunt in jus occupantium; ſicut venatio, & occupatio. Nã ut cetera animalia hominũ cauſa finxerit providentia, quod omnibus naſcitur, induſtriæ præmiũ eſt. Quid autẽ non liberũ natura genuit? taceo de ſervis, quos bellorũ iniquitas in prædã victoribus dedit, iiſdem legibus, eadem fortuna, eâdem neceſſitate natos. Ex eodem cœlo ſpiritum

tra-

trahunt, nec natura velis, sed fortuna Dominum dedit. Cur infrenatis equis victor insidet? cur injusto quotidie jugo boum colla deterimus? cur in usum vestium sæpe pecori lanæ detrahuntur? taceo de sanguine & epulis per montē paratis. Si omnia quæ libera generantur, naturæ demus, delinitis divites esse. Si verò hæc conditio est, ut quicquid ex his animalibus in usum homini cessit, proprium sit habentis: profectò quidquid jure possidetur, injuriâ aufertur, ut volucres mites, & aliæ quæ per rusticas villas, quæque ditibus cellis saginantur, in quibus tamen domini ambigua possessio non est, & vaccæ, & armenta, & omne pecudum genus. Sed illa impositus cohibet Magister. Peiusne domino in iis jus est, quibus custode non opus est? nā si hoc dicitis, nihil est nostrum quod perire possit, ex nullius animalis damno hæc edi formula potest. Nam & errare pecudes solent, & fugere mancipia. Si hoc in ceteris non obstat, vagari tu nolles apes, in opus exire, & ad quotidianū censum laboris assidui non detrectare militiam. An nō ipsæ domum sua sponte revolant, finemque laboris sui sole metiuntur, & omnis intra solitas domo turba conditur, noctemque modesto silentio trahunt? Age porrò, ut non sit earum certa possessio dum volant: nempè cum remearunt, concludi, transferri, donari, venire possunt: in potestate sunt. Quomodo autem potest sine damno meo perire, quod quotidie meum est? At extra imperia positum. Mirum herculè, si negato commercio sermonis humani sunt in ceterorum animaliū forma. Tamen quam Dominus dedit incolunt sedem, lascivientem luxuriā fugam tinnitu compescimus. Etiā si diversis Regibus coorta seditio ad bellum inflammavit iras, exiguo pulvere, vel unius pœna ducis resedit omnis tumor. Illa verò admiranda sedulitas, quòd operi totus insumitur dies, in dominorum redditus ablata supplentur. Age si obsequi possent, quid amplius imperares? Intelligo his vanis ultra necessitatem esse responsum. Si non sunt apes meæ, ne id quidem quod his efficitur meum est. Atque nulla unquā inveniri potuit impudentia, quæ fructus mellis in dubium vocaret. Hoc ergo fieri potest, ut quod nascitur meum sit; quod generat alienum? Age si mihi aluei furto abessent, utrum nulla daretur actio? an viminis modò vilisque texti pretium formulâ taxassem, & perinde agerem quasi inanes perdidissem? nisi fallor esset æstimatio & apum. An tandem

quas

quæ surripere non liceret, liceat occidere? non est damnum quod exutus sum? quod redditus perditi? quod annuos fructus præsidia paupertatis amisi? non est damnum hoc perdidisse, quod ut proximo utar argumento, si habere voluero, eundum est? quid ergò tibi opus maleficis succis, cum liceret palam trucidare, & plenos vel cremare igni, vel aquis immergere alveos? an est aliquod animal, quod non liceat, nisi venenis, occidere?

Vt damnum sit, inquit, jure tamen feci in privato meo. Per fidem vestram Iudices succurrite exemplo. Non sufficit his partibus unus Rusticus pauper, obviam publicè eundum est; & objiciendæ adversus nascentem licentiam consensu manus. Credite mihi, major lite quæstio est Hoc vobis hodiè judicandum est, ubi scelus facere non liceat. Nam cui non hoc idem homicidio respondeat? cur non de latrocinio? non enim jure ista, sed modo differunt. Aperitur ingens funeri via, & obluctantia diu, legum velut claustris, scelera liberâ portâ prorumpunt. Si ad privatũ jura non veniunt, & in manifestissima quaque noxa non de facto quæritur, sed de loco, non æqua portione cum sceleratis terras divisimus. Vbi enim non jam divitum privatum est? parum est proximos æquare terminos, & possessiones suas velut quasdam gentes fluminibus montibusq; distinguere. Iam etiam devios saltus, & silvas vasta solitudine horridas occupât, tot aquæ intra paucorum umbram latent, è finibus suis populus excluditur, nec ullus procedentis finis est, nisi cum & in alterum divitem inciderit. Adhuc tamen spolia transeuntium, & abacti pecorum greges, sub hoc titulo, defendebantur. Iam privati veneni transcriptio est. Iterum ac sæpius Iudices admoneo, considerate, discite, aut nihil usquam contra jus licet, aut in privato omnia. At enim adversus inferentem damnum justa ultio fuit. Dicam nunc quam iniqua sit in vicem injuriæ compensatio, quamq; non solum legi adversa, sed etiam paci. Barbarorum mos est populorum, quos procul omnis juris humani societate summotos proxima belluis natura efferavit. Nos ideò magistratus legesque à majoribus nostris accepimus, ne sui quisq; doloris vindex sit: & assiduæ scelerum causæ se refellant, si ultio crimen imitabitur. Damnum accepisti? Erat lex, forum, judex: nisi si vos jure vindicari pudet. At me herculè jam ad arma mittimur, & instituimur perniciosa nocendi contentio, &, in vicem le-

gis, ira succedit. Premetur quidẽ obnoxia infirmitas, & paucorum dominio subjecta plebs triste servitium perferet. Est tamen pauperibus interim dolor: & ut facilius nobis noceri potest, ita vobis latius. Postremò placeas licet tibi opũ tuarum fiducia dives, si mihi vivere expedit, pares sumus. Quid ergò; si quid tibi attulissent apes meæ, non mihi auferretur ratio, sed forsitan aliqua daretur & tibi. Nunc verò quid quereris? Credo depopulatos agros, eversosque redditus. Non enim debet leve esse damnum, quod dives ferre non possit. Decerpebat, inquit, flores meos. Ecquid intelligitis Judices, quanto dolore dignũ sit, quod ego perdidi, si etiã hoc damnum est, flores auferre? Ita planè. Alioquì tu illos in vetustatem reservabas, & durarent adhuc, nisi ad hortum tuum apes venissent. Cujus rei inveniri potest brevior ætas? Namque dum immaturos exterior alligat cortex, nodũ dixeris florem. Paulatim deinde vividiore succo tumescit uterus, & albentes accipit rimas, necdum tamen flos est. At cũ se ruptis jam tunicis in patulum capita fuderunt, & velut fissa in orbem, jamque eorum videtur maturitas, & ignotus occasus est, & jam sine ventis quoque soluta natura, labitur gratia? nec quisquam est flos nisi novus. Quare si dicerem, abstulêre peritura, & quæ protinus humi jacuissent, in usus hominum conversa: inauditus tamen livor videretur etiam apibus invidere. Nunc verò differẽdum mihi est, quàm momentosa sit hujus animalis rapina. Nescimus quâ pernicitate plerumque vix contactis floribus revolet, discurratq; per singulos velox experimento: quàm etiam ubi immorantur, libratis pendeant alis. Quis unquam quod ferentem apẽ viderat hoc, ubi deesset, invenit? Quantulum verò est, quod ex his manu consitis floribus legant? Prata, silvæque vel maturæ frugibus vites, & fragrantes thymo colles, pabulum ministrant, non ex omnibus floribus capiunt utilia operi suo? sed in omnibus quærunt. Præsens, & quidem protinus, illa redditur merces, quòd omnibus, quibus insedere, odorẽ mellis inspirant, & brevi contactu vim sui relinquunt. Hoc tu damnum intelligis? hoc veneno vindicas, quod me hercule inhumanè etiam fumo prohibuisses? An non te solus vicinus colui? non frugum mearum primitias omni vere misi? non siquis ceris novis bandidior incipit favus, tuis reservatus est mensis, cum parvis mediocritate munusculis, illa semper adjiceretur commendatio: hoc tibi mittunt apes meæ. Puto relata est gratia.

5. Po-

5. Postremò quidem divitis patrocinio non putavi. Judices, respondendū nisi videri vestram majestatem, contumeliosa defensione, non ferrē. Ultro enim, inquit, ad mortē venerunt apes tuæ. Ita planè, si venenum homini dedisset, diceret ipsum labiis admovisse pocula: si percussorē posuisset in saltu, ipsum in insidias ultro venisse clamaret: si telum abjectasset in tenebris, illatum sua culpa contenderet. Ego, Judices, quid dico. Duo esse sola quæ in omni crimine spectanda sunt, animum & eventum. Quis animus divitis fuit cum venenum sparsit? ut apes perirent, quis eventus? perierunt. In summa, Judices quis dubitet, quin damnum ei sit imputandum, sine quo non accidisset? Intelligo neque prudentiam vestram desiderare plura de causa, neque vestram fidem ac religionem egere exhortatione vere judicandi. Quid moror, igitur, tenet me dolor, & assuetæ voluptatis desiderium. Sunt quædam in hac causa, quæ sarcire pœna non possit. Major forsitan materia videatur affectus. Si pauperes amare nisi paria non possumus, & necessario nobis pretiosa, quæ sola sunt: animum meum extinctæ unius horæ momento tot animæ movent, quot perierunt de me bene meritæ. Quin ipsum lethi genus addit indignationem. Veneno perierunt. Quis hoc ulla satis persequi possit invidia? Apes veneno? hæc illis gratia refertur, quod fructibus nostris invigilant? quod quotidiana statione laboris assidui, ne damno quidem, submoventur? Nam & cetera animalia videtur mihi natura usibus nostris genuisse, hęc etiam deliciis. Cum eò quod in illis, quę vel scindendo solo, vel maturando itineri comparamus, multus antè redditus insumitur labor: & cum perdomanda, cum alenda sint, nihil tamen possunt sine homine, & tantum coacta prosunt. Apes faciunt injussæ favos, sine ullo rationis humanæ ministerio, totus fructus ultro venit. Adjice quod cetera animalia, aut satis incurrunt, aut vitibus nocent, primaque, ut fama est, hostiæ causa pecudi fuit læsa fruges. Harum ita innoxius per prata silvasque discurrit labor, ut tantum factum opus appareat. Qua satis digna prosequar laude? Dicam animal quodammodo parvum hominis exemplar? hoc humana excogitare non potuit solertia, & ratio nostra, quæ sub terris lucrū invenit, quę maria inquisitione sua sideribus immiscuit, hoc tamen efficere, consequi, imitari nō potuit.

Venena potius invenimus. Jam primùm futuræ laudabilis vitæ quam digna principia! non illas libido progenerat, domitrixque omnium animalium Venus. Utque homines, in excusationem sui fabulis tradiderunt, etiam Deorum posteritas has regnis suis excepit. Abest inimica virtutum voluptas castis sine labe corporibus, solæ omnium non edunt fœtus, sed faciunt, qui, ut oportet animal laboriosum, ex opere nascuntur. Inde ut adolevit juventus, & ad similes labores ætas roborata convaluit, relinquitur liber parentibus locus. Et ne coacta in angustum multitudo nova turba laboret, quasi habita verecundiæ ratione, cedit populus minor, suspensum proximis ramis examen humanas manus exspectat. Acceptas cum fide colit sedes. Et cum ingenia nostra (quæ nos scilicet ambitiosi nostri æstimatores proxima divinis credimus) ad percipiendas disciplinas multo labore desudent, nulla apis nisi artifex nascitur. Quid credas amplius, quàm divinæ partem mentis his animis inesse? Non ut feræ volucresque præsentis modò cibi memores in diem vivunt: duraturus hiemi reponitur victus, & repleris vere cellis tutus annus est. Etiam cum ad humanos usus opera subducta sunt, reparare amissa contendunt, & labor damno rependitur, & nunquam deficit animus ante quam locus. Quid, quod inter animalia, quæ non verba conjungunt, non verba rationis invicem negant, tantus operis consensus est, tanta, difficillimæ rei, laboris concordia, talis officiorum partitio, ut aliæ congerant onera, aliæ accipiant, alia liniant; Quæ severitas in castiganda inertia? Multa dictu visuque miranda. Prævidere tempestates nec dubio se cœlo tradere, nec ultra vicinam nubilo tendere. Iam si leves iniquior aura rapuit, ad dirigendos in destinata cursus, modico lapilli pondere librare pennas. Illas majorum pectorum totis pro Rege castris procurrere; & inire bella mortemque honestam pro duce opperere. Adjice quod siquas, aut ætas longior, aut morbus oppressit, efferuntur prius corpora, posteriorque operum, quâm funerum cura est. Quid illigare curibus flores? quid ore succos in publicum ferre? Me tamen ipsius operis præcipua admiratio subit. Non temere, nec fortuitam figuram & sedes modò reponendis cibis quęsisse credas. Rudis cera componitur. Accidit usibus inenarrabilis decor. Nam primum tenacibus vinculis fundamenta suspendunt, tum ab exordio

in

in omnem partem opus æqualiter crescit, nec quicquam ex inchoatis parvum est, quod non sua portione perfectum sit, ut jam nec alia parte opus esset. Gemina frons ceris imponitur, & cum foraminibus tantum spatium detur, quantum ad generanda examina spes pura cupiat: (ipsi enim sibi anguli hærent, & ita mutuò vinciuntur atque alligantur, ut quod voles, id medium sit) his textis ne universi mellis effluat pondus, intersepta enera cluduntur. Quis non super hæc fieri posse sine manibus? nulla interveniente doctrina hanc artem nasci? quid non divinum habent, nisi quod moriuntur? An verò autorem vini Liberum colimus, primitiæ frugum Cereri referuntur, inventrix oleæ Minerva narratur, mella genuisse minus est, &, interponenda gustus voluptate, tantùm effecisse, quantùm ne ipsa quidem rerum natura per se potuit? Ad plurimarum incursus valetudinum remedium est, & præsentissima medicina. Nam quod ad cibos quidem pertinet, divites viderint. His animalibus aliquis insidiari potuit, & insidiari quod mella facerent? hæc pestiferis succis exquisita per fraudem confecit, & quod sit indignissimum, quo facilius deciperet, fortasse venenum melle permiscuit. Quæ tam inhumana crudelitas? quis tam inauditus livor? Nihil enim est quod utaris patrocinio tuo dives. Paucorum damno foliorum doluisse te simulas. Dum meas apes occidere vis, flores tuos omnes inutiles fecisti.

Censura & observatio.

De stylo Quintiliani Declamatoris.

Pleraque, quæ grandum elatumque stylum facit ut. Quintilianus secutus est, si tamen ultimam illam, num. 5. Apum descriptionem inductam exceperis, in qua mediocris styli florem expressit, meliori charactere quàm opportunitate (quid enim in judicio tam profusa Apum laus, conclusione ad metum affectumque adeo tenui instruitur?) Passim hoc familiare est huic scriptori vitia cum virtutibus confundere, neque in grande hoc (ut appellamus) stylo dignam illo maiestatem tueri. Nam & tropi audaciores, & epitheta Poetis usitata, & sæpe phrasis iisdem, quàm Oratoribus, dignior. Sententias extendit in-flat periodos. Rem prætereandi ducit, quàm circumducit ap-

tium Verbis implet, sed hæc in numeros minus apposite componit. Nunc præter exspectationem abrumpit, nunc suspendit sententiam. Paucis dicam: in illo est vitii, quod pro virtute hodiedum nonnulli amplectuntur, cum à vulgi sermone deflectunt, affectatione sublimium in præcipitia atque abrupta feruntur. Felicius hac ætate in grandiori scribendi genere versatus est celeberrimus Galliæ Rhetorum Caussinus, cum in scriptis aliis, tum in illo quem vulgavit Angelo pacis Principibus Europæis inscripto. Ex quo pauca depromam, postquam obiter quædam in Quintiliano vitanda designavero.

Tropus audax in illo, quo autor usurpat, sensu est. Ager locupletis lætius inundavit; *quo agrum divitis mari comparat cæterorum prædia inundanti rectius alio tropo dictum*, ad apes meas divitis fundus accessit, *quo illi per domini cupiditatem promoto, tanquam vitam tribuit propius suas apes accedenti. Nec illud probo* latæ solitudinis indiscreta unitas facta, *cum & obscurum & remotum sit. Sanius illud*; circumjectus divitis ager, vix tenuem mihi ad gressus semitam dabat. *Sic displicet epithetum* Scabræ malignitati *additum; placet illud livor* improbus. *Vt delectum hic aliquem instituendum existimem.*

Poetica phrasi non ineptè assurgit, cum ait, procul à majoris fortunæ cupiditate &c. vitam fallere. Invenit latentem invidia. Rusticum culmen æquitas animi regnum fecerat &c. *Sed audaciora illa*: rivum crepitantibus inter radiantes calculos aquis fluere, & Consertum novæ juventutis(*apum arbori adhæ rescentium*)agmen, ramo gravescente suscipere, & Ne æstivus ardor, aut hiberna vis, gravidam penetraret alvum (*alvearis*) hiantes rimas tenaci linire fimo &c, *non probavero; cum quæsitis nimium epithetis turgescant.*

Sic illud Pauperis, à Divite ita septi, ut nulla posset nutrire pecora, ingeniosum est. Quid agimus? quæramus animal, quod volet. *Sed ratio quæ additur, non congruit.* Nam quid apibus invenit natura præstantius? parcæ, fideles, laboriosæ. O animal simile pauperibus! *Abrupto illic sensu, quod feliciter repertum erat, destruitur. Quæ, aliaque, cum signaveris, lectione hac ad aliquam styli granditatem licebit assurgere, simulque offensiones in alta nitentibus obvias devitare. Nunc Caussinum oratoria magis facundia dominantem animus, &, velut incitatum turbinem, volventem rapientemque numerosa di-*

ctione

ctione lectores, videamus. Par illi in multis sermo, tropis elatus epithetisque animosus, sed per incisa, membra, periodosque velut in aciem digestus, ut aggredi hostem, pugnare, sternere, conculcare, triumphare videatur. Non dissimilis illi Cellotius in Orationibus, præsertim in Panegyri Ludovici Regis? quam eloquentiæ studioso legendam, non tamen in nimio laudum excessu, imitandam sauserim.

§. 3.

Caussini Angelus Pacis.

I. SI licet vestra, Maximi Principes, interpellare fastigia, stabo pro causa Dei, Angelus pacis, concordiæ minister, veritatis interpres, procurator salutis. Non ille sum terribilis & minax nuntius, qui Davidi, cælestibus prodigiis attonito, flagellorum metus incussit. Ex illorum numero non sum, qui tot flagitiis immersam Pentapolim funditus evertêre. Non pluo sulphure, non vibro flammas, non jaculor fulmina? sed miti quadam amœnitate vernantes olivas prætendo, quas tanta bellorum eluvio nondum extinxit. Ex eorum cœtu & concentu venio, qui, nascente Domino, pacem hominibus bonæ voluntatis cecinere. Nolite spernere bonorum augurem, veritatis propugnatorem, qui vobis, coram Deo, in Christo loquitur.

Totius orbis Christiani negotium est, Principes optimi, quod apud vos ago, vestra res, quam votis & scriptis urgeo Dei possessio est, quam requiro. Et magni quidem momenti, ut quæ sæpe exciverit de altaribus Sacerdotes, de Monasteriis sacras Virgines, & ex silvis anachoretas, ut de mutis faceret oratores.

Non detinebo vos Principes, levieulis rationibus, non illudam sterilibus figmentis? sed ipsam, quam per stagnantes cruore campos, per collucentium urbium flammas, & tot circuitus quæritis, in tranquilla sede demonstrabo gloriam. Ac primùm, permittite me de origine belli, denique jure Principum Christianorum, pauca disserere. Vnde satis firma opinor eruentur argumenta, quibus & vestrum decus & populorum salus sanciri possit &c.

Geritur à vobis bellum atrox, urbium obsidionibus exercitum, cladibus, frequens vastitate luctuosum. In quo laborat Ecclesia, suspirant oppressorum vota, & toties convulsus mundus ingemiscit. Non usitato modò, non humano more progreditur? sed vi quadam maligna in omnes Christiani orbis venas permanante. Excutite, si placet causas, & tanti tumultus occasionem. Si quando res naturales videmus intra suos limites decurrere, & statas obire vices, maximè miramur. At ubi valentiori quodam impetu cernimus incitati, aut perverti statutum naturæ ordinem, suspiciamur arcanam inesse vim, quæ fertur atque erumpit ex abdito, unde tam varii motus oriantur. Quoties ordinariè cieri ventos aspicimus, aut halitus putamus, aut aëri naturalem vim inesse æstimamus movendi se, ne inerti atque inagitabili globo torpescat. At quoties ventis acerrimè depræliantibus, exurgunt fœdissimæ tempestates, quæ vastas arbores radicitus evellunt, quæ bene fundatas domos in plana submittunt, quæ navigia devorant, & statum mundi percellunt aëriis hæc adscribimus potestatibus per mundi plagas dissipatis. Non impari quidem ratione cum bella instant usitata inter homines forma, hæc hominum tribuimus ambitiosis conatibus, moribus iracundis, & ad objectæ contumeliæ imaginem facilè excandescentibus. quod si modum omnem excedant, suspicamur esse occultam malorum originem, quæ sensus nostros atque intelligentiam superet.

Hoc ipsum de tam atroci bello rem benè æstimantibus vacat cogitare. Nec enim civili animo geritur, nec habet militiæ decora, quæ magnos animos comitari solent, sed virulentam malignitatum, quæ ambas partes excedit, & lenta quadam tabe serpens per omnia depascitur. Squalent rura, mœrent urbes, prodigitur heroum sanguis, destinatus lanienæ lectissimus flos nobilitatis, spoliantur bonis penè omnibus privati, conquiruntur undique acerbis exactoribus pecuniæ, quæ tam crudeli ludo sufficiant. Sed nulla vis ærarii par est aviditati omnia depopulanti. Paucorum divitiæ cunctorum inopiam faciunt, & de provinciarum lacrymis funesta improborum gaudia saginantur. Quis tot ac tantorum artifex malorum? unde fons, unde origo tot funerum. *Rex, ajunt, Ludovicus belli autor*. Scilicet tam pius Princeps, tam castus, & toto Dei timore perfusus

fusus tantos fluctus moveat, tantas exciter tempestates? Tendebat quotidie dum viveret, puras ad cœlum manus, in sacris mysteriis frequens, conscientia tam castigata, ut ne minimam quidem labem ferret, quam non statim Sacramentis elueret. Pugnavit necessitate, virtute vicit, fortis pectore, marte clarus, mente pacificus. Quis igitur æstimet cruenta de perdendo Christiano orbe consilia, in tam augusto pectoris sacrario potuisse concipi? quis resedisse illic odia, quis simultates putet?

At fortè Imperator dissidiis gaudet, & rebus turbatis pascitur? Absit ut quis hoc credat. Est enim Princeps moribus optimis, & ad omnem æquitatem compositus, animi vigore excellens, excultus sapientia, in quo cælata vivit paterni spiritus ad omnem virtutem expressa effigies. Quid habere iucundius potest, quam ut Germaniam suam, tam fero bellorum tumultu quassatam, placidissimâ pacificatoris manu componat?

Turbat igitur Rex Hispanus. Nemini hoc probare poterit, qui tanti Regis sensum, atque animum penitus noverit. Est enim, siquis alius, mente Christiana, ingenio placido, ad amorem & concordiam magis, quàm ad rixas dissensionesque propenso. Nihil in eo turbidum & ferox, nihil malignum; frui sua magnitudine cupit, non ferocire.

Unde igitur tanta atrocitas, si nullæ sunt *animis cælestibus ira*? Quis non videt, non esse istud humano consilio factum? sed malos genios toto impetu incubuisse, ut res nostras florentes acciderent, accisas everterent, eversas calcarent? nimis scilicet potens erat res Christiana, domita Rupella, prostrata hæreticorum factione. Fuit illi ferrum hostium cruore repens in viscera convertendum. Turbarunt illi in Italia ad Mantuam, turbarunt in Germania, commiserunt primas Christiani nominis coronas, livore maligno, bello implacabili, cladibus immensis, Ecclesia gemente, lætis infidelibus, ipsis plaudentibus inferis.

Intervenit sæpe magnis rerum successibus mens mala, quæ Principum consilia corrumpit, & à recto cursu gloriæ divertit. Triumphalibus ovantem laureis Regem

Christianissimum sua vix limina salutabant, cum per factiosos excitati turbines in Italiam vocant. Penetrandae alpes hieme gelida, per horrentes armis, & tectos nivibus scopulos carpendum est iter, conserendae manus. committenda per varias matris aleas praelia, quae miro robore & pari felicitate iam erant composita. Cum ecce instat flagellum belli exitialis, bacchatur aquilo in clade Germaniae, volutatur in sanguine, fertur per clarissimarum urbium incendia, resistentibus paucis, omnibus fetali prodigio attonitis. Sacrilegio polluuntur arae, sacrae Virgines stupro, strident catenae sacerdotum, calcantur sancta, & *consummatur abominatio desolationis*, ipso, qui vocaverat Rege horum, aut nescio, aut invito.

Cavendum omnino est, ne Daemoni ad vastitatem regnorum incubanti subdatur materia de ipsis hominum affectibus & vitiis. Ignem facile concipit regnorum & gentium Zelotypia, quae animali quadam afflatur sapientia nec prudentiam sanctorum sapit. Aiunt, qui parti student alteri, Hispanos nimis invidiosam facere suam potentiam, exosam aequalibus, inferioribus terribilem, omnibus, nisi caveatur, exitiosam. Tanta, ut aiunt, libido dominandi, tam intentae & vigiles ambitionis curae, tam rapax terrarum ingenium, tanta regnorum & titulorum congeries aemulos stimulant, vicinos terrent, pungunt etiam remotos, unius dignitatem putant omnium periculum. Quot imperia, tot intentata numerant regnis servitia.

Galli contra, ut scribunt, qui norunt, etsi conviciorum inferendorum avidi, tolerandorum nescii, contemptus impatientissimi, sciunt se ex ea gente esse de qua dictum est.

Animaeque supersunt
Iam prope post animam.

Iactant se armorum claritudine orbem implevisse, antequam è diuturna Vandalorum & Sarracenorum servitute caput attoleret gens Hispania. Orientis tenuere & Occidentis imperia, Constantinopolim expugnarunt, Hierosolymam Christo, Romam septies Pontifici e-

reptam

reptam ab hostibus reddiderunt. Sibi primum locuta prædicant Evangelia, sibi primogeniam filiorum Dei adoptionem datam. Regnis terrarum addiderunt imperium literarum, toto fere orbe in Academiam Parisiensem confluente, nihil putant habere se contemnendum. Miratores petunt potius, quam contempores fuerunt. Hinc fit ut utraque gente pro se iactantiore, in alios dicace, eventilentur flammæ, quæ in magna coalescunt incendia.

Augent hæc sæpe plerique Regum administri, dum familiari, sed dira summis imperijs gloria, Dominorum cupiunt ostentare potentiam, totas nocendi vires explicant, abditam premunt beneficientiam, dum ambiunt, dum timent, dum cavent, ipsa sæpe sedulitate & cautione non timenda provocant, faciunt non toleranda.

Hic vos appello, politicæ Antistites, & arcanorum consiliorum Mystæ. Lubentius nobiscum quàm cum fortuna vestra loquor. Cogitate quantum vobis dederit, quantum à vobis exigat Deus. Sedetis quasi Dij ex hominibus, humani generis arbitri, quam quisque sortem habeat, ex nutu vestro pendet, quæ mortalium cuique bona felicitas velit, ore vestro pronuntiat, quas parari classes, quæ arma moveri, quas urbes exscindi, quas gentes obrui oporteat, vestris sententijs agitur. Vos de fortunis & sanguine hominum decernitis, illi de vestra existimatione decernunt. De vestro capite inspector omnium Deus ad tremendum & inevitabile forum judicat. Multa quisque ex suo cernit sensu, multa ex suo loquitur affectu. Non est mihi credibile, quod aiunt, tantos viros tam magno ingenio præditos, tam alta excultos prudentia, & hujus fragilitatis rerum humanarum conscios, putare se huic affixos fastigio, ut res suas agant, ut suis commodis omnia metiantur, ut amplitudini suæ serviant, ut ex privato amore & odio respublicas gerant, ut fortunæ suæ populorum sanguine litent? idcirco bella concupiscere, & res amare turbulentas, è quibus & clarius sibi imperium, & numerosiores pecunias, & hærentem altius, ipsa necessitate ministerij, autoritatem sperant. Absint, ut tam sordidæ tamque humiles curæ in tam excelsas mentes ascendant.

Cre-

Crediderim ego potius acti vos æmulatione vestrorum Principum anhelare gloriam, cujus semper sitientissimi fuistis, injurias persequi, majestatem asserere, imperia dilatare. Sed per Deum immortalem & per tot dilecta regnorum pignora, vos obsecro, videre ac diligenter perspicere, ne vehementissimus gloriæ appetitus aversos agat à gloria. Vos illam in turbido quæritis, sed omnes jam mortales appetunt in sereno. Cogitate vbinam major cælestium virtutum claritudo, an cum tonitruorum fragoribus strepente mundo, ignes undique iaciuntur & fulmina; an cum puro & defecato die ridet amæna lux, & ex humanis animus omnem mœstitiam discurit? Timendam satis hactenus fecistis dominorum potentiam, reddite, si placet suavem, facite, quo solo invicta est, amabilem. Non est hæc Principum amplitudo, semper armorum fremere terroribus, & apparatu bellorum, ore igneo tormentorum æneorum pronuntiare sæva, hos catenis, illos gladijs destinare, circumferre ignes & tela, ire per fumantes urbes, per calcata miserorum corpora, omnia exhaurire, ne exhauriantur. Quãto illud gloriosus est, felicissimi sideris more, ambire cuncta mente placida, virtute beneficâ, res lapsas erigere, solari mœstas, dissipatas colligere, & diuulsas componere? Hoc cœlesti passu dum laboranti mundo subveniunt, tot Reges abière ad solidum & inconcussum decus, &c.

§. IV.

HÆc Cassinius, quæ magis ad oratoriæ facultatis vim copiamque accedunt. Nec difficilè erit hæc sequi iam phrasin grandiorem assecuto: cum præcipua eius facultatis vis consistat, in membrorum plurium, dissolutè intra eandem periodum congestorum acervatione. Quod fit enumeratione, ac distributione partium, adiunctorumque. Ita enim, & distinctio rerum mentem illustrat, & multitudo illustrius conspecta perstringit impellitque animum. Expende orationem à principio, Angelus statim ab enumeratione officiorum, factorumque, tum eorum etiam, quæ non moliatur, remotione graphicè depingitur. Quanquam oratorem rarò

cupi-

cupiam tam splendide sese ingressu dicendi ostentare. Modestior, ut vox, sic & oratio primo ordientem decet. Ubi cetera Oratoris hujus vestigia lustraveris, passu haud multum dispari, in reliquis incedentem facile, & animadvertes, & assequeris. Quare pressius huic stylo insistere, vel praeceptionibus, vel exemplis, via equidem necessarium duxero. Possem jam dicta mittori styli genere ad concisum, acutum, & Ciceronianâ moderatione submissum inflectere; sed hanc aliis, ut parum arduam, superiora jam tenentibus, provinciam relinquo: ne mole praeceptorum exemplorumque difficultati rectè scribendi, non tam detraxisse videar, quàm adiecisse.

* * *

LIBER

LIBER III.

Romanæ linguæ eruditio ex Græcorum fontibus & Proverbijs de-prompta.

CAPUT I.

Romanæ eloquentiæ studioso mediocrem Græcæ linguæ cognitionem prorsus esse necessariam: ac de facili ejusdem comparandæ ratione.

MEdiocris Græcæ linguæ cognitio tam Romanæ eloquentiæ studiosis necessaria est, ut sine illa rudes, atq; inter elementarios latinæ linguę palæstritas perpetuò hæsuri sint; neque aliorum intellecturi scripta neque suam cuique mentem, idoneo sermonis usu, exposituri

Cum enim Romanæ eloquentiæ principes Græco omnes sermone imbuti, magna in hoc dicendi vim, proprietatemque animadverterent, atque omnes liberalium disciplinas artium scientiarumque, jam à Græcis excultas, ad se transferrent, usitata illarum nomina, quibus artes, libri, præceptionesque ac leges propositas complexi fuerant, mutare, citra confusionem, vix licuit, citra improprietatem, vix decuit. Ita igitur cum Græcis, ipsa etiam disciplinarum apud latinos rudimenta, in vocibus, participant; ut, nisi utriusque linguæ cognitio societur, nequeant penetrari Ambigua harum disceptatione te non suspendam, mox con-

convincam exemplis, ubi à me dissenseris. Age enim ipsa videamus artium nomina: quid *Grammatica, Syntaxis, Poetica, Prosodia, Rhetorica, Dialectica, Logica, Physica, Mathesis, Ethica, Arithmetica, Geometria Astrologia, Theologia Politia Enclopædia*, sit.hoc nisi è Græcis fontibus hauseris, scienter nunquam exponens? illos si penetres, jam cum nominis etymo facilè explicabis, nam si τὸ γράμμα *literam* esse intelliges, Grāmaticam deliteris, vocibusque inde nati, tractare dices: si oriri syntaxin ex σὺν *cum* & τάττω *ordino*, non ignores? coordinationem hanc, sive constructionem sermonis esse disces. Ita & reliquarum vocum institutionem facilè penetrabis.

Iterum, nunquid ipsa Autorum librorumque, quos voltis, nomina, ac titulos, turpe erit ignorari? Legis *Demosthenem, Aristotelem, Eusebium, Basilium, Chrysostomum* aliosque & quam significandi vim suo claudant nomine nondum assequiris. Audis dari tibi scripti alicuius *procemium* aut *prolegomena, scholia, paralipomena, parerga*: audis *progymnasmata paradoxa, topica, georgica, poliorcetica, pandectas chronologias*, & mille id generis, vocabula, immensâ semper derivandi à Græcis libertate crescentia, nec tamen, quid his vocibus rerum comprehendatur, penetras? quæ inscitiæ labes est pudenda.

Grammaticam non potes capere, semper erroribus mansurus expositus. Nam neque generum, neque declinationum securus es. Quid enim, si Atrides, Clio, Orpheus, epitome, methodus &c. objiciantur, subitò his in genere casibusque tribues? an sine græcarum literarum cognitione dicturus facilè es, *Clius amata orphea dulcem, Atrida moniti, epitomes scripta, methodi neglecta*? An poteris in orthographia securus esse, & Latina à Græcis distinguere? quoties reperias, aqud imperitos Cathologus, Erynnis, musæum, Cythara. Ephœbus, rythmus, diphtera, elemosyna, &c. cum tamen *catalogus, Erinnys, museum, cithara, ephebus, rhythmus, diphthera, eleemosyna* scribendum sit? quoties supervaceneæ Græcorum diphthongi aut vocales inseruntur, quæ Latinis, nisi fortè ad synonymorum distinctionem, minimè competunt. ut quid enim fœcundus, fœlix frænum sylva sydera, hyems, aliaque id genus, non scribuntur pere & i simplex, *facundus: silva*? &c.

An-

An ſyntaxin, tot appendicibus propter Græcorum phraſiologiam ad latinos traductis ſatis aſſequeris? Vnde enim illa? *Varium & mutabile ſemper fœmina. Nigra lanarum. Immori ſtudijs, Furere furorem, Devenire locum*, niſi ab Atticis? Iam ad Poeſin ubi veneris, quis vel ipſa Muſarum fontiumque, quibus delectantur, ſine illis nomina intelligat, quid Euterpe, uranie & hippocrene? Quis tot diverſa, carminum poematumque exponet dignè genera? quid *dimetrum, trimetrum, tetrametrum &c.* quid *dicolon, tricolonque*, quid *ſtrophe*, quid *antiſtrophe*, quid *epicedium epitaphiumque* &c.? Quis tuta ſatis pronuntiatione ita quælibet efferet? ut brevianda non extollat, extollenda non breviet? qui ſana quantitate utetur, *Areòpagus* & *Oenopôlium* antepenultima ſyllaba elata dicet? contra penultimam tollet in *Philetimus, Agapitus* aliiſque, ſecus quam multi faciunt. Ad Rhetoricam, Philoſophiam, Medicinam, aliaſque diſciplinas pari incedam paſſu, & quo longius progreſſus fuero, plura ſeſe ex Græcis derivanda rivulis offerent. Quot tropi, figuręque Rhetorum ab illis ducuntur? Quis inter Philoſophos ex Hellade titulos non mutuatur? inter Medicos vix morbus vix herba eſt, quæ hinc ſuã non trahat originẽ. Quid *Phthiſis, Catarrhus, paralyſis, epilepſia ophthalmia, phreneſis, Lethargus, Chiragra, Odontalgia hemicrania pleuritis &c* hoc vix alii tibi præterquam Græci ſcienter dicturi ſunt. Quære ex Mathematico græcæ linguæ perito quid ſit *diameter, peripheria, parallelum, trigonum, hexagonum &c.* ex ipſis ſtatim vocibus rem definiet. Quæ univerſa ſi in aures minimè Atticas inciderint, monſtra quædam verborum principio videberis obtrudere, & deinde cum frequentia audiendi hæc rere cœperint, nondum tamen ſua hæc virtute penetrabunt, cùm, qui Atticus eſt, ad primas ſtatim voces ſenſum hauriat loquentis, neque ingrata voluptate, ex aptiſſima ſæpe Græcarum vocum fictione, perfundatur. Nam ut Homeri exemplis in Batrachomyomachia utar. Quid mirabilius illis, quas hic fingit vocabulis? quid rurſum amœnius cum ſenſum penetras? alia illi ranarum φυσίγναθος dicitur, quod buccas inflet, à φυσάω inflo, & γνάθος bucca: alia κραμβοφάγος, braſſicam vorans, quod κράμβη braſſica, φάγω comedo ſit: alia ὑδροχαρὴς aquis gaudens ab ὕδωρ

aqua:

aqua : alia πηλοβάτης per lutum vadens à πηλὸς lutum. Contra Murium alius Τρωξάρτης vorator panis, à τρώγω voro, & ἄρτος panis, dicitur; alius Ψιχάρπαξ raptor micarum, à ψὶξ mica, & ἅρπαξ raptor: alius Τυρογλύφος sculpens caseum à τυρὸς caseus, & γλύφω sculpo: alius ἐμβασίχυτρος ollas ingrediens ab ἐμβαίνω ingredior, & χύτρος olla: alius λειχήνωρ caudam lambens; alius alia ex Græcis sortitur nomina, quæ verbo uno Latini nequeunt reddere.

Vt mirum sit; quosdam neglectis Græcis, quoddam se Romanæ linguæ compendium facturos existimare, cum dispendium hinc existat gravissimum. Quidquid Græcis temporis suffurantur, geminato & sæpe minus profuturo labore latinis dandum est, nisi ab his propemodum amussi velint discedere.

Jam vero si in autores incideris lautius aliquantò, ex Attica penu, literarias hasce epulas condientes, penè jejunus ab illorum mensis conviva dimitteris. Spectabis hasce lautitias, sed velut alter Midas inter aureum mensæ apparatum, esurienti inutilem. Scita illi spargent Athenatum apophthegmata, gnomas, parœmias, apophoreta alia, tu velut obstupefactis adhuc sensibus hærebis; & quantumvis ex Sapientiæ divinæ humanæque apothecis promant liberaliter, nihil capies. Quid, quod nec ipsas Ciceronis ad Atticum epistolas, aut lecturus sis, aut intellecturus.

Quod si quæ deinde scribenda fuerint, quàm multa occurrunt, quæ paucis propriisque Græci exprimunt vocabulis, Latini non nisi multis aut impropriis, quod illi. e. g. εὐτυχίαν, φιλαυτίαν, ἀναρχίαν, αὐτόματον &c. una voce dicunt, hoc isti pluribus, bonam fortunam, amorem proprium, neglectum regimen, rem seipsam moventem appellant. quod illi ἀποθέωσιν, ἀχαριστίαν, ἀδύνατον, εὐφωνίαν, propriè vocant, hoc latini impropriè canonizationem, ingratitudinem, impossibile, sonoritatem vocis.

Nolim tamen illos Græcanicarum hic vocum laudare aucupes, & importunos nimium Hellenismi sectatores, quales hodie inter heterodoxos plures reperias, qui vel putidæ nimium ostentationis gratia, atque eruditionis quadam affectatione; vel certè obscuritatis & latebrarum quæ-

ſitarum cauſa, paſſim Græcorum vocabulis ſcripta ſua inſerciunt, ubi par, aut quandoque etiam major Romanorum gratia ſuppetit, ne vel parum ineruditi nugatores videantur, vel non aliquem adhibuiſſe erroribus ſuis protegendis colorem; quo ſi minus doctos teneant, rudes ſaltem in admirationem convertunt. Verum hujuſmodi ego Logodædalos & idiomatum corruptores, qui nativa peregrinis adulterant, confuſionemque aliquam linguarum inferunt non magis audiendos in Latio judicem, quàm in Græcis audiſſetur, qui Romanis Atticam eloquentiam vocibus importunè diſturbaret. Subveniant ſibi mutuò nationum diverſarum idiomata; non evertant. Siquid apud Romanos primò natum, vocisque impoſitione notum ſit, Græcis commodatò ſerviat; contra, quod à Græcis venit Latio incognitum, liceat unà cum voce ad mutuam uſurpationem transferre. in reliquis ſuo quiſque ſermone loqui malit, quàm alieno. Ita nos ratio Deuſque inſtituit, qui à tempore vocum diſtinctione gentes à ſe invicem voluit ſeparari, & cuique linguam diverſarum naturarum ingenio formavit idoneam, noluit illos rurſum temeritate humana confundi terminos, quos ipſe divina providentia ſecrevit. Vnde ſi citra neceſſitatem Germanus molliori Gallorum, Romanus Græcorum idiomate ſui emaſculet ſermonis gravitatem, non minori reprehenſione dignus erit, quam ſi Gallus theutonico, aut ſi Atticus Romano intumeſcat. Linguarum commercium, non confuſſio inducenda eſt. Nuſquam eſt, qui ubique eſt. Sua cuique, ut domus, & conjunx; ità & ſermo debet eſſe proprius. Si quid ex Græcorum finibus traductum Romanâ placuit civitate donare, quod neceſſariò modeſtoque uſu comparatum, velut proprium Latini poſſideant, id minimè negligatur. Nam utrique hic peccant; & qui nihil ex Græcis hauriunt fontibus, & qui nimium. Sed horum facilior correctio eſt, qui ex affluentia; illorum difficilior, qui ex inopia delinquunt. Quocirca his ſola admonitione, illis etiam præſidio ſubvenire aliquo decretum eſt.

Præcipuas igitur voces Atticis fontibus ad Latinæ eloquentiæ uſum derivatas, ea ratione proponam; ut Græca, unde originem ducunt, Alphabetico ordine præmittantur, (quod ab una Græcorum radice plura ſæpius ejuſcemodi naſcantur vocabula) unde & memoriæ ſuum erit præſi-

dium

ditum, & facilior ad intelligendum ratio. Nequetantum hic catalogus ad signatas in eodem voces sua vi ac virtute significandi penetrandas profuturus est, sed ad similium quoque formationem viam præstabit. Deinde nulla alia promptior ad Græcæ linguæ cognitionem levi studio pertingendi methodus reperiri poterit; cùm ex Latinis frequentiori usu perceptis, Græcorum peregrinæ magis voces in familiaritatem adducantur, mutuâque hinc Romanus sermo, inde Atticus ope fulciantur, & opera, Latina ex ipsis, vi sua, cognoscantur fontibus; Græca ex Latinis perceptis hæreant. Quocirca volve, ac revolue nonnunquam eô quo tibi apposui, ordine. Græcæ etiam scriptionis hinc aliquando argumenta desume ac brevi experieris, quanto illud studiorum emolumento pertentaris.

CAPVT. II.

Catalogus Romanarum vocum.

à Græca origine derivatarum, in usum utriusque linguæ studiosorum, brevi expositione digestus.

Ἀγγέλλω *nuntio.* Hinc ἄγγελος ὁ angelus: εὐαγγελιστὴς εὐαγγέλιον faustum nuntium & εὐαγγελίζω, unde Evangelista. nam εὖ bene significat.

ἀγαπάω *amo.* Hinc ἀγάπη agape dilectio, & convivia olim Christianorum sic dicta, quod in dilectione communiter celebrarentur. Agapetus ἀγαπητὸς dilectus. Agapeta famulam Deo charam, Agapetes etiam Lenocinatorem designat.

ἀγορὰ *forum, vel oratio.* Hinc ἀλληγορία allegoria, figura, quâ aliud dicitur, aliud significatur. ab ἄλλο aliud. Vnde & ἀλληγορέω aliud sensu, aliud verbis loquor. Categoria propriè accusatio, apud Philosophos ordo prædicabilium. Categorema apud Dialecticos, quod de aliquo prædicatur. à κατηγορέω prædico. Syncategoréma nihil per se, sed cum aliis absolvit sensum.

ἄγρα *captura.* Hinc χειράγρα Chiragra, morbus articularis, manus quasi stringens. ποδάγρα tendicula, item morbus pedum articularis. gonagra, genua stringens. Creagra, fuscinula, quâ carnes extrahuntur, odontagra instrumentum pro dentibus extrahendis. Nam χεὶρ manus, ποῦς pes, γόνυ genu, κρέας caro, ὀδοῦς dens est.

ἄγχη angina. Hinc ἀργυράγχη argentangina. Nam ἄργυρ☉ argentum est.

ἄγρ☉ ὁ ferus. Hinc ὄναγρ☉ asinus ferus, nam ὄν☉ asinus est.

ἄγυρις cœtus. Hinc ἀγύρτης Agyrtes qui populum congregat, πανήγυρις Panegyris, cœtus publicus, item laus alicujus in conventu publico decantata.

ἄγω duco. Hinc ἄγε age, est adhortantis factum. ἀγωγὴ structura orationis, vel educatio &c. ἀγωγὴ structura orationis, vel educatio &c. ἀναγωγὴ anagoge, subductio, relatio &c. διαγωγὴ Diagoge traductio. εἰσαγωγὴ Isagoge, introductio, item scriptio, quâ artis alicujus elementa tradimus. Epacta, ratio quâ colligitur cursus lunaris. ἐπακταὶ ἡμέραι interjecti seu intercalares dies. ἐπακτὸς adventitius. μεταγωγὴ metagoge, translatio. Mystagogus conscius, vel custos sacrorum. παραγωγὴ paragoge, perversio. συναγωγὴ synagoga, congregatio, à verbo συνάγω congrego. σύναξις Synaxis, conventus ad celebrandam cœnam Domini. παιδαγωγὸς puerorum instructor, fit ex παῖς & ἄγω παιδαγωγία, ipsa instructio. παιδαγωγεῖον pædagogium, locus in quo fit instructio. παιδαγωγέω instruo. στρατηγὸς Strategus, dux exercitus. στρατηγέω duco militem. στρατήγημα stratagema, à Duce res gesta, callidum facinus seu consilium, quo hostis circumventus est. ἀντιστράτηγ☉ Antistrategus, vicarius Ducis exercitus. Archistrategus, Dux exercitus. χορηγὸς Choragus, qui chorum duxit. χορήγιον Choragium, locus ubi saltatur, vel apparatus ad saltandum.

ἀγὼν ὁ certamen. Hinc ἀγωνία agonia, certamen ab ἀγών. ἀνταγωνιστὴς antagonista, adversarius.

ἄεθλος ὁ ἄθλος certamen. Hinc ἀθλητὴς athleta, certator.

ἄδω, ἀείδω cano. Hinc ᾠδὴ ode, canticum. ᾠδεῖον Odeum, locus ubi canitur. ἐπῳδὴ epode, vel ἐπῴδιον epodium, quod odæ accinitur, epodus, versus longiori oppositus. Exodium, ridiculum carmen, quod in fine fabulæ canebatur, προσῳδία accentus. θρηνῳδία Threnodia, carmen lugubre, componitur ex θρῆνος luctus, & ᾠδὴ carmen. κιθαρῳδὸς vel κιθαραοιδὸς Citharœdus, qui cithara canit. κωμῳδία comœdia, genus poëmatis, quod iuvenes olim in vicis solebant quæstus gratia canere; fit ex κώμης vicus, & ᾠδὴ cantus. μελῳδία modulatio, fit ex μέλος carmen, & ᾠδὴ, μονῳδία, cum unus tantum canit. Item sumitur pro carmine lugubri nam μόνος solus est. παλινῳδία, recantatio, vel sententia priori contraria; nam πάλιν iterum est. ῥαψῳδία Rapsodia contextura carminum, componitur ex ῥάπτω consuo. τραγῳδία tragœdia derivatur à τράγος caper: is enim solebat esse tragœdiæ præmium, ὑμνῳδία. ψαλμῳδία cantus hymnorum & psalmorum αὐλῳδὸς. ψάλτης psaltes, canens psalmos, tibicen, ab αὐλὸς tibia, ἀηδὼν Aedon, luscinia, ab ἀείδω Aeolica mutatione ει in η.

ἀείρω tollo. Hinc μετέωρα meteora, sublimia. ex μετὰ & ἀείρω tollo, vel μετέωρα, à μετέωρος sublimis.

ἀέξω, αὔξω augeo. Hinc αὔξησις auxesis, augmentum.

αἰδὼς ὁ, οῦς, ἡ verecundia. Hinc αἰδέσιμος Ædesimus venerabilis. κίναιδος Cinædus, impudens, levis.

αἴθω uro. Hinc Aethon Equus solis, & Phaethon, à φάω luceo, & αἴθω.

αἰθὴρ ὁ æther. αἰθέριος ætherius.

αἶνος fabula. Hinc αἰνίσσομαι obscurè loquor, & αἴνιγμα ænigma, oratio verborum involucris tecta.

vel ἄνω ὁ laus. Hinc parænesis. adhortatio, παραινέω suadeo, ab αἰνέω laudo.

αἷμα τὸ sanguis. Hinc αἱματίτης hæmatites, lapis sanguinis colorem referens.

αἴξ αἰγὸς ἡ capra. Hinc αἰγὶς ægis, pellis caprina. Ægipanes, hoc est capri & panes, seu sacri. αἰγοκέρως Capricornus.

αἱρέω vel αἱρέω sumo, eligo. Hinc αἵρεσις hæresis, expugnatio, electio, secta ἐξαιρέσιμος, dies à Græcis ex mense exemptibilis, ut ἐμβόλιμος dies qui interijciebantur. ἀφαίρεσις aphæresis, ablatio, cui opponitur πρόσθεσις. διαίρεσις diæresis, divisio, cui opponitur συναίρεσις. ὑποδιαίρεσις hypodiæresis, subdivisio.

ἀθηνᾶ Minerva. Hinc, ἀθηναῖον, locus ad quem poëtæ ferebant sua carmina, ab ἀθηνᾶ Minerva, à quâ urbs Athenæ dicta.

ἄκανθα spina. Hinc ἀκανθὶς acanthis, carduelis, quæ spinis vescitur. Item frutex acanthus spinosus est.

ἀκέομαι sano. Hinc πανάκης panaces, πανάκεια morborum curatio, & herba omnes morbos curans.

ἀκὴ mucro. Hinc ἀκινάκης acinaces, hasta persica, ensis quem Scythæ pro Deo habuerunt, quasi ab ἀκὴ mucro, cuspis.

ἀκόνη cos. Hinc ἀκόνιτον aconitum, herba venenata, quæ crescit in cautibus, seu cotibus, alii derivant aliundè.

ἀκροάομαι audio. Hinc ἀκρόαμα acroâma, quod auditur; in bonam & malam partem sumitur. Item persona, quæ auditur.

ἄκρος ὁ summus. Hinc ἀκρωτήρια acroteria, pinnaculum in ædificiis.

ἄλγος τὸ dolor. Hinc odontalgia dolor dentium, nam ὀδοὺς dens est, & cephalalgia capitis dolor nam κεφαλὴ caput est.

 ἀλείπω

ἀλείφω inungo. Hinc ἀλείπτης Aliptes, unctor qui athletas in gymnasio inungebat. Alipterion locus ubi post balnea inungebantur, συναλοιφὴ Synalœphe, & episynalœphe, quasi commixtio Syllabæ.

ἀλέξω arceo. Hinc ἀλεξιφάρμακον alexipharmacum remedium arcens venenum, nam φάρμακον tam venenum, quam medicamentum significat.

ἄλλος alius. Hinc παράλληλος parallelus, æquè distans.

ἀλλάττω muto, Hinc διαλλαγὴ Diallage, differentia, à verbo διαλλάττω vario. ὑπαλλαγὴ hypallage, immutatio, schema orationis, ab ὑπαλλάττω.

ἅλλομαι salio. Inde halter, pila plumbea est qua se librabant halmate, id est saltu certantes, ἐφάλλομαι insilio, Inde ephialtes morbus, noctu cubantes, ex repentina humoris aggravatione, premens.

ἀλκὴ robur. Hinc Alcides Hercules fortè dictus est.

ἅλς ἁλὸς ἡ mare, unde haliæetus aquila marina, halieuticon, quod de piscatione est.

ἀλώπηξ vulpes. Hinc ἀλωπηκία alopecia, morbus quo capilli excidunt.

ἀμείβω muto, alterno. Hinc ἀμοιβαῖος amœbæus, alternus, & carmen amœbæum, in quo alternis sibi respondent.

ἄνθος τὸ flos. Hinc ἀνθεστήρια anthesteria, floralia, ita vocabantur bacchanalia. Hinc non semper anthesteria. πολυανθὴς floribus abundans τὰ πολυανθία quæ floribus abundant, nam πολὺ multum est. Anthologia florilegium. Chalcanthum atramentum sutorium, seu flos æris: nam χαλκὸς æs est.

ἀνὴρ ὁ vir. Hinc Andron-onis, locus ubi viri habitant.

ἄντλος ὁ Sentina. Hinc ἐξαντλεῖν exantlare, exhauri-

re, à verbo ἐξαντλέω exhaurio. ἀντλίον vas quo sentina exhauritur.

ἄνθρωπος *homo*. Hinc Lycanthropus, homo in Lupum versus, Misanthropus homines exosus.

ἅπτω necto, annecto. Hinc ἁψὶς, ῖδος. absis, fornix, arcus.

ἀργὸς ὁ *albus, piger*. Hinc λήθαργος Lethargus, inexpugnabilis somnus, nam λήθη à λήθω lateo oblivionem signat.

ἀριθμὸς ὁ *numerus*. Hinc ἀριθμητικὴ arithmetica, ars numerandi, subintellige ἡ τέχνη ars, ἀριθμέω numero.

ἄρκτος ὁ καὶ ἡ *ursus vel ursa*. Hinc ἀρκτῷος septemtrionalis.

ἄξιος ὁ dignus. Hinc ἀξίωμα axióma, dignitas, vel enunciatum, apud Dialecticos pro communi veritate receptum.

ἁρπάζω rapio. Hinc ἁρπάγη hárpago instrumentum uncos habens, quo vasa ex puteis extrahuntur. Harpastum genus pilæ, quod plures conantur trahere, & extra metam eijcere. Harpe falx, ensis falcatus. Harpyiæ rapaces quædam Deæ, Hesiodus dæmonia allata fuisse scribit, quæ vi homines raperent.

ἄργυρος ὁ *argentum*. Hinc φιλάργυρος philargyrus, avarus. Hydrargyron argentum vivum, ab ὕδωρ, aqua.

ἄρθρον *artus*. Hinc ἀρθρῖτις morbis articularis.

ἄρτος *panis*. Hinc artocreas átis. non artocrea, nam κρέας caro est. Artopta coquus, vel instrumentum in quo coquitur, nam ὀπτάω coquo est.

ἀρχὴ principium, vel ἄρχω impero. Hinc ἄρχων Archon, princeps ἀρχεῖον archivum locus pro scriptis asservandis, χιλίαρχος Chiliarchus, tribunus militum 1000, componitur ex χίλιοι mille. ἱεραρχία hierarchia

chia, imperium in rebus sacris ex ἱερὸς sacer. ἔπαρχος Eparchus, Præses provincialis. ἵππαρχος Hipparchus, præfectus equitum. Hyparchus subpræfectus γυμνασιάρχης vel ος Gymnasiarcha, Gymnasij Præfectus, nam γυμνάσιον locus exercitationis est. ναύαρχος navium præfectus. ὀλιγαρχία paucorum dominatus, ab ὀλίγος paucus. μόναρχος vel ης Monarcha, dominans solus, à μόνος solus. πατριάρχης Patriarcha, primus Patrum πατὴρ pater. τέτραρχος tetrarcha, quartam regni partem tenens. Toparcha Dominus loci. Trierarchus præfectus triremis, ex τριήρης. Archaismus imitatio veterum, ab ἀρχαῖος pristinus & ἀρχαίζω.

ἄρω apto. Hinc ἁρμὸς compages. ἁρμονία harmonia, compages apta, & concentus. ἁρμόζω convenio.

ἀσκὸς, uter. Hinc ἀσκοπήρα ascopera saccus coriaceus, πήρα pera saccus.

ἆσθμα spiritus. Hinc ἀσθματικὸς qui difficulter trahit spiritum.

ἀστὴρ ὁ stella. Hinc ἀστερίσκος astericus, stellula, quâ illustres loci librorum notantur.

αὐθέντης Author. seu Dominus. Hinc αὐθεντικὸς authenticus, authoratus, ab αὐθεντέω authorem me præbeo.

αὐλὸς ὁ tibia. Hinc αὐλητὴς, auletes, tibicen. Hydraulicum organum, quod aquæ decursu sonat, Monaulus tibia simplex, Choraules, Lyraules, Ascaules, utricularius ab ἀσκὸς uter.

αὐτὸς ipse. Hinc φιλαυτία amor sui ipsius, ab αὐτὸς ipse. sic αὐτόματος, ex se ipso mobilis. αὐτοκτόνος qui seipsum occidit à κτείνω.

ἀσπὶς ἡ scutum. Hinc hyperaspites propugnator, ab ὑπερασπίζειν scuto protegere.

B.

B*αίνω gradior.* Hinc epibatæ milites classiarii. *ἐπιβαίνω* conscendo. Epibatra. æ, vel epibatrum naulum vocatur. Scœnobates funambulo, à σχοῖνος, ὁ funis. *βάσις* gressus, pes. Hyperbasis, hyperbaton transgressio amphisbæna, vel amphisibæna serpens biceps utrimque gradiens. anabanthra scalæ, *Juvenalis.* Vado græcé *φάδω* vel *βαδίζω* ab eadem radice *βαίνω.*

Βάλλω iacio. Hinc διάβολος à διαβάλλω calumnior. διαβολὴ calumnia. Abolus qui necdum amisit dentes. ἔμβλημα emblena, quod operi alicui ornatus gratia adijcitur, ab ἐμβάλλω iniicio. ἐμβόλιμος intercalaris, ἐμβολισμὸς intercalatio in anno, vel carmine, quando idem repetitur. Embolia orum ridicula, quæ scenæ inserebantur ἡ παραβολὴ parabola, comparatio. παραβάλλω comparo, Pyrobolus ignes jaculans, peribolus, ambitus terræ, πρόβλημα problema quod explicandum obiicitur, προβάλλω obiicio. σύμβολον symbolum, nota, signum συμβάλλω coniicio. asymbolus nihil conferens. ὑπερβολὴ, exuperantia, ὑπερβάλλω exupero. Amphibolia sermo dubius. Balista instrumentum bellicum, quod jacitur, Balistarius qui præest Balisterium locus instrumentorum. Bolis βολίς-ίδος perpendiculum nauticum quo explorant profundum.

Βάπτω tingo. Hinc βαπτισμὸς vel μα baptismus, ablatio: à βάπτω tingo. Baptista. Baptisterium. βαφεῖα Baphia, loca ubi tinguntur panni. Embamma cui intingimus, v.g. acetum, sinaphi. Abaphus non tinctus, Dibaphus

Dibaphus bis tinctus. ἀναβαπτιστής anabaptista, rebaptizator.

Βασιλεὺς *Rex.* Hinc βασιλικῶς, basilicè, regaliter, βασιλικὴ Basilica, regia domus. βασιλίσκος Basiliscus, Regulus, serpentis genus.

Βάτραχος ὁ καὶ ἡ *rana.* Hinc Batrachomyomachia murium & ranarum pugna, qualem Homerus descripsit. à μῦς & μάχη pugna.

Βίβλος ἡ *papyrus.* hinc βιβλίον liber. βιβλιοθήκη bibliotheca à θήκη theca, & βιβλιοπώλης librorum venditor; à πωλέω vendo.

Βίος ὁ *vita.* Hinc Amphibia in aqua & terrâ viventia, Cœnobium ubi in communi vivitur. Lychnobius ad candelam vivens. nam κοινὸς communis, λύχνος lucerna est.

Βοῦς ὁ καὶ ἡ *bos.* ἑκατόμβη Hecatombe sacrificium centum boum, ex ἑκατὸν centum, & βοῦς bos. Bulimia & bulimus voracitatis morbus à βοῦς & λιμὸς fames. Bucephalus Alexandri equus bovino capite; nam κεφαλὴ caput est.

Βόω *pasco.* Hinc προβοσκὶς promuscis. Cicero Elephantorum manum appellat, à βόσκω vel βόω.

Βραβευς *Brabeuta, seu præmiator certaminis.* βραβεῖον bravium, victoriæ præmium.

Βράγχος ὁ καὶ τὸ *raucedo.* Hinc τὰ βράγχια branchiæ, quibus pisces spirant, quæ illis sunt loco pulmonis datæ. à βράγχος raucedo, quoniam illa faucibus accidit.

Βραχὺς *brevis.* Hinc Amphibrachis utrimque brevis. Vt pes metricus Poëtarum est.

Βριάω *robustum reddo.* Hinc βριαρεὺς Briareus, robustus.

Βροτὸς *mortalis.* Hinc ἀμβρόσιος immortalis, ἀμβροσία Deorum nectar, Abrotonum herba semper virens.

Βρίμω

Βρέμω *fremo*: Hinc Bromius Bacchus dicitur.

Βρύω pullulo. Hinc ἔμβρυον Embryo, infans utero conclusus.

Βυθὸς vel βυσσὸς ὁ fundum vel gurges. Hinc abyssus fundo carens.

Βουλὴ consilium. Hinc Aristobulus, quasi optimi consilii.

Γ.

Γαῖα *vel* γέα *vel* γῆ *terra*. Hinc hypogéa loca subterranea. κατάγειον vel γεῖον cænaculum in prima parte domus. Anogéum in suprema parte. Geodæsia terræ dimensio. γεωδαίτης dimensor à δαίω divido.

Γάλα τὸ *lac*. Hinc ὀξύγαλα lac acidum.

Γαμέω *uxorem duco*. Hinc digamus, qui duas uxores habuit, polygamus qui plures. digamia quoque & polygamia, duarum, aut plurium uxorum possessio.

Γαργαρεὼν *guttur*. Vnde gargarizo guttur abluo,

Γελάω *rideo*. Hinc gelasini dentes primores, qui risu nudantur. γελασῖνοι.

Γείνομαι *vel* γίνομαι *nascor*. Hinc γένεσις, ortus. γενεθλιακὸς Genethliacus, ad diem natalem spectans. heterogeneum alterius generis. homogeneum unius generis. Theogonia origo Deorum. γένος genus. γεννήτωρ genitor,

Γινώσκω *cognosco*. Hinc γνώμη sententia, & γνώμων ονος gnomon, cognitor, regula, item stylus horas indicans. Prognosticon signum rei venturæ. φυσιογνωμία, scientia qua naturæ hominum ex aspectu corporis, ac præsertim vultus dignoscuntur. ex φύσις natura. Cardiognostus inspector cordis. Anagnostes lector.

Γλύφω

γλύφω vel γλάφω sculpo, Hinc ἱερογλύφικα dicta apud Ægyptios sacra quædam monumenta non litteris, sed sculptis rerum figuris significantia, ab ἱερὸς sacer. Anaglypha, vel anaglypta, vasa aspera signis insculptis.

γλαυκὸς *glaucus.* Hinc glaucóma oculi vitium, cum glaucescit.

Γλῶσσα *lingua.* Hinc βυγλῶσσος. Buglossus, boum linguæ similis Herba. ex βοῦς bos. &c. Polyglotta nomen avis, multarum in cantu vocum. Epiglottis lingua ad fauces, item morbus quo intumescit.

Γνάθος ὁ *maxilla.* Hinc γναθων· ωνος. Gnatho, parasitus, quadrâ victitans alienâ.

Γράφω *scribo.* Hinc γραμματικὴ Grammatica, subintelligitur τέχνη. à γράμμα litera. ἀρχιγραμματεὺς Archigrammateus. γραφικῶς graphicè, expressè. Graphium stylus scriptorius. Graphiarium theca pro stylis, anagramma. Anagrammatismus, literarum transpositio, à verbo ἀναγραμματίζω. Chalcographus qui incidit in æs litteras &c. Tetragrammaton quatuor literarum. Epigramma, inscriptio cum acumine. epigraphe, inscriptio. Hagiographus sacer scriptor. Paragraphus figura, seu nota dividens, quali olim comœdia dividebatur, συγγραφὴ Syngrapha, scriptio ac cautio. γεωγραφὴ Geographia, terræ descriptio. καλλιγραφὴ calligraphia, elegans scriptura, à κάλλος τὸ pulchritudo. Sciagraphia umbratilis delineatio, à σκιὰ umbra. Ichnographia futuri operis descriptio, ab ἴχνος vestigium &c. orthographia, recta scriptura, ab ὀρθὸς rectus &c. topographia, locorum descriptio, ex τόπος locus &c. opistographus à tergo scriptus, nam ὄπισθε retrorsum. Chorographia regionum descriptio à χῶρος regio, locus, Monogrammi metaph. homines macri, à picturâ solis lineis sine colore depicta, quæ mo-

nogram-

ßogrammon dicta est. χειρόγραφον chiropraphum. cautio manu alicuius scripta, à χεὶρ manus &c. typographus, typo imprimens. typographia, ubi typis libri mandantur, à τύπτω tundo.

Γράω *comedo.* Hinc gangræna morbus est cancer dictus, qui carnem exedit.

Γρῖπος vel γρίφος *orete* aut γρῖφος τὸ. Hinc Griphus. Logogriphus sermo ænigmaticus.

Γρὺψ γρυπὸς & γρῦφες aves rostro adunco. Hinc grypus qui habet nasum aquilinum.

Γυμνὸς *nudus.* Hinc γυμνάσιον gymnasium, locus in quo nudi sese exercebant: item sumitur pro schola. γυμνάζω exerceo. Gymnas-adis Schola. Progymnasma præexercitatio.

Γυνὴ *mulier.* Hinc γυναικεῖον gyneceum. locus interior in ædibus, in quo mulieres solæ versabantur. Androgynos vir & mulier simul. Gynæconitis, idem quod Gynæceum.

Γωνία *angulus.* Hinc τετράγωνος quadrangulus. τρίγωνος triangulus. trigonum, octogonum &c. triangulare &c.

D.

Δαίμων *Numen vel Deus.* Hinc δαιμόνιον Dæmonium, Deus vel Dea suprema. In novo testamento pro Diabolo sumitur. κακοδαίμων Cacodæmon, malus genius.

Δαίω *nosco.* Hinc Dædalus artifix ingeniosus, & Logodædalus verborum artifex.

Δαὶς τὸς *epulum.* Hinc διαιτᾶσθαι certam victus rationem instituere, Diæta certa victus, vel consiliorum ratio, unde tam de cænaculo, quàm comitiis dicitur.

Δακρὺ *fletus* Hinc lacryma quidam formant.

Δαμάω *domo.* Hinc, ἀδάμας quasi indomabilis.

Δείκνυμι *ostendo.* Hinc παράδειγμα exemplum, à verbo παραδείκνυμι juxta ostendo. comp. ex παρὰ & δεῖγμα documentum. ἐπιδεικτικὸς, epidicticus, demonstrativus. δάκτυλ☉ digitus quia digitis ostendimus. Dactylotheca, annulorum theca. nam δακτύλι☉ annulus est.

Δέχομαι *contineo.* Hinc πανδέκται libri juris veteris. à πανδέχομαι omnia complector. ξενοδοχεῖον hospitalis domus, à ξέν☉ hospes.

Δέμω *ædifico.* Hinc domus ædificium.

Δέω *ligo.* Hinc ἀνάδημα anadema, quo aliquid redimitur à verbo ἀναδέω revincio. diadema, redimiculum capitis regium, seu corona à διαδέω circumligo. asyndeton dissolutio, polysyndeton &c. figuræ Rhetoricæ inter se contrariæ.

Δέρκω video. Hinc Δράκων Draco, quasi acutùm videas.

Δεσπόζω *dominor.* Hinc δεσπότης dominus, & despoticus, dominativus.

Δῆμ☉ *populus.* Hinc epidimia morbus communis populi, non tamen patrius. Inde & Nicodemus, & demonicus, idem quod Nicolaus, victor populi. à νίκη victoria.

Δίκτυον *rete.* Hinc Dictynna venatrix, ut Diana dicitur.

Διαίνω humecto. Hinc Adianton herba, semper sicca & virens.

Δίδωμι *do.* Hinc apodosis redditio, explicatio, antidotum, contra venenum datum remedium.

Διδάσκω *doceo.* Hinc διδάσκαλ☉ Didascalus, magister. hypodidascalus quasi subpræceptor. Didactrum minerval, seu stipendium quod Præceptori datur. Didacticus doctrinalis.

Διαιτ

Δίκη *causa, justitia* Hinc ἄδικος, injustus; item ultor, defensor. σύνδικος, Syndicus qui in causa patrocinatur.

Διπλόος-πλοῦς *duplus*. Hinc diplois toga duplicata. διπλόω, διπλῶ duplico. diplóma publicum decretum principis. epandiplòsis, reduplicatio, figura.

Δίψα *sitis*. Hinc Dipsas quædam viperæ species inde dicta, quod, qui eâ morsus est, siti inarescat. adipsa, medicamenta sitim extinguentia.

Δοκέω *video, censeo*. Hinc dogma, certa instructio. Paradoxum quod inopinatum est ex παρὰ & δόξα opinio. Heterodoxus, hæreticus. Orthodoxus recta docens. ab ἕτερος, & ὀρθὸς rectus.

Δόρπον *cœna*. Hinc ἐπιδορπὶς, ίδος, secundaria cœna, unde liber Epidorpidum quasi collectaneorum dictus est. Ἐπιδόρπιον quod est ad cœnam utile. Aliter ἐπιδειπνίδες à δεῖπνον cœna.

Δοῦλος *servus*. Hinc δουλεία servitus, qualis sanctis præstatur. ὑπερδουλεία cultus servitute major, ut Deiparæ.

Δράω *facio*. Hinc δρᾶμα fabula, rei repræsentatio. ἀδράστεια Adrastea, Nemesis, seu ultio Dei, à δράω fugio: quod nemo effugiat.

Δρῦς-υὸς ἡ quercus. Hinc Acrodrya sunt fructus in extremo duri, ut nuces: nam ἄκρος summus est: ἁμαδρυάδες Hamadryades, quæ & Δρυάδες Nymphæ dictæ, quod cum quercubus nasci & interire crederentur, nam ἅμα simul significat.

Δύναμαι *possum*. Hinc δυνάστης dynasta, princeps. δυναστεία principatus δύναμις potentia, inde & δύνατος possibilis & ἀδύνατον impossibile.

Δύνω *ingredior*. Hinc ἄδυτον adytum, locus templi secretior solis sacerdotibus patens. Apodyterion locus ubi lavaturi vestes exuebant.

Δῶρον *donum*. Hinc Pandora Dea, seu virgo, Iovis iussu à Vulcano facta, ad quam singuli Deorum sua dona contulerant. Inde & Polydorus, Theodorus Dorotheus &c.

E.

ἕδος τὸ. vel ἕδρα *sedes*. ab ἕζομαι, fuit. ἕδομαι sedeo. Hinc ἐξέδρα exedra, vel exhedra, propriè in ædificiis ædes addita porticibus καθέδρα sedes docentium. Synedrium concilium, vel concessus.

ἔθνος τὸ *gens*. Hinc ethnicus, gentilis.

εἴδω *video, scio*. Hinc εἴδωλον idolum, simulacrum, & idololatria εἰδωλεῖον idolium, templum idolorum. & ἰδέα, species εἰδύλλιον passim notæ rei carmen vulgare.

εἴκω *similis sum*. Hinc εἰκὼν icon, imago propriè rei corporeæ. ἐπιείκεια æqui & boni ratio. ἐπιεικὴς omnibus æquus & idem.

εἴρων *dissimulator*. Hinc εἰρωνεία ironia, dissimulatio in oratione.

ἔλαφος ὁ καὶ ἡ cervus. Hinc τραγέλαφος hirocervus nam τράγος hircus est.

ἕλκω *traho*. Hinc helcyarii equi, qui trahunt, helcyum instrumentum ante pectus equorum.

ἐλέγχω *arguo*. Hinc ἔλεγχος elenchus, argumentum, indicium.

ἔλεος ὁ καὶ τὸ *misericordia*. Hinc ἐλεημοσύνη eleemosyna, & ἐλεέω misereor. fut. ἐλεήσω, unde. Hor. 1. Imper. ἐλέησον miserere. Hinc & ἐλεγεία, ἐλεγεῖον & ἔλεγος carmen flebile esse videtur.

ἕλλην *Græcus*. Hinc ἑλληνισμὸς Hellenismus, græcorum imitatio.

ἐνόω *quatio*. Hinc Enosigæus vel Ennos, Neptunus, sic dictus, quod γαῖαν, terram quatiat.

ἔντερον intestinum, vel ἐντὸς intus. Hinc δυσεντερία dysenteria, intestinorum tormina, nam δὺς est particula

cula adversans, Lienteria, lævitas intestinorum, cibos concoctos elabi sinens, à λεῖον læve. Hinc quoque ἐξεντερίζω exentero.

ἑπτὰ *septem*, ἕβδομος septimus. Hinc ἑβδομὰς hebdomas, septimana.

ἔπω *dico*. Hinc ἔπος verbum, aut carmen heroicum.

ἔρευθος *vel* ἐρυθρὸς τὸ *rubor*. Hinc ἐρυθραῖος rubescens, ut mare Erythræum.

εἴργω *vel* ἔργω *includo* ἕρκος τὸ *vallum*. Hinc Poliorcetes, urbem obsidens, poliorcetica à πολιορχέω à πόλις urbs machinæ quibus civitates oppugnantur.

ἔργον *opus*. Hinc γεωργικὰ georgica, ad rem rusticam pertinentia, ex γέα terra, & ἔργον. Parergon, quod est præter susceptum opus. πανουργία vafrities. πανοῦργος versipellis, à πᾶν omne. θαυματουργὸς qui miracula edit à θαῦμα miraculum. λειτουργία Liturgia, sacrificium seu ministeriũ quod circa cultũ Dei obitur. Energia, efficacia. Hinc & ἐνεργέομαι vi, aut spiritu interno agor, quare energumenus obsessus à Dæmone dicitur. Ergastulum officina vel carcer, ab ἐργάζομαι. Chirurgus, qui manu medica operatur, χεὶρ manus & ἔργον.

ἐρείδω *fulcio*. Hinc ἀντήριδες anterides, fulcra domum sustinentia.

ἐράω *amo*. Hinc Erato Musa. Erasmus, amatus.

ἔρημος ὁ solitarius, ἡ solitudo, subintellige γῆ quasi dicas, terra solitaria. Hinc & Eremitæ dicti.

ἔρχομαι *venio*. Hinc προσέρχομαι, seu προσελεύθω venio. unde προσήλυτος advena, apud Ecclesiasticos tamen proselyti dicuntur, qui ex paganismo ad Iudaismum transierunt.

ἐρωτάω *rogo*. Hinc ἐρώτημα erotema, interrogatio.

ἔτος τὸ *annus*. Hinc ἐτησίαι, οἱ Etesiæ, venti anniversarii, qui circa decimum, vel duodecim diem ab ortu Caniculæ flare incipiunt. τριετηρὶς trieteritis, triennium.

ἐῦ *bene.* Hinc εὖγε Euge, rectè, benè.

ἔχις ὁ *vipera.* Hinc ἔχιδνα Echidna, vipera femina.

ἔχω *habeo*, *vel teneo, in fut.* ἕξω, *in præter.* ἔσχηκα. ἔσχημαι. Hinc ἑκτικὸς hectica, febris inde dicta, quod corporis habitum occupet ἕξις habitus. λυχνοῦχος lychnuchus, candelam tenens. Echeneis, remora piscis, ab ἔχειν τὴν ναῦν tenendo navim. σχῆμα schema, habitus, sex species alicujus rei. Cachexia malus habitus corporis, vel mentis. Eunuchus spado, ab ἔχω & εὐνὴ cubile. Apocha, acceptilatio, scriptum quo creditor debitorem liberat. Ophiuchus Anguitenens, ab ὄφις serpens, quasi ὀφιόεχος, signum cæleste. Perioche compendium. Parochus à περιέχω contineo, & παρέχω præbeo.

ἔω. *unde* εἰμὶ *sum.* Hinc ὁμοούσιον vel ὁμούσιον, coessentiale. substantiale, compos. ex ὁμὸς unus & οὐσία substantia ab εἰμὶ sum. olim contendebant Arriani ὁμοιούσιον Dei verbum dicendum esse, hoc est, similis substantiæ ab ὅμοιος similis.

Z.

Ζάω, *fut.* ζήσομαι *vivo, victum quæro,* ζωόω ῶ *vivifico.* Hinc ζῶον animal, ζώδιον animalculum, Ζωδιακὸς circulus cœlestis, qui signa gerit duodecim animalium. Zoophyta, quæ mediam habent naturam inter plantas & animalia, ex φύσις natura.

Ζέω *ferveo.* Hinc Apozema decoctum ex herbis, vel aqua variis cocta condimentis, ab ἀποζέω defervesco.

Ζευγνύω *iungo.* Hinc ζεῦγμα, ατος iunctura. cum verò in principio verbum copulans sequentia ponitur, protozeugma, mesozeugma cum in medio; hypozeugma

pozeugma vel hypozeuxis cum in fine.

Ζῆλος *æmulatio*. Hinc zelotypia (vide verbum τύπλω) zelus, æmulatio. Ζηλωτὴς æmulator, zelotes. cacozelia mala æmulatio.

Ζητέω *quæro*. Hinc Ζήτημα quæstio.

Ζύμη *fermentum*. Hinc ἄζυμος azymus, fermenti expers. Hinc ἄζυμα apud Iudæos festum pascha præcedens, quo à fermentatis abstinebant.

Ζωννύω *cingo*. Hinc ζώνη zona, cingulum, vel vestis ad cingendum idonea. Perizoma femorale, & parazonium, gladius ad zonam accinctus.

H.

ἥβη *pubes*. Hinc ἔφηβος ephebus, qui ad pubertatem pervenit. Synephebi simul adolescentes.

ἡγέομαι, *vel.* ἄγω *duco*. Hinc ἐξήγησις exegesis, narratio, à verbo ἐξηγοῦμαι censeo. Cynegetica ad venationem spectantia. κυνηγέτης venator, à κύων, κυνὸς canis.

ἦθος. τό. *mores*. Hinc Ethicus mores spectans. Cacoëthes, malus mos, à κακὸς malus.

ἥλιος *sol*. Hinc ἡλιοτρόπιον heliotropium, à τρέπω verto, flos semper ad solem versus. Heliades filiæ solis seu stellæ.

ἡμέρα *dies*. Hinc ἐφημερὶς Ephemeris, scriptum, quod acta dierum sigillatim complectitur. ἡμερόβιοι in diem viventes.

ἦχος ὁ *sonus*. Hinc ἠχὼ Echo, vox repercussa. κατήχησις catechesis, institutio rudium, & κατηχούμενοι Catechumeni, qui fidei rudimentis imbuuntur, à κατηχέω, κατηχίζω doceo prima religionis fundamenta, κατηχιστὴς catechista, qui docet.

θ.

θάλλω *vireo.* Hinc θαλεία Thalia, una ex novem Musis.

θάλασσα mare, inde architalassus maris præfectus.

θάλαμος ὁ nuptiæ. Hinc Epithalamium, carmen nuptiale.

θάπτω *sepelio.* aorist. 2. ἔταφον. Hinc τάφος, ὁ sepulchrum, & ἐπιτάφιον sepulcralis inscriptio. Cenotaphium vacuum, seu honorificum sepulchrum, à κενὸς vacuus.

θάρσος τὸ *audacia.* Hinc θρασὺς per metathesin Thraso, audax, jactator.

θεάομαι *specto.* Hinc θέατρον theatrum, locus in quo spectantur ludi; amphitheatrum, ubi circumcirca spectatur.

θεὸς *Deus.* Hinc atheus, qui sine Deo est. Pantheon templum omnium Deorum. ἀποθέωσις apotheosis, Deificatio apud gentiles, cum Cæsares inter Deos referebant. ἔνθεος entheus, in quo Deus est. Vnde Enthusiasmus ἐνθουσιασμὸς, furoris divini afflatio.

θέρω *calefacio.* Hinc θέρμαι thermæ, aquæ calidæ. Thermopolium ubi venduntur potiones calidæ.

θέσπις *divinus.* Hinc Thespiades, Musæ dictæ.

θεωρὸς *contemplator.* Hinc θεώρημα theorema, id quod spectamus. item præceptum, à verbo θεωρέω specto, contemplor. Theoria, speculatio.

θὴρ ὁ *fera.* Hinc θηριακὴ theriaca subintellige ἀντίδοτος, medicamentum adversus venena omnia efficax, ex ferarum & serpentum carne confectum. πάνθηρ Panthera, à θὴρ fera, diciturque etiam πανθήρα sed in alia significatione. Theriotrophium, locus est ubi aluntur feræ.

θλίβω

θλίβω elido. Hinc Echthlipsis, elisio.

θρὶξ capillus. Hinc ὕστριξ hystrix, pilos suillos habens. Est animal quoddam ex erinaceorum genere. comp. ex ὗς & θρὶξ capillus τρίχες à θρὶξ tricæ.

θράω sedeo. Hinc, Thronus solium, Throni, Angeli.

θυμιάω odores incendo. Hinc θυμίαμα thymiama, suffitus ex aromatibus.

θυμὸς ὁ animus. Hinc Thymus-um θύμος vel-ον. herba odorifera, quæ adhibetur iis, qui deliquium animi patiuntur, ἐνθυμέομαι, cogito, enthymema, conceptus vel argumentum.

θύρα ianua. Hinc διθύραμβος Dithyrambus carmen furentis, vel cognomen Bacchi, quod ebrii arcana non retineant, sed vinum os faciat, δίθυρον bipatens, Pseudothyron, ficta porta. Prothyron, vestibulum, Hyperthyron, superliminare.

θύω sacrifico. Hinc θύρσος thyrsus, hasta hederis vestita, quæ in honorem Bacchi gestabatur. εἰδωλοθύτης idolis immolans, εἰδωλόθυτον Idolothytum, idolis immolatum, ab εἴδωλον idolum. Thyas, adis Mænas furens, Thyasus saltatio in Orgiis, θυάζω celebro orgia.

I.

Ἰάομαι medeor. Hinc Archiater vel-iatrus medicorum princeps, ἰατρὸς medicus.

ἴαμβος pes metricus. Hinc χωλίαμβος Choliambus scazonticum carmen; à χωλὸς claudus.

ἰάχω clamo. Hinc, Iachus, Bacchus ἴακχος.

ἴδιος proprius. Hinc ἰδίωμα idioma, proprietas, vel Idiotismus, proprietas linguæ. Idiota privatus, aut rudis.

ἴον viola. Hinc ianthinus, violaceus, ab ἴον & ἄνθος flos.

ἵππος *equus*. Hinc ἐφίππιον ephippium, sella equi.

ἴσχιον *lumbus*. Hinc ἰσχιὰς Ischias, lumborum morbus. ἰσχιατικὸς qui illo laborat.

ἴσος *æqualis*. Hinc Isoperimetra figura apud Mathematicos, quæ parem ad alia circumferentiam habet, à μέτρον mensura.

ἵστημι *sto*. Hinc στάδιον mensura pedum sexcentorum, stadium. item pro loco certaminis. hinc stadiodromi, qui currunt in stadio, stadmus, statio. ἀποστασία apostasia. ἀνάστασις anastasis, surrectio. In sacra scriptura sumitur pro resurrectione mortuorum: nam ἀνίστημι surgo. Apostema ab[illegible]essus corporis ab, ἀφίστημι abscedo. ἀποστάτης apost[illegible]a, transfuga, ab ἀποστατέω. Exstasis, emotio mentis. Enstasis, instantia litis, & causæ. ab ἐνίστημι interpono. Parastades, postes ianuæ ab utroque latere adstantes, παραστὰς, άδος, παρίστημι juxta pono. ἀντιπαράστασις, nomen figuræ Rhetoricæ, quidam exponunt obsistentia, & ἀντιπερίστασις circumobsistentia contrarii. σύστημα systema, coagmentatio, collectio ab συνίστημι congregor. ὑπόστασις, subsistentia naturæ, à verbo, ὑφίστημι subsisto. στατὴρ pondus 4. drachmarum, stater, ab ἵστημι.

ἴστωρ *peritus*. Hinc ἱστορικὸς historicus. ἱστορία historia, cognoscendi studium, rerum gestarum expositio, ab ἴστωρ-ορος sciens. Polyhistor, multiscius.

K.

Καθαίρω *purgo*. Hinc catharma, purgamentum, & homo vilis, catharticum quod purgat, cathari, hæretici dicti, quasi puri.

Καινὸς *novus*. Hinc ἐγκαίνια encænia, dedicatio rei novæ.

Καύτω *uro*. Hinc καυτήριον cauterium, locus ubi inu-

runtur partes affectæ. Caustica medicamina, quæ habent vim calefactivam. Encauster, inustor, seu pictor, qui encausticen exercet. ὑπόκαυστον hypocaustum, quod succenditur. ὁλόκαυστον holocaustum, quod totum concrematum.

Κακὸς *malus*. Hinc cachexia malus corporis habitus. Cacostomachus, qui est malo stomacho. Cacozelia mala affectio &c. quæ aliis locis reperies.

Κᾶλον *lignum*. Hinc calopodia, calceamenta lignea.

Καλέω *voco*. Hinc ἐκκλησία ecclesia, evocativus cœtus. In scripturis sacris significat cœtum universum ad vitam æternam evocatum, ἐκκλησιαστὴς concionator, ab ἐκκλησιάζω concionor, Calendæ, primi mensis dies. παράκλητος Paracletus, advocatus vel intercessor à παρακαλέω advocor.

Καλύπτω *tego*. Κάλυξ flos clausus, clypeus qui tegit corpus, ἀποκάλυψις revelatio, retectio. ἀποκαλύπτω retego; Calyptra flammeum velum muliebre capitis. κατάλυψις obvelatio, καταλύπτω obvelo.

Κανὼν, όνος, ὁ *regula*. Hinc κανονικὸς regularis, seu regulæ consentaneus.

Καπνὸς ὁ fumus hinc ἄκαπνος fumo carens. ligna acapna, Martial.

Καρδία *cor*. Hinc cardiacus, morbus qui cor affligit. Cardialgia, dolor cordis.

Κάρηνον *caput*. Hinc κρανίον cranium, calvaria, aliquando caput, à κράνον vel κάρηνον. ἡμικρανία hemicrania, morbi genus, quando dimidia pars capitis dolet.

Καρκίνος ὁ *cancer*. Hinc καρκίνωμα carcinoma, morbus partis purulentæ.

Καρπὸς, ὁ *fructus*. Hinc Pancarpiæ-arum. Fest. pancarpinum vel pancarpia-orum, fructus omnis generis

neris, vel corona ex floribus fructibusque.

Κεῖμαι iaceo. Hinc κειμήλιον cimelium dicitur, quidquid in suppellectile pretiosius est, aut etiam bonum immobile.

Κέλευθος, ου, ἡ via, hinc ἀκόλουθος sequens, comes, & ἀκολουθέω sequor, quanquam & alii à κωλύω prohibeo ἀκώλυτος, quasi non prohibitus, ducant.

Κέλω hortor. κέλευσμα celeusma, clamor hortatorius, propriè de remigibus dicitur ἀρχιλεύω iubeo. Proceleusmaticus, pes metricus est, ad hortandum idoneus.

Κεντέω stimulo, pungo. Hinc κέντρον centrum, stimulus, umbilicus, sive punctum in medio circuli.

Κεράω & κεράννυμι infundo. Hinc κρᾶσις mixtio aquæ cum vino. Item figura apud grammaticos, in unam syllabam coitio. Acratismus ientaculum, quo ferè offulas meraco immersas sumebant. ἀκρατίζειν ientare. Acratocothones, vino impermixto seu meraco utentes, nam ἄκρατος purum. κώθωνες pocula erant compotantium. κρατὴρ crater, vas in quo vinum misceretur, & signum cœleste.

Κέρας, ατος τὸ cornu. Hinc Monoceros Rhinoceros comp. à μόνος solus. ῥὶν nasus. Aegoceros, Capricornus signum cæl. ab αἴξ capra. Cerastes serpens habens quatuor cornua.

Κεραυνὸς ὁ fulmen. Cerastes Acroceraunia, summi montes obnoxii fulmini in Epiro.

Κέρκος, ἡ cauda. Hinc κέρκωψ cercops, animal caudatum. Cercopithecus simia caudata, à πίθηκος simia.

Κεφαλὴ caput. Hinc Bucephalus equus Alexandri, à bovis nota in capite. Anacephalæosis, recapitulatio ab ἀνακεφαλαιόω recapitulo. Acephali, hæretici sine capite.

Κεφαλαία cephalea, dolor capitis. Cephalalgia, idem, ab ἄλγος τὸ dolor.

Κῆδος, τὸ *luctus*, cura. Hinc ἀκηδία acedia. Epicedium carmen, lugubre.

Κηρὸς ὁ *cera*. Hinc κήρωμα ceroma, unguentum pro athletis ex cerâ & oleo.

Κλάζω *clango*. Hinc κλαγγὴ clangor, propriè gruum & avium ceterarum, item tubarum &c. quasi à κλάγγω.

Κλάω *frango*. Hinc ἀνταναклασμὸς antanaclasmus, reflexio, vel retractatio, nomen figuræ. Iconoclastes, fractor imaginum. pyloclastrum vulgò petarda, quod portas frangat.

Κλέπτω *furor*. Hinc κλέψυδρα clepsydra, rapiens aquam. ὕδωρ aqua. Clepsammidion, rapiens arenam, quâ tempus metitur. ab ἄμμος ἡ arena.

Κλῆρος, ὁ *sors*. Hinc κληρικὸς Clericus, quod censeatur in clero sorte electo, opponitur Laico. ναύκληρος navis Dominus, ex ναῦς & κλῆρος.

Κλίνω *inclino*. Hinc κλίμα clima, cœli inclinatio, dicitur esse spacium duobus parallelis inclusum, tanto distinctis interstitio, ut dies longissimus hora dimidiâ, in uno longior, aut brevior sit, quam in altero. κλίμαξ scala κλιματὴρ scalæ gradus. Climatericus, scalaris annus 63. vel. 46. ex 7. septies multiplicatis. ἀνακλιντήριον Anaclinterium, recubitorium. Clinici perpetuò decumbentes à κλίνη. ἔγκλισις inclinatio. Encliticum, inclinatum. Hetoroclitum, à communi declinandi ratione deflectens. τρίκλινον triclinium, conclave discubitorium, tribus lectis instructum. Archi-triclinus, triclinii præfectus.

Κλύζω abluo. Hinc κλυστὴρ medicæ arti peculiaris, quo alvus abluitur. Hinc κλυστήριον parvus clyster. Cataclysmus diluvium.

Κόγχη *concha*. Hinc κογχήλιον conchyle vel conchylion.

lion, purpura de quadem concharum specie, expetita mensis, & vestium infectionibus.

Κοιμάω dormio. Hinc κοιμητήριον cœmeterium, dormitorium, vel locus sepulcrorum.

Κοινὸς, ὁ communis. Hinc ἐπίκοινον epicœnum, promiscuum.

Κολάπτω tundo. Hinc κόλαφος, alapa, κολαφίζω punio, hinc colaphizo.

Κόλλα ἡ glutinum. Hinc chrysocolla, glutinum quo aurifices aurum conglutinant. ἰχθυοκόλλα ichthyocolla, glutinum ex pisce.

Κόλλυβος, ὁ species numismatis. Hinc κολλυβιστής, collybista, trapezita nummularius. Erat etiam τὸ κόλλυβον species bellariorum. Collyrium vel collurium species medicamenti est.

Κόλον cibus. Hinc βουκολικὰ, ad rem pastoritiam pertinentia. à βοῦς bos; δύσκολος dyscolus, difficilis ad cibum capiendum. unde tropicè difficilis ad disciplinam sic dictus.

Κολούω amputo. κόλος, κολοβὸς mutilis. Hinc Colobium vestis coriacea sine manicis. Coluri circuli in cœlo imperfecti, Colura animalia sine caudâ, ab οὐρὰ cauda.

Κολοφὼν, ῶνος, ὁ colophon, apex, summa manus, finis. unde Colophonem addere, id est, finire.

Κόμη coma. Hinc Cometa stella crinita.

Κομέω curo. Hinc νοσοκομεῖον nosocomium, valetudinarium à νόσος morbus. Hippocomus curator equorum.

Κονέω propero. Hinc διάκονος Diaconus, minister in Ecclesia, Diaconia vocatur hoc ministerium.

Κόπτω abscindo. Hinc ἀποκοπὴ apocope, abscissio. Syncopa concisio; comma incisum.

Κόραξ ὁ corvus. Hinc νυκτικόραξ nycticorax, corvus nocturnus. à νὺξ nox.

Κορυφὴ

Κορυφὴ vertex. Hinc κορυφαῖος coryphæus, in vertice positus, supremus.

Κορώνη cornix, vel corona. Hinc coronis, idis, navis in qua summitates inflexæ, & linea brevis extrema parte incurvata, & nota, quæ in calce libri appingi solebat uncifigura ad finem significandum, & quævis summitas.

Κόσμος, ὁ mundus. Hinc Microcosmus parvus mundus, homo.

Κόχλω gyro. Hinc Cochlea limax vel gradus rotundi, aut lignum torcularis striatum.

Κράτος, τὸ potentia. Hinc δημοκρατία democratia, populi principatus. ἀριστοκρατία, reipublicæ status qui ab optimatibus gubernatur. Pancratium, quo in omni certaminis genere certabatur, quorum quinque erant, Pugilatus, discus saltus, cursus. Lucta, unde Pentathlum, latinè quinquercium. Pancratiasta talis victor dicebatur.

Κρήνη fons. Hinc Hippocrene Fons Pegasi equi.

Κρίνω iudico. Hinc κριτικὸς criticus, aptus ad iudicandum. Hypocrisis, simulatio. Hypocrita κρίσις iudicium simulator. κατάκρισις catacrisis, decretum, condemnatio.

Κρόκος, ὁ crocus. Hinc κροκόδειλος Crocodilus, animal crocum fugiens, quasi κρόκον δειλεῖ.

Κρότος, ὁ pulsus. Hinc crotalum crepitaculum vel etiam homo loquax. Onocrotalus avis instar asini rudens. κρούω pulso, crusma, sistrum.

Κρύπτω abscondo. Hinc κρύπτη crypta testudo subterranea. Apocryphum occultum. Vnde libri apocryphi quorum vel autoritas occulta est, & origo; vel minus integra & canonica. Cryptographia ars, scribendi notis.

κύκλ☉ *circulus.* Hinc Hemicyclus, semicirculus. Epicyclus, Encyclus, in orbem missus, literæ encyclicæ. Cyclas vestis muliebris.

Κυλίω *voluo.* Hinc κύλινδρ☉ cylindrus, lapis vel lignum teres in modum columnæ, quo aera, vel agri adæquantur.

Κῦμα *fluctus.* Hinc κυματίας cymatilis, undulata vestis.

κύμβ☉, ὁ *cavus.* Hinc κύμβη cymba, navigii actuarii genus, vel poculum. cymbalum, nola resonas.

Κῦρος, τὸ *autoritas.* Hinc ἄκυρος impropriùs. Acyrologia impropria locutio, qualis illa Virg. sperare dolorem.

Κυρτὸς *curvus.* Hinc Amphicyrtoii lignum utrimque curvum, ex quo mulieres pendentem in fitulis aquam ferunt. ab ἀμφὶ utrimque.

Κύω *utero gesto.* Hinc ἀλκυὼν seu ἀλκυδὼν halcyon, seu Alcedo, avis quæ in mari parit, ab ἅλς mare. ἀλκυόνειοι, sive ἀλκυονίδες ἡμέραι dicuntur 14. dies, brumali tempore sereni, quibus nidificat & fœtificat hæc avis in spuma maris concreta.

Κύων, κυνὸς, ὁ & ἡ *canis.* Hinc κυνικὸς cynicus, caninus. Procyon, sidus caniculare: Cyniphes muscæ caninæ.

Κῶλον *membrum.* Hinc δίκωλον dicolon, bimembre. κωλικὴ ad coli dolorem pertinens, vel ipse morbus Colicus, vel hoc morbo laborans. Tricolon, tribus constans membris. Monocolon, uno. πρωτόκωλον Protocolon, quod breviter à tabellione notatur. Macrocola, majores chartæ, Isocolon, figura Rhetoricæ, quæ membra orationis æqualia habet. Acrocolia, trunculi extremi membrorum, edulia è trunculis extremorum membrorum, ἄκρος summus.

Κώμη pagus. Hinc Comœdus & comœdia ab ᾠδὴ cantio,

cantio, lusus, & fabulæ genus in pagis ab humilibus personis tractatum. ἐγκώμιον laus in vicis olim cantari solita. Encomiastes, laudator, Encomiasticum, ad laudem spectans.

κώνωψ ωπος ὁ culex. Hinc κωνωπεῖον Conopeum, velum ad arcendos culices.

Λ.

Λάκων Lacon. Hinc Laconismus, brevitas dictionis, quia Lacones ita soliti erant loqui.

λάγανον placenta. Hinc Artolaganus, genus cibi delicati.

λαγωὸς, ὁ lepus. Hinc Lagopus, herba similis pedi leporino.

λαγχάνω sortior. Hinc λάχεσις lachesis, una ex Parcis, quod vitæ, quæ sorte obtingit, præesse dicebatur.

λαμβάνω accipio. fut. λήψω præt. εἴληφα &c. Hinc μετάληψις metalepsis, quasi transumptio. ἐπιληψία Epilepsia, morbus comitialis, seu caducus. Epilepticus, qui illo laborat. Prolepsis, occupatio, figura Rhetorica. σύλληψις syllepsis, complexio. σύλλαβος Syllabus, index libri. συλλαβὴ Syllaba, quod literas comprehendat. Disyllabus, duabus constans syllabis. Monosyllabus, trisyllabus. Hendecasyllabus, undecim syllabarum &c. Lemma, inscriptio. δίλημμα Dilemma, argumentum ab utraque parte adversarium capiens. Acatalepsis, captio membrorum.

λάμπω luceo. hinc λαμπὰς Lampas.

λαὸς, ὁ populus. Hinc Laicus ad populum profanum spectans.

λάτρις, εως, ὁ καὶ ἡ. λατρεύω servio, servus. Hinc λατρεία latria, servitus, εἰδωλολατρεία idololatria, cultus simulacrorum. Idololatra, cultor eorundem.

λέγω colligo, numero, dico. Hinc ἀνάλεκτα analecta,

analecta, reliquiæ ciborum. ἐκλογὴ Ecloga, ἐκλογαὶ dicuntur poëmata seorsim collecta. Analogum, proportione simile. Apolecti senatores, apud Græcos, delecti. Catalogus, enumeratio. Aretalogus, multa garriens de virtute, ab ἀρετὴ virtus. Battalogia, vitiosa ejusdem repetitio. λέξικον lexicon, liber in quo vocabula recensentur, & explicantur. Amphibologia ἀμφιβολογία, ambiguitas orationis, ab ἀμφιβάλλω muto (unde & ἀμφιβολία idem significat) & λέγω dico. Apologus, narratio fabulosa. Paralogismus fallax oratio. Apologia exposita defensio, apologema & apologeticon idem. Διάλεκτος ἡ Dialectus, sermo unicuique genti particularis. διαλεκτικὴ Dialectia, ars disserendi. Dialecticus, peritus hujus artis. Dialogus, sermo aliquorum confabulantium. λόγος ratio, παράλογον quod præter rationem est. Epilogus, conclusio dictorum. Prologus, proloquium, præfatio. λογικὴ Logica, ars disserendi: Hinc Logicus. ἀστρολόγος astrologus, scientiæ siderum peritus. Philologus amans literarum, hinc Philologia. Analogia convenientia cum re simili Analogistæ tutores, qui non tenentur ad rationes, nam λογιστὴς est supputator. ὡρολογεῖον horologium, γενεαλογία genealogia, recensio, seu series generis à γένος. Etymologia indicatio veræ originis verborum, nam ἔτυμος verus est. Homologia convenientia ab ὁμὸς unus, vel idem. Ethologia de moribus sermo, nam ἦθος mos est. Aetiologia causæ redditio ab αἰτία causa. θεολόγος Theologus, de Deo loquens. Theologia, Macrologia prolixitas in dicendo, à μακρὸς longus: ἐξομολογέω confiteor, Exomologesis, confessio. Perissologia, a περισσὸν superfluum, est non necessariarum rerum narratio. μετεωρολογία meteorologia, quæ μετέωρα seu sublimia tractat. ταυτολογία Tautologia, vitium Rhetorum, quod eandem

rem

item pluribus verbis reperit. συλλογισμὸς Syllogismus, collectio quæ fit ratiocinando. Tropologia sermo figuratus ἀκρέπτ@, ἤλεκτρ@ vel ον Electrum, succus quidam pinguis, qui in lapidem mollem concrevit, ignem facilè concipiens.

λείπω *relinquo*. Hinc ἔκλειψις Eclipsis, defectio solis aut Lunæ. παραλειπόμενα paralipomena, prætermissa. παράλειψις paralepsis, præteritio, figura Rhetorica. Lipsana, reliquiæ.

λείχω *lambo*. Hinc ecligma ἔκλειγμα medicamentum, quod lambitur.

λεπὶς ὁς *asper*. Hinc λέπρα Lepra, asperitas cutis cum pruritu eam in squamas resoluens.

λέων *Leo*. Hinc χαμαιλέων chamæleon, animal quod subinde colorem mutat. Myrmecoleon, animal formicis insidians, à μύρμηξ formica.

λήγω *desino*. Hinc κατάληκτον catalectum cui deest syllaba. Hypercatalecticum quod abundat syllaba. acatalecticum metrum cui nihil deest. ἀλυκτὼ Alecto, unà ex furiis, quæ indesinenter persequitur impios.

λήθω *lateo*. Hinc λήθη Lethum, & Lethe oblivio, mors. λήθαργ@ Lethargus, lethalis sopor.

λίθ@ ὁ κ ἡ *Lapis*. Hinc χρυσόλιθ@ chrysolithus, aureus lapis, seu gemma aurei coloris.

λούω *lavo*. λουτὴρ ῆρ@ luter, labrum, peluis, vas ad lavandum.

λιμὸς ὁ *fames*. Hinc Bulimia, Bulimus, fames bovina.

λίσσομαι vel λίτομαι supplico. Hinc λιτανείαι Litaniæ, præces. λιτανεύω supplico.

λυδὸς *Lydus*. Hinc λύδι@ λίθ@, Lydius lapis, coticulæ genus in Lydia frequens, auri probatione celebre.

λύκος ὁ *Lupus.* Hinc λυκάνθρωπος Lycanthropus, homo Lupus.

λύχνος, ὁ *lumen.* Hinc Ellychnium funiculus, qui uritur in Lychno.

λύω *solvo.* Hinc λύτρον Lytrum. παράλυσις Paralysis, resolutio, quæ est privatio motus & tactus in corpore. hinc paralyticus. Analysis resolutio, hinc analytici libri Arist. quibus tradit rationem resoluendi argumenta. Hippolytus ab equis discerptus.

M.

Μάγειρος coquus. Hinc ἀρχιμάγειρος Archimagirus, præfectus coquorum.

Μάγος magus. Hinc μαγεία magia, vel ars magica.

Μαίνομαι *furo.* Hinc μανία insania. Hippomanes equi furor. Mænades, furentium ritu Bacchi sacra colentes feminæ. Maniacus furens.

Μακρὸς Longus. Hinc Amphimacrus utrimque Longus. Macrobii populi à vita longa sic dicti.

Μαλάττω *mollio.* Hinc μάλαγμα Malagma, id quo aliquid mollitur. Malacia quies maris.

Μαλλὸς *vellus.* Hinc amphimalla utrimque villosa. Heteromalla una parte villosa. Chrysomallos aureum vellus.

Μάνδρα *spelunca.* Hinc Archimandrita Abbas Monachorum.

Μανθάνω *disco.* Hinc μαθηματικὸς mathematicus, ad disciplinam seu scientiam pertinens, ut est arithmetica, Geometria, Astrologia, Musica &c. quæ demonstrantur. Hinc μάθημα & μάθησις disciplina dicitur.

Μάντις εως ὁ *vates.* Hinc νεκρομαντεία Necromantia,

tia, vaticinatio, quam inferorum umbræ revocatæ interroganti reddunt. Cleromantia quæ per sortes fit. Hydromantia quæ ex aquis. Geomantia, quæ ex terrâ deducitur vaticinatio. χειρομαντεία divinatio ex inspectione manuum. Catoptromantia divinatio ex speculo à κατόπτομαι perspicio, & κάτοπτρον speculum. Μαντεῖον Mantéum, Locus ubi oracula dantur. Psychomantéum Locus divinationis per Manes, seu animas à ψυχὴ anima.

Μαραίνω marcidum reddo. Hinc Amarantus immarcessibilis flos vel herba, alii Amaranthus scribunt.

Μάργος insanus. Hinc Gastrimagia gula à γαστὴρ venter.

Μαρμαίρω rutilo. Hinc μάρμαρον vel -ος marmor.

Μάρτυς ὁ καὶ ἡ testis. Hinc μαρτύριον martyrium, testimonium, vel locus martyrum.

Μάστιξ ἡ flagellum. Hinc Homeromastix Homeri reprehensor. Mastigia dignus flagello.

Μάττω pinso. Hinc Mactra in quo pinsitur. Mattya edulia pretiosa.

Μάχομαι pugno. Hinc μάχαιρα machæra, culter, sica. Hagiomachia bellum contra sanctos. Hoplomachus armatus miles. Monomachia duellum. Iconomachia bellum contra imagines. Symmachia societas in bello, sumitur etiam pro federe. ναυμαχία pugna navalis, à ναῦς navis. Dimachæ equis, pedibusque pugnantes, à Μάχη pugna.

Μασχάλη axilla. Hinc Amphimaschala vestis ingenuorum, manicis utrimque pendulis. contra Heteromaschala servorum erat.

Μέγας magnus. Hinc Megistánes, & Trismegistus à μέγιστος maximus.

Μέθυ τὸ vinum. Hinc ἀμέθυστος amethystus gemma sic dicta, quod ebrietati resistat.

Μείρω vel *μείρομαι*, *Μερίζω dinvido*. *μερὶς* pars. Hinc Hephthemimeris in septem Syllabas divisa. ut *ἑφθημιμερῆ μέτρα* quæ ex tribus constant pedibus & sylla-ba nam *ἑφθημιμερὶς* ex *ἑπτὰ* septem *ἥμισυ* dimidium, & *μερὶς* pars est. quasi dicas dimidium ex septem, hoc est tres pedes, & partem pedis. Est & cæsura in heroi-co carmine, cum quarti pedis prima syllaba, quæ bre-vis est, producitur. *πενθημιμερὶς* Penthemimeris cum quintus semipes producitur.

Μέλι mel. Hinc Hydromeli ex aqua & melle potus, aqua mulsa. ab *ὕδωρ*.

Μέλας niger. Hinc *μελάμπους* melampus, nigrum pedem habens.

Μένος, τὸ, animus. Hinc *εὐμενίδες* Furiæ per Anti-phrasin, cum sint immitis animi.

Μέτρον mensum. Hinc *μετρητὴς* metreta, mensor, vel Attica mensura maxima. *διάμετρος* Diameter, subau-di *γραμμὴ* linea, medium secans. Isoperimetra figura apud Mathematicos, quæ parem habet circumferen-tiam. *περίμετρον* rotundum. *συμμετρία* apta composi-tio membrorum, Symmetria. Geometria scientia di-metiendi terram: nam *γία γῆ* terra est.

Μέλπομαι cano. Hinc *μελπομένη* Melpomene Musa est.

Μηλέα malus, arbor. *μῆλον* malum. Hinc *χρυσόμη-λα* Chrysoméla, aurea poma. Meliméla mellea po-ma.

Μῆλον ovis. Hinc *μηλωτὴ* melota, pellis ovina cum lanâ.

Μὴν, ηνὸς ὁ mensis. Hinc *νεομηνία* Neoménia primus dies mensis.

Μηχανὴ artificium. Hinc *μηχανικὴ τέχνη* mechanica ars, & *μηχανικὸς* dicitur opifex.

Μιμέομαι imitor. Hinc Mimus imitator, propriè de imitatore histrionico, μίμησις, imitatio. Pantomimus omnia imitans. Archimimus princeps mimorum.

Μνάομαι memoro. Hinc μνημόσυνον mnemosynon, monumentum quod nobis rei alicujus memoriam renovat. ἀμνηςία amnestia, non recordatio, seu oblitteratio. Mnemosyne memoria.

Μόνος solus. Hinc Monachus homo solitarius. Monasterium; monastica ad monachum pertinens.

Μοgέα arbor morus. Hinc συκόμορος Sycomorus, arbor quam Plinius Ficum Ægyptiam nominat. μόgον vel μῶρον fructus mori est.

Μορφὴ *forma.* Hinc μεταμόρφωσις metamorphosis, transfiguratio. Morpheus filius somni.

Μῦσα *musa.* Hinc μυσικὸς musicus, artis canendi peritus. μυσικὴ subaudi τέχνη musica ars. μυσεῖον museum locus musis & studiis destinatus. Philomusus studiorum amator. Nisomusus osor. Amusus sine literis.

Μυέω doceo res sacras. Hinc μυςὴς mysta, qui sacris initiatus est. mysticum ad sacra spectans. μυςαγωγὸς, νεομύςης Mystagogus ac Neomysta. μυςήριον mysterium, ad aliqua sacra pertinens. Symmysta iisdem sacris initiatus.

Μῦθος, ὁ fabula. Hinc Epimythion affabulatio. mythologia de fabulis sermo.

Μύgον unguentum. Hinc Myristica nux, Muschata.

Μύω claudo. Hinc Amystin bibere, largè bibere. ἄμυςις largus haustus, item poculi genus. ἀμυςὶ patente ore.

N.

Νάρκη *torpedo*. Hinc νάρκισσος flos quidam à torpore, quem suo odore adfert, Narcissus.

Ναῦς *navis*. Hinc ναύτης nauta. ναῦλον naulum. ναυτία, vel ναυσία nausea.

Νεμεσάω *irascor*. Hinc Νέμεσις Nemesis, indignatio. plerumque nomen est certæ Deæ, quæ præ ceteris insolentiam hominum reprimere solebat.

Νέμω *distribuo*. Hinc οἰκονόμος œconomus, domus administrator. Et Oeconomia dispensatio rei familiaris. οἶκος domus.

Νέος *novus*. Hinc νεωτερικοὶ, novitii.

Νικάω *vinco*. Hinc Nicetes victor, Epinicia carmina in victorem.

Νόμος, ὁ *lex*. à νέμω quod suum unicuique tribuat. Hinc Autonomia potestas suo jure vivendi ἀνομία iniquitas. Deuteronomium secunda lex.

Νόος νοῦς, ὁ *mens*. Hinc μετάνοια metanœa, pœnitentia, mutata mens. Pronœa providentia.

Νύμφη *nympha*. Hinc Paranymphus pronuba. neonymphus sponsus. νυμφαιὼν nymphæum, sacrum vel templum Nympharum.

Νὺξ, κτὸς ἡ nox. Hinc nycticorax corvus nocturnus. nycteleia sacra Bacchi noctu celebrari solita.

Ξ.

Ξένια vel ξείνια ξένος *hospes*. Hinc Xenia, munera quæ dantur hospiti. προξενητὴς Proxeneta, conciliator hominum pactum inter se ineuntium. Euxinus pontus ab antiquis dictus Axenus, quasi inhospitalis.

ξύω vel ξέω rado. Hinc παλίγξεςος palimpsestus, charta deletilis, vel membrana, quasi iterum rasa, nam πάλιν iterum est,

O.

ὄαρ αρος ἡ conjux. Hinc oatistes carmen per modum colloquii inter conjuges.

ὀβελος ὁ veru. Hinc ὀβελίσκοι obelisci, lapides pyramidum forma, sed minores.

ὁδὸς, ἡ via. Hinc μέθοδος methodus, via, ratio tractandi aliqua de re. Periodus circuitus. Exodus exitus. Periodicæ febres, quæ certo tempore redeunt, ut tertianæ. παλινοδία Palinodia, iter reciprocum. σύνοδος ἡ Synodus, conventus. Synodia-orum conventicula.

οἶκος, ὁ domus. οἰκέω habito. Hinc σολοικισμὸς Solœcismus, quidquid perperam fit, non rectè, nam Σόλοικοι qui Solus urbem Ciliciæ habitabant corrupto sermone Græco utebantur. hinc σολοικίζειν est corruptè loqui. Solœcophanes dicitur, quod speciem inconvenientis orationis habet, à φαίνω appareo. παροικία parœcia, conventus accolarum. διοίκησις Diœcesis, provincia & administratio. Diœcetes administrator.

οἴμη semita. Hinc παροιμία parœmia, proverbium. procemium exordium, propriè citharœdorum.

ὅλος totus. Hinc Catholicus, universalis.

ὄλυμπος mons summus Thessaliæ. Hinc olympius dictus Iuppiter, quia Deorum summus, & Olympus ipsum cœlum. olympia-orum, olympiaca certamina in honorem Iovis celebrata. Olympionices victor in his ludis. à νίκη victoria. Olympias lustrum,

ſeu quinquennium inchoatum, quo ſolebant hi ludi repeti.

ὅμαλος, ὁ, *æqualis*. Hinc ἀνώμαλον anomalum, inæquale.

ὅμιλος, ὁ *cœtus*. Hinc Homilia converſatio cum hominibus.

ὀμφὴ *vox divina*. Hinc πανομφαῖος Iuppiter, ſic dictus, quod ad eum vox omnis referretur.

ὄνομα, vel ὄνυμα æol. τὸ, *nomen*. Hinc Onomaſticon dictionarium. ἀνώνυμος anonymus, ſine nomine. μετωνυμία metonymia, tranſnominatio. Fig. Rhet. Patronymica, nomina ex majorum nominibus derivata. Synonyma, ejuſdem nominis. Homonyma idem ἀντονομασία antonomaſia, figura quæ loco proprii nominis ponitur.

ὀξὺς έος ὁ *acutus*. Hinc paroxyſmus exacerbatio particularis motus morbi à remiſſione ad deterius.

ὅπλον, ὅπλα τα *arma*. Hinc panoplia armatura omnis.

ὄπτομαι *video*. Hinc ὀφθαλμία ophthalmia, oculorum morbus. Hinc Monophthalmus, unoculus; Ægophthalmus, oculos caprinos habens; Exóphthalmus extantes habens oculos; Ophthalmicus, oculorum medicus &c. κάτοπτρον catoptrum ſpeculum, per quod videtur. Myops quaſi clauſis oculis. à μύω claudo, & ὤψ oculus. Cyclops oculo orbiculari (ut Cyclopes in fronte) nam κύκλος circulus eſt. Pyrópus, gemma ignea. Opticus, viſorius. σύνοψις. Synopſis, conſpectus, vel dilucidum compendium. παροψὶς vas, ſeu patina eſcis deſtinata, ὕδρωψ hydrops, hydropicus, aqua intercus. ab ὕδωρ aqua, & ὤψ. Aethiops ab αἴθω accendo, filius Vulcani, unde Aethiopia.

ὀργὴ *furor*. Hinc ὄργια, ſacra Bacchi.

ὀρέγομαι *deſidero*. Hinc ὄρεξις orexis, appetentia cibi.

ὁράω video. Hinc ἔφοροι Ephori, apud Lacones Magistratus quasi inspectorés sunt.

ὄρος, τὸ mons, Hinc ὀρειάδες oreades, nymphæ montanæ.

ὅρος, ὁ terminus. Hinc ἀόριστος aoristus, non finitus. Aphorismi ἀφορισμοὶ, determinationes, seu sententiæ apud medicos brevissimis verbis omnes rei proprietates indicantes. Horizontes orbes cœli.

ὅρκος, ὁ iuramentum. ἐξορκισμὸς exorcismus, adjuratio.

ὄρνις avis. Hinc ὀρνιθὼν-ῶνος, Ornithon, & ornithotrophium aviarium.

ὀρχέομαι salto. Hinc orcheſtra pars theatri, in quo chorus saltabat.

ὄστρακον testa. Hinc ostracismus relegatio potentiorum è rep. Athen. ad decennium testulis in urnam jactis facta.

οὖας, οὖς, τὸ gen. ὠτὸς cauda. Hinc διώτη Diota, amphora duas habens aures. Parótides Apotemata iuxta aures.

οὐρὰ cauda. Hinc κυνοσουρὰ cynosura, cauda canis. Sciurus animalculum caudâ umbram faciens, nam σκιὰ umbra est. Aelurus cattus ab αἰόλλω verso. Arcturus stella in signo Bootæ. ab ἄρκτος ursa. Melanurus piscis vel serpens nigrâ caudâ, nam μέλας niger est.

οὐρανὸς, ὁ cœlum. Hinc Vrania musa, ob Astrologiam sic dicta.

ὄφις, ιος ὁ serpens. Hinc ὀφίτης ophites lapis maculosus serpentis instar.

Π.

Παῖς, δὸς ὁ καὶ ἡ *puer*. Hinc παιδεία pædia, diſciplina. Encyclopædia, diſciplina de ſeptem artibus liberalibus, ab ἔγκυκλος circularis.

παίω *ferio*. Hinc Anapæſtus pes metricus, dactylum ſono contrario feriens, unde & ἀντιδάκτυλος dicitur.

παρθένος *virgo*. Hinc παρθενὼν ὁ parthenon, conclave Virginum, Et parthenius virgineus.

πάσχω *patior*. Hinc ἀντιπάθεια antipathia, repugnantia, ob effectus contrarios. Patheticus affectuoſus. Sympathia compaſſio. Apathia ſine paſſione.

πατέω *calco*. Hinc περιπατητικοὶ Peripatetici, profitentes ſectam Ariſtotelis, qui ambulantes ſolebant diſputare. à περιπατέω ambulo.

παύω *ceſſo*. Hinc pauſa, ceſſatio.

πείθω *perſuadeo*. Hinc πειθὼ Pitho, ſuada, vel ſuadela Dea eloquentiæ.

πεῖρα *conatus* tentatio. Hinc πειρατὴς pirata, piraticus, prædo marinus. Archipirata princeps prædonum illorum. Vnde & Empiricus, medicus experientia ſola artem tractans. Empirice horum medicorum ſecta.

πείρω *tranſadigo*. Hinc πόροι pori in corpore humano dicuntur meatus tenues. *Hodœporicon* ad iter ſpectans, vel deſcriptio itineris, ab ὁδὸς via, ὁδοιπορέω iter facio. Emporium forum nundinarum, ubi exercetur negotiatio, ab ἐμπορέω negotior, hinc & ἐμπορία negotiatio.

πέλας, ὁ *vicinus, & propè*. Hinc Eryſipelas ignis ſacer, genus ulceris, die Ros, à ab ῥύω traho, quòd vicina quæque inficiendo trahat.

πέμπω *mitto*. Hinc προπεμπτικὸν propempticon carmen, quo prosequimur abeuntem aliquem. πομπὴ pompa.

πένθος, τὸ *luctus*. Hinc Nepenthes herba vino injecta luctum pellens.

πέντε *quinque*. Hinc πεντηκοστὴ Pentecoste, subaudi ἡμέρα quinquagesima dies. Pentametrum quinque pedibus constans, nam μέτρον pes seu mensura est.

πέπτω *coquo*. Hinc πέπων à Sole coctus, Pepon.

πετάω *pando*. Hinc πέτασος Petasus, tegmen capitis latum. περιπέτασμα. velum quod alicui rei circum circa obtenditur, vel aulæa.

πηγὴ *fons*. Hinc Pegasus equus Bellerophontis alatus, qui dictum ab equo fontem in Bœotia, Aganippida, vel Hippocrenen, percussione pedis excitasse fingitur. Non rectè hinc quidam Areopagus derivant.

πηγνύω *compingo*. Hinc πῆγμα pegma, id quod compactum est, machina lignea. Scenopegia tabernaculorum compactio, Festum apud Hebræos. Bibliopegus librorum, Naupegus navium compactor. Areópagus penult. brevi, ab Aoristo 2. ἔπαγον, unde πάγος collis, nam Areópagus est τῦ ἄρεος πάγος Martis collis, in quo summum Athenis judicium judices, dicti Areopagitæ, exercebant.

πίνω *bibo*. Hinc Symposium compotatio. Catapotion quod deglutitur, ποτήριον, poculum. προπίνω propino, præbeo potum.

πίπτω *cado*. Hinc homœoptóton similiter cadens, nam ὅμοιος similis. πολύπτωτον polyptóton, multos habens casus, schema Rhet. hinc aptóton, monoptóton, diptóton, triptóton &c. quod nullum, unum, duos, tres casus habet. Symptóma inclinatio in morbo.

πλάνη

πλάνη error πλανάω erro. Hinc πλανήτης Planeta, stella erratica.

πλάσσω fingo. Hinc πλάσμα plasma, figmentum, πλαστὴς plastes, creator. & πρωτοπλαστὴς Adam, primo formatus. ἔμπλαστρον emplastrum. Cataplastrum, medicamentum quod illinitur. μεταπλασμός metaplasmus, transformatio apud Grammat. si in fine vox à consueto usu transferatur, ut agreste pro agresti. Ceroplastes, qui in cerâ fingit, à græco κηρὸς.

πλατὺς latus. Hinc πλάτανος Platanus, arbor à latè diffusis ramis sic dicta. πλατεῖα platea, lata via.

πλευρὰ, ἡ latus. Hinc πλευρῖτις Pleuritis, lateralis dolor. Isopleuron figura mathem. cujus latera sunt æqualia. nam ἴσος æqualis est.

πλέκω plecto. Hinc πλοκὴ & συμπλοκὴ figuræ Rhetoricæ.

πλέω navigo. Hinc περίπλοος-πλους Periplus, circumnavigatio.

πλήσσω vel πλήττω percutio. Hinc πλῆκτρον plectrum instrumentum, quo fides pulsantur in citharâ. πληγὴ plaga ἀποπληξία apoplexia, stupor corporis mentisque.

πνέω spiro. Hinc πνεῦμα spiritus πνευμονία & περιπνευμονία, morbus circa pulmones.

ποιέω facio. Hinc ποίημα poëma, opus: plerumque Poëtis tribuitur. ποιητὴς poëta, factor. ποιημάτιον Poëmatium, paruum poëma ποίησις poësis, factio. ποιητικὸς poëticus, ad poëtam spectans. προσωποποιία personarum fictio. prosopopœia. à πρόσωπον, facies, persona. fig. Rhet. onomatopœia nominis fictio. ἠθοποιία. Ethopœia, morum fictio.

πόλεμος, ὁ bellum. Hinc polemica, bellica.

πολέω verto. Hinc πόλος polus, terra arata, versa. Et poli dicuntur duo puncta axis cœlestis, in quibus mundi moles vertitur.

πόλις, εως ἡ civitas. Hinc πολιτικὸς politicus, civilis, urbanus. πολιτεία politia, administratio reip. Δεκάπολις Decapolis, decem civitates, Regio quædam Iudææ contermina. Heliopolis solis civitas ἥλιος sol. Hierapolis, vel Hieropolis sancta civitas. Acropolis, summa civitas. μητρόπολις Metropolis, urbs matrix dicitur. Neapolis, urbs nova.

πολὺς multus, in compar. πλέων, plus. Hinc πλεονασμὸς Pleonasmus, abundantia. Pleiades, quasi πλείονες plures. lat. Vergiliæ.

πόντος, ὁ mare. Hinc ἑλλήσποντος Hellespontus, Ponti ille traiectus in quo Helle submersa dicitur.

ποππύζω sibilo. Hinc poppysma sibilus oris, quo equi demulcentur. adulatio.

πορφύρα purpura. Hinc Porphyriacus, & Porphyrius, purpureus. porphyreticum, vel parium marmor porphyrites marmor rubens. Porphyrio-onis, avis purpureis pennis.

πόταμος fluvius. Hinc ἱπποπόταμος Hippopotamus, equus fluvialis. Mesopotamia regio in mediis aquis.

ποῦς pes. Hinc πολύπους polypus, piscis est multos habens pedes. λαγώπους Lagopus. Sciopedes, populi, qui æstum solis umbra pedis mitigant. Melampus nigripes. Oedipus, cui pedes tument. Chytropus olla, vel instrumentum, pro ollâ, tripes. nam χύτρα olla est. τρίπους tripus, tres habens pedes. Monopodium mensa unius pedis. Antipodes qui altero in orbe habitant. Apodes, quasi dicas: sine pedibus, aves paradisiacæ.

πράσον porrum. Hinc Chrysoprasus, nomen gem-

mæ au-

mæ, aureo & viridi.

πράσσω vel πράττω facio. Hinc πρᾶξις praxis, modus rei agendæ. practicus factivus. Pragmaticus solers ad agendum. Pragmaticæ sanctiones, rescripta Principum de caussis ordinum, à talibus viris composita.

πρέσβυς, υ⊙ senex. Hinc πρεσβύτεροι, dicuntur, qui Ecclesiæ præsunt seniores. πρεσβυτέριον presbyterium, cœtus, vel dignitas Presbyterorum, seu seniorum.

πρόβατον pecus. Hinc probatica piscina, unde pecudes potare solebant.

πρύτανις præfectus. Hinc πρυτανεῖον prytaneum, ubi bene meriti alebantur Athenis.

πτερὸν ala. Hinc Phœnicopterus nomen avis, rubris alis. nam φοῖνιξ ruber est.

πύθω putrefacio. Hinc πύθων Python, Draco, quem Apollo interemit, sic dictus, quod ex putredine terræ ortus esset. Pythionices victor in ludis Pythicis. à νίκη victoria.

πύκα densè. Hinc πύξ⊙ buxus. & Pyxis vasculum è buxo teres, quod lignum illud densissimum sit.

πύλη porta. Hinc propylæum vestibulum.

πῦρ-υρὸς, τὸ ignis. Hinc πυραμὶς pyramis, figura operis instar ignis acutè surgentis, Pyra rogus. Pyrausta animal pennatum vivens in igne. Empyrium igneum cœlum beatorum. Pyrrichius pes metricus à saltu, quem Pyrrhus invenit. πύῤῥιχ⊙ rufus.

πωλέω vendo. Hinc προπώλης propola, qui res minoris emptas pluris vendit. Hinc bibliopola librorum, œnopola vini venditor, & οἰνοπώλιον œnopolium vini, Myropola unguenti, pharmacopola, medicamenti venditor. pharmacopòlium. Monopola qui jus habet solus vendendi. Vnde Monopólium.

P. Παίγνια

P.

Ῥάσσω *deiicio.* Hinc καταῤῥάκτης vel καταράκτης cataracta, vel catarrhacta, locus præceps in flumine, & vectis quo porta obfirmatur.

Ῥέγχω *sterto.* Hinc ῥόγχος ronchus, sonus nasi stertendo editus.

ῥέμβω *in gyrum duco.* Hinc ῥόμβος rhombus, rota, seu formam rotæ habens.

Ῥέπω *propendo.* Hinc ῥομφαία Romphæa, telum Thracium.

Ῥέω *fluo.* Hinc ῥεῦμα rheuma fluxus. διάῤῥοια diarrhœa, profluvium ventris, κατάῤῥοος catarrhus, & per contractionem κατάῤῥους defluxio humoris, αἱμοῤῥοὶς -ίδος hæmorrhois, fluxus sanguinis. Hæmorrhoissa quæ id patitur. εὖρος Eurus, ventus orientalis, inter aquilonem, & Vulturnum medius.

ῥέω *dico.* Hinc ῥήτωρ rhetor, orator. ῥητορικὸς oratorius. ῥητορικὴ *subaudi* τέχνη *ars.* Rhythmus fluxus consonans versuum à ῥύω traho, fluo.

ῥίζα *radix.* Hinc γλυκυῤῥίζα glycyrrhiza, dulcis radix.

ῥὶν vel ῥὶς, ῥινὸς ἡ *nasus.* Hinc Rhinoceros animal habens cornu in nare.

Σ.

Σαίρω *verro.* Hinc Asarotum pavimenti genus, quasi non mundatum scopis. σείριος Sirius, canicula.

Σάρξ, κὸς ἡ *caro.* Hinc σαρκασμὸς Sarcasmus, irrisio amarulenta. Sarcophagus tumba. Sardonyx gemmæ genus.

Σάττω

Σάττω onero. Hinc σαγήνη sagena, retis genus, vel saccus.

Σβέννυμι extinguo. Hinc Asbestus nomen lapidis ferrei coloris in Arcadia, qui accensus extingui nequit. ita Asbestinum linum inextinguibile est, quod igne expurgatur.

Σειρὰ catena. Hinc σειρὴν siren, monstri marini genus.

Σίδηρος ὁ ferrum. Hinc siderites, Magnes, ferrum trahens.

Σείω percutio. Hinc sistrum crepitaculum.

Σῆρες vermes nentes sericum. Hinc sericum holosericum, & Seres populi ubi fit sericum.

Σιωπάω taceo. Hinc Parasiopesis, vel aposiopesis fig. Rhet. reticentia, ἀποσιώπησις.

Σῖτος frumentum. Hinc παράσιτος parasitus, qui sumit apud alium cibum, adulator propriè.

Σκάζω claudico. Hinc Scazon carminis genus à claudicando sic dictum. scandalum pro malo exemplo.

Σκαιὸς lævus. Hinc Scæva, vel Scævola, qui sinistrâ pro dextrâ utitur.

Σκαίρω salio. Hinc σκαῦρος, Scaurus, cui pedes inflexo talo tardigradi sunt. σκάλμος, Scalmus, lignum cui remus alligatur.

Σκάπτω fodio, cavo. Hinc σκαφὴ scapha, navigii genus à cavitate sic dictum.

Σκέλος, τὸ crus. Hinc ἰσοσκελὴς Isosceles, qui æqualibus est cruribus. contra ἀνισοσκελὴς nam ἴσος æqualis, ἄνισος inæqualis. Periscelides fasciæ crurales.

Σκέπτομαι circumspicio. Hinc σκοπὸς scopus, subst. meta ad quam collimant sagittarii, & speculator. ἐπίσκοπος Episcopus inspector, ab ἐπισκοπέω inspicio. Chorepiscopus regionis inspector à χῶρος sedes

des,fundus. Horoscopus qui horarum rationem observat. ὡροσκόπιον horoscopium, instrumentum quo utuntur horoscopi. Vranoscopus piscis oculatus in capite,quo cœlum intueatur. Catascopium, ut Cic. ad Atticum navis exploratoria à κατασκέπτομαι speculor.

Σκεῦος τὸ vas, vel instrumentum. Hinc parasceve, præparatio à παρασκευάζω præparo.

Σκήπτω *nitor*. Hinc sceptrum, baculus σκῆπτρον.

Σκιὰ *umbra*. Hinc Sciothericum horologium, quòd umbrâ horas indagemus, à θήρα venatio.

Σκώπτω *cavillor*. Hinc σκῶμμα, dicterium.

Σκὼρ σκατὸς τὸ *stercus*. Hinc scoria sordes metallorum.

Σμάω & σμέω *abstergo*. Hinc σμῆγμα smegma, unguen, quo lotrices pannos purgant.

Σόος σῶς, ὁ *salvus*. Hinc σωτὴρ, salvator. Soteria, carmina post morbum salutantia. sostrum merces medici. Asotus prodigus salutis. σώω servo.

Σοφὸς *sapiens*. Hinc σοφιστὴς Sophista, doctus, callidus. σόφισμα inventum callidum. Hinc Sophisticus. Gymnosophistæ, Philosophi, qui nudi in silvis degebant. Philosophus, amans sapientiæ. Philosophia amor Sapientiæ. μωρόσοφος morosophus, stultè sapiens.

Σπάλω *traho*. Hinc σπάδιξ spadix, termes, palmes. σπασμὸς τὸ spasma, vel spasmus, nuda eductaque acies gladii. In corpore humano quod convulsum est, vel distentio. Spado-onis idem cum Eunucho. Spatha, vel Spathala gladius, vel instrumentum chirurgi.

Σπείρω *sero*. Hinc sperma semen. Spermologus blatero, serens verba. Spartum, genista flexilis ad ligandum. Sparum, rusticum instrumentum recurvum.

Σπένδω libo. Hinc σπονδὴ libatio σπονδεῖος pes metricus.

Σπέος τὸ specus. Hinc σπήλαιον spelæum.

Στάζω stillo. Hinc σακτὴ stacte, liquor oleaceus è myrrha & cinnamomo stillans.

Στείχω ordine incedo. Hinc δίςιχον distichon, duobus versibus constans. Monostichon uno versu, tetrastichon quatuor. Acrostichis, cum ex principiis versuum certum verbum conficitur.

Στέγω tego. Hinc distega, tristega, duas vel tres contignationes habentia.

Στέλλω mitto. Hinc ἀπόςολος Apostolus, qui aliquò mittitur, ut Apostoli Christi, ἐπιςολὴ epistola. ἐπιςόλιον Epistolium. ςολὴ amictus, item vestis promissa. διαςολὴ diastole, distinctio. Huic opponitur συςολὴ systole, contractio, correptio, fig. Grammat.

Στέφω corona. Hinc ςέμμα stemma, corona, vel nobile genus. Stephanus corona.

Στίζω pungo. Hinc ςίγμα stigma, nota alicui inusta. hinc stigmaticus, notatus signo.

Στοὰ porticus. Hinc ςοικοὶ stoici, philosophi dicti sunt.

Στόμα, ατος τὸ, Hinc ἐπιςόμιον epistomium, obturamentum oris.

Στορέω sterno. Hinc stromata libri, ob varietatem argumenti sic dicti. Stroma stratum ex variis lineis, laneisque pannis consutum. Peristromata tapetia, quibus lecti, & triclinia sterni solent. Lithóstrotos lapide stratus.

Στραγγὸς tortus. Hinc strangulare forsitan deducitur.

Στρέφω verto. Hinc ςροφὴ strophe, versio, & versutia. ςροφὴ dicebatur cum chorus ad spectatores con-

versus decantabat versus quosdam. Strabo, vel bus στραβὸς, qui est oculis distortis. ἀναστροφὴ anastrophe, inversio. antistrophe, reciprocatio. apostrophe, aversio, apostrophus, aversus. In prosodiâ est nota reiectæ, aut elisæ vocalis &c. καταστροφὴ catastrophe, subversio, eversio, vel exitus rei, ut mors est.

Στρουθὸς, ὁ *passer*. Hinc Struthiocamelus, avis maxima, sed cameli ferè corpore.

Στυγέω *exhorresco*. Hinc στύξ styx, fons Arcadiæ ab horribili frigiditate dictus, potu enecans. Vnde & inferis tribuitur.

Στύλος, ὁ *columna* & graphium. Hinc Epistylium quod columnis imponitur. Peristylium locus columnis cinctus. Stylites in columnâ stans, stylobates, æ lapis fundamentalis, basis columnæ.

Στύφω *adstringo*. Hinc Stypticus. qui adstrictâ aluo est. Styptica medicamenta quæ adstringunt.

Σύλη *præda*. Hinc ἄσυλον asylum, locus à violentia tutus.

Σύρω *traho*. Hinc Syrma, plur. Syrmata, res quæ trahitur, ut vestis oblonga. σύρτις-εως, loca marina ubi fluctus naves trahunt.

Συρίσσω *Sibilo*. Hinc Syrinx fistula pastoritia.

Σφαῖρα *globus*. Hinc σφαιριστήριον Sphæristerium, locus balnei forma rotunda, in quo se variè præsertim pila exercebant veteres. Hemisphærium ex mediâ parte rotundum. Sphærista qui tali in loco, vel pila aut globo ludit.

σφίγγω *stringo*. Hinc σφὶγξ-ιγγὸς Sphinx, vates alata, virgineâ facie, reliquo corpore Leonino, quæ responsa consulentibus difficilia, & stringentia, ut expediri vix possent, reddidit.

Σχεδὸν prope, circiter. Hinc Scheda, in quam quidvis scribimus. σχέδιος inelaboratus. σχεδίασμα opus illaboratum, extemporale.

Σχίζω *findo*. Hinc σχίσμα Schisma, scissura: & Schismaticus, qui ab Ecclesia se segregat.

Σχολὴ *otium* & locus impenditur. Hinc σχόλιον Scholium, glossema in id, quod per otium legitur. Scholasticus otium rectè collocans.

Σωρὸς, ὁ *cumulus*. Hinc σωρείτης sorites, captiosa est argumentatio ex uno concesso multa inferens.

T.

Ταλάω *suffero*. Hinc ἄτλας Atlas, mons excelsus, vel homo, qui cœlum numeris sustinere fingitur, unde atlantes dicuntur quævis alia sustentacula.

Ταπεινὸς *humilis*. Hinc tapinôsis abjectio vel demissio animi, nam à ταπεινόω est ταπείνωσις.

Τάττω *compono*. Hinc τὸ σύνταγμα syntagma, constitutio, vel instructa acies, vel commentarius. σύνταξις constructio &c.

Ταῦρος *taurus*. Hinc κένταυρος centaurus, à κεντέω stimulo, sic dicti sunt Thessali equites, qui à Poëtis biferi, & bimembres finguntur. Ita etiam naves sunt dictæ, tale signum præferentes.

Τέλος τὸ *finis*. Hinc ὁμοιοτέλευτον homœoteleuton, similiter desinens. Hinc & ἐντελέχεια vel -λέχεια entelechia, perfectio, vel perennis motio, unde & anima sic dicta, priori sensu ab Aristotele, altero à Cicerone lib. I. Tusc. nam ἐντελεχὴς perfectum & continuum significat, & ἐνδελεχὴς quoque assiduum. Telescopium instrumentum mathematicum quo remota conspiciuntur à τέλος finis vel τῆλε procul & σκοπέω video.

Τείνω tendo. Hinc τόν☉ tonus, tentio vel intentio. Apud gram. sunt vocum toni, vel tenores, quæ & προσῳδίαι accentus dicuntur: apud Musicos spatij magnitudo est. Hemitona medium tonum habentia. βαρύτονα barytona, gravem tonum, à βαρὺς. ὀξύτονα oxytona, quæ acutum ab ὀξὺς. Ectasis figura cum syllaba brevis fit longa. Protasis propositio. Tænia fascia, vel redimiculum.

Τέμνω scindo. Hinc τόμ☉ tomus, frustrum scissione ablatum. Atomus indivisibile. τμῆσις. sectio, tmesis. ἀνατομὴ anatomia, dissectio, ἀνατομικὴ subintellige τέχνη ars membra incidendi. ἐπιτομὴ epitome præcisio, qua aliquid brevius redditur. λάτομ☉ Latomus, Lapicida, hinc λατομία latomia. Lithotomia idem. Phlebotomia, incisio venæ à φλὲψ βὸς. ἡ. vena. φλεβοτόμ☉ phlebotomus venæ incisor. φλεβότομον instrumentum quo vena inciditur.

Τερέω terebro. Hinc τόρευμα τὸ toreuma, torno factum. Terebra.

Τέρπω delecto. Hinc Euterpe Musa, quasi bene delectans.

Τεύχω fabrico. Hinc ἀρχιτέκτων-ον☉ Architectus, fabrorum Præfectus, hinc architectonica ars. πεντάτευχ☉ βίβλ☉ Pentateuchus, liber quinque voluminum.

Τηρέω servo. Hinc συντήρησις synteresis, conservatio. συντηρέω.

Τίθημι pono. Hinc θέμα thema, id quod positum. Thesis positio, Rhetoribus generalis, & infinita quæstio: Philosophis de re notâ facta propositio. Acmotheton locus incudem sustinens. θήκη theca, repositorium. Apotheca reconditorium pro vino & aromate. Dactylotheca capsula annulorum. ἀνάθημα anathema, donum parietibus templi affixum. ἀνάθεμα

 homo

homo sacer, diris devotus, seu execrabilis. Amphitheton, grande poculum utrimque basim habens. ἀντίθεσις antithesis oppositio. ἀντίθετα opposita. Epitheta adjecta. parenthesis interpositio. metathesis transpositio. Nometheta legem statuens. Typotheta typos ponens. Prothesis propositio. Synthesis compositio. Hypothesis basis, res supposita. Hierotheca theca sacrorum, v.g. venerabilis Sacramenti. Hypotheca suppositio. Chirotheca manica. μυροθήκιον myrothecion, ungueñti repositorium à μύρον unguentum. Agonotheta certantibus præmia proponens, ab ἀγὼν certamen.

Τίκτω *pario.* Inde θεοτόκος Deum pariens virgo. θεότοκος Deo natus vel nata.

Τιμὴ honor, vel cultus. Hinc Philotímus, honoris amans. Theotimus vel Timotheus, Deum honorans, aut colens.

Τόξον *arcus.* Hinc τοξικὸν toxicum, venenum quo sagittæ barbarorum illiniuntur.

Τόπος *locus.* Hinc τοπικὴ Topica, scilicet τέχνη, ars inveniendi seu explicandi. τοπάζιος λίθος Topazius lapis, sic dictus, quod olim magno studio quæreretur, à τοπάζω quæro.

Τράγος *hircus.* Hinc tragicus, tragœdia, nam hircus olim tragœdo victori datus in præmium.

Τράπεζα *mensa.* Hinc Trapezites mensarius, seu nummularius. Trapezophoros statua mensam sustinens.

Τρέπω *verto.* Hinc τρόπος tropus, deflexio verborum à communi usu & significatione. τροπικοὶ κύκλοι tropici circuli, quos cum attigerit Sol τρέπεται, convertit cursum suum. τροπαῖον tropæum, versi hostis monumentum. εὐτραπελία eutrapelia, urbanitas. εὐτράπελος benè moratus. προτρεπτικὸν Protrepticon, exhortatorium. ἡλιοτρόπιον heliotropium, herba solaris, quæ folia

lia cum sole circumagit. nam ἥλιος. Sol est.

Τρέφω alo, nutrio. Hinc Brephotrophium ubi expositiui aluntur. Orphantrophium ubi orphani. Ichthyotrophium ubi pisces. Nessotrophium ubi anates: nam νῆσσαι anates. Chenotrophium, seu Chenoboscium ubi anseres. Ornithotrophium ubi aves aluntur. nam χὴν νος anser, βόω vel βόσκω alo. ὄρνις ὄρνιθος avis.

Τρέχω *curro*. Hinc τρόχος trochus, rota, vel quicquid est orbiculati rotunditate. Trochæus cursorius, pes metricus. Trochlea gradus rotundi. Prodromus verò præcursor, Hippodromus, locus in quo equi exercentur ad cursum. Endromis, vestis villosa contra pluvias, item calceus cursorius, ab inusitato δρέμω & δρέμομαι, ac proximè à δρόμος cursus, descendunt.

Τρίβω *exerceo*. Hinc παιδοτρίβης Pædotriba, qui pueros exercet.

Τύπτω *percutio*. Hinc τύπος typus, nota percutiendo impressa, τυπικῶς figuratè. τύμπανον Tympanum, baculus, vel instrumentum bellicum. Tympanista, & tympanistria. Tympanotriba tympanum terens. Tympanites hydrops ventrem inflans. πρωτότυπον Prototypon, idem quod ἀρχέτυπον exemplum. Typhus fumus vel iactantia. Typhon ventus repentinus.

Τρώγω *comedo*. Hinc tragemata bellaria.

Τρύω *tero*. Hinc τύραννος, quasi τρύανος, Rex vexans subditos; τυραννοκτόνος occisor tyranni. τυραννόκτονος occisus à Tyranno. à κτείνω occido. τρυτάνη trutina, bilanx.

Τυρέω traho hinc butyrum ex boum lacte tractum ut & τυρὸς caseus.

Y

Ὕβρις, ιως, ἡ *iniuria*. Hinc hydria, & hybris, idos, ex imparibus natus, dicitur de animalibus, ut Leopardo; & hominibus, v.g. ex Germano & Italo nato, quanquam & spuriè natum designet.

ὕδω *cano*. Hinc ὕμνος hymnus, carmen, jam Deo, mox nuptiis, vel dolori dicatum. Polymnia, vel Polyhymnia una ex Musis.

ὕδωρ *aqua*. Hinc ὕδρα hydra, serpens aquaticus, χέλυδρος Chelydrus idem, vel testudo. Hydria urna, clepsydra &c. Hydrops morbus.

ὑλάω *latro*. Hinc Hylax latrator, canum proprium.

ὕω *pluo*. Hinc Hyades stellæ in cornibus Tauri.

Φ.

Φάγω *voro*. Hinc ἀνθρωπόφαγος anthropophagus, homivorus. Ichthyophagi qui piscibus vivunt. Sarcophagus, carnivorus, vel subst. pro sepulchro ponitur. Addephagia inexplebilis edendi aviditas, ab ἅδδην abundè.

φαίνω *appareo*. Hinc φαινόμενα phænomena apud Astrologos dicuntur, quæ in cœlis apparent. φάντασμα visum, spectrum. φαντασία, visio, imaginatio, &c. Hinc Phantasta, Phantasticus. Apophasis inventarium bonorum à morte relictum, ab ἀποφαίνω palam facio. ἐπιφανία vel ἐπιφάνεια Epiphania dies Christi baptismo sacer, vel dies quo manifestari cœpit gentibus per Magos adoratus. Diaphanum transparens. Calophanta apparens bonus. *Plaut.* Halophanta homo nequàm. συκοφάντης Sycophanta, calumnia-

lumniosus delator, apud Athenienses dicebantur, qui ficus ex Attica exoptassent.

φαλὸς *splendidus*. Hinc Phaleræ ornamenta equorum: phaleratus.

φάρμακον medicamentum vel venenum. Hinc ἀλεξιφάρμακον alexipharmacum, remedium adversus venenum. Pharmaceutria quæ utitur veneno. *Virg.* Pharmacotrophi populi qui medicamentis aut venenis nutriuntur.

φάω *poët.* φημὶ *dico*. Hinc προφήτης propheta, veritatis interpres. προφητεία prophetia, prædictio futurorum; unde & φήμη fama, & hinc βλάσφημος blasphemus, famam lædens. βλασφημία maledictio, à βλάπτω noceo.

φείδω *parco*. Hinc Phiditia, convivia parca apud Lacones inter amicos usitata.

φένω *occido*. Hinc περσεφόνη Persephone. quæ cædibus omnia vastat, est nomen Proserpinæ, Iovis & Cereris filiæ.

φερνὴ *dos*. Hinc παράφερνα parapherna & paraphernalia, bona quæ sponsa præter constitutam dotem secum fert.

φέρω *fero*. Hinc apophoreta munera, quæ die natali mittuntur invicem amicis, vel post mensam donantur. Pheretrum quo fertur cadaver. Amphora quod ad ferendum utrimque ansis apprehendi potest. Διαφορὰ Diaphora & adiaphora differentia, & indifferentia. Epanaphora & anaphora repetitio. μεταφορὰ translatio. Hexaphorum lectica quæ à sex, octophorum quæ ab octo hominibus fertur. περιφέρεια peripheria, rotunditas. θεοφορία Theophoria, latio Dei, videlicet quando venerabile circumfertur. Oenophorum vas aptum ad ferendum vinum. Oenophorus portans

portans vinum.

φθέγγομαι loquor. Hinc ἀπόφθεγμα apophthegma, dictum breve & sententiosum. δίφθογγος diphthongus, cuius geminus est sonus.

φθίω, φθείρω, vel φθίω. corrumpo. Hinc φθίσις Phthisis. corruptio. apud medicos tabes corrumpens. hinc Phthisicus. φθείρ pediculus. φθειρίασις phthiriasis, morbus pedicularis.

φίλος amicus. Hinc φίλτρον Philtrum, amatorium poculum, amoris illecebra. Philotesia pocula propinata amicitiæ causa φιλοτήσια. Philologus amans puritatem verborum &c.

φλέγω inflammo. Hinc φλέγμα. inflammatio, humor albidus, & frigidus, pituita. Phlegmaticus obnoxius illi malo. Phlegethon fluvius inflammatus averni. Phlegon ardens equus solis. Phlegontis gemma ardens.

φράζω dico. Hinc φράσις phrasis, elocutio. ἀντίφρασις antiphrasis, figura cum id, quod bellum dicitur, minimè bellum est. metaphrasis, translatio aliis verbis facta, seu interpretatio. paraphrasis, interpretatio, quà aliquis idem latius eloquitur.

φράσσω vel -ττω munio. Hinc κατάφρακτος cataphractus, circumquaque armis munitus. Diaphragma intersepimentum in corpore. ἄφρακτος non munitus. Aphracta-orum navigia aperta.

φρὴν-ενός, ἡ mens. Hinc φρενῖτις, ιδος phrenitis vel phrenesis, mentis delirium febrim acutam inducens. Phreniticus qui phrenesi laborat.

φροντὶς-ιδος ἡ cogitatio. Hinc φροντιστήριον phrontisterium, locus ubi commentationes nostras explicamus.

φυλάσσω, vel φυλάττω custodio. Hinc γαζοφυλάκιον

κιον gazophylacium, locus in quo gazæ custodiuntur. Phylax custos. Arctophylax custos ursæ. Phylacista custos carceris. Phylacterium statio excubantium, vel tutela & præsidium contra Venenum. Denique membrana in quâ Iudæi suum gestabant Decalogum.

φύλλον folium. Hinc caryophyllum nucis folium, flos arboris in India nascentis. Triphyllon trifolium.

φύω gigno. Hinc φυσικὸς physicus, naturalis, seu naturæ investigator. Emphyteusis implantatio, ἐμφυτεύω implanto à φύω & τεύω planto, seu φιτεύω gigno. νεόφυτος neophytus, nuper natus, recens ad Christianam fidem perductus. ζωόφυτα zoophyta sunt quæ mediam naturam habent inter plantas & animalia, ut ostrea.

φωνὴ vox. Hinc Phonascus moderator vocis, antiphona, vox alternis respondens. ἐπιφώνημα Epiphonema, acclamatio aut dictum alicui sententiæ cum acclamatione additum. συμφωνία convenientia vocum inter se. Euphonia bonus vocum sonus, cacophonia, vox mala, sonus asper. Synecphonésis simultanea pronuntiatio.

X.

χαίνω hisco. Hinc χάος chaos. hiatus, apud Philosophos ille hiatus dicitur, qui ante orbem conditum fuit. Chasma idem.

χαίρω lætor. Hinc Epicharma, Syncharma, commune gaudium, χάρμα idem.

χαλκὸς, ὁ æs. Hinc ὀρείχαλκος Orichalcum. Hesiodus scribit esse æs candidum.

χαράσσω sculpo. Hinc χαρακτὴρ character, nota insculpta.

χάρις, ιτος, ἡ gratia. Hinc ἐυχαριστία Eucharistia, grata beneficiorum recordatio. Mysterium cœnæ Dominicæ. Charistes Deæ gratiarum. Charisteria -orum dona in gratiarum actionem.

χεὶρ, ρὸς ἡ manus. Hinc ἐγχειρίδιον Enchiridion, libellus qui manibus tractatur. Epicherema argumentum quo aliquid conamur: ἐπιχειρέω conor.

χελιδὼν όνος ἡ hirundo. Hinc chelidonium herba sic dicta, quod sub adventum hirudinum efflorescat, quâ cœcitati pullorum mederi feruntur.

χίλιος mille. Hinc Chilias, numerus millenarius sicut Myrias decies millenum significat.

χὴν χηνὸς ὁ καὶ ἡ anser. Hinc chenoboscium, vel chenotrophium locus ubi anseres nutriuntur, à βόσκω & τρέφω nutrio.

χολὴ bilis. Hinc cholericus, qui cholerá laborat. Cholera morbus ipse μελαγχολία atra bilis. Melancholicus qui illa laborat.

χορδὴ intestinum, fides. Hinc Decachordum, decem intentum fidibus instrumentum.

χόνδρος, ὁ cartilago. Hinc hypochondria præcordia, seu partes laterales subjectæ costis, hepati & lieni superiacentes.

χράω commodo. Hinc κατάχρησις catachresis, schema rhetoricum. χρεία chria, utilitas, & scripti exercitatio. παγχρηστὸν panchrestum. Cicer. medicina ad omnia utilis.

χρίω ungo. Hinc χρίσμα chrisma, unguentum. χριστὸς Christus, unctus, qualis præcipuè filius Dei, hinc Christiani discipuli Christi. χριστιανισμὸς Christianismus. Christophorus à φέρω &c.

χρόνος, ὁ tempus. Hinc Chronica, libri quibus annotatur

notatur quo tempore quidvis gestum sit. hinc chronographicum & chronodistichon.

χρῶμα τὸ *vel* χρόα ἡ color. Hinc χρώματα chromata, rerum ornamenta, aut figuræ Rhetorum.

χωρέω *recedo*. Hinc ἀναχωρητὴς anachoreta, solitudinem colens.

Ψ.

ψάω *tergo*. Hinc peripsema purgamentum.

ψάλλω *cano*. Hinc psalterium instrumentum quo psallitur. ψαλμὸς psalmus, fidium cantus & ψάλτης psaltes.

ψεύδω *fallo*. Hinc ψευδὴς falsus, mendax. pseudopropheta. Pseudomartyr. pseudothyrum falsum seu adversum ostium, à θύρα· ας ostium. Pseudulus servus, à δοῦλος servus.

ψυχὴ *anima*. Hinc μετεμψύχωσις metempsychosis translatio animæ ex uno in aliud corpus.

ψῆφος, ἡ lapillus, suffragium, vel *sententia*. Hinc psephismata decreta Cic. pro Flacco.

Ω.

ὠθέω *pello*. Hinc βοώτης Bootes, boum agitator à βοῦς bos; vel qui bobus arat, vel nomen signi cœlestis, quod Arctophylax dicitur.

ὦμος, ὁ *humerus*. Hinc ἐπωμὶς, ιδος epomis, superhumerale.

ὠνέομαι *emo*. Hinc ὀψώνιον opsonium, id quod cum pane vescimur. ὀψωνέω obsonor. ὀψώνης obsonator. ὀψοπαῖος qui præparat obsonia. videtur ab ὄψε serò

deductum, quòd in cœna olim maximè usi sint. τελώνιον telonium, à τελωνίομαι vectigal accipio, quod τέλ@ inter cetera etiam vectigal significat. Sed hic

—— nobis sit

τέλος, finis.

Nota quia aliqua errata irrepserunt, in fine hujus libri de illis monebimus.

Observatio.

NE vero excresceret hic nimium Catalogus, placuit ipsa linguæ Græcæ radices ordine alphabetico potius, quàm Latina inde derivata digerere, quòd hæc non rarò plura ab eadem descendant origine, sæpius (nisi hac lege res digeratur) repetenda, & memoriæ longè majorem allatura difficultatem, quàm si sub uno capite, velut membra plura cohæreant. Quod si verò etiamnum rudioribus vox sese aliqua obtulerit (v.g. *epiphonema*) cujus vim non assequatur, ad præcipuam ejus verbi radicem (quæ est hic φωνὴ) advertat, eamque suo investiget Alphabeti loco, & sese commodè expediet. Quod difficile non erit illi, qui aliquando legendo, signandoque, radices præcipuas evoluerit.

Porrò, ut aliud utriusque tibi linguæ atque in primis Græcæ præsidium subministrem, tum ut intelligas, quàm copiosè ab Atticis Romani hauserint, brevem communium utriusque linguæ vocum catalogum subiiciam, plerisque in sermone verbis iisdem, nonnullis tamen aliquantulum inflexis. Accipe, ac pariter fruere.

CAPVT. III.

Nomina Græca Latinitate donata, quorum pleraque sunt ipsæ radices.

A.

ABax, Abacus ἄβαξ-ακος mensa pro lancibus, vitris, calculis.
Abolla ἀβόλλα vestis longa senatoria.
Absinthium herba amara. absinthites vinum amarum. Absis fornix, arcus. ἀψίς, ῖδος. Achates gemmæ nomen. Acco mulieris nomen, quæ secum in speculo loquebatur. Vnde Accisare, secum loqui.
Adamas ἀδάμας. Aeolus ventorum domitor.
Aër ἀὴρ. Aether αἰθὴρ, æthra aëris serenitas.
Aevum αἰών. Aerumna αἰρομένη. Ager ἀγρός.
Agnus, castus ἁγνὸς & ἀγνὸς, vel ἀμνός. Alabastrum, alabastrites lapis. Albus ἀλφός. Aloë ἀλοή.
Amaracus, herbæ nomen. Amiantus herba.
Amphibium ἀμφίβιος, mari & terra vivens.
Amphora ἀμφορεύς. Amomum ἄμωμον. Amurca ἀμόργη. Amygdalum ἀμύγδαλον, Ancora ἄγκυρα.
Ango ἄγχω. Anima seu habitus ἄνεμος.
Anisum ἄνισον. Anethum ἄνηθον herba. Annus ἔνος, vel ἔννος. Antrum ἄντρον. Aphrodite venus. ¶ Item lepos. gratia, decor. Apophoreta munera convivis data. Ara græcè preces, ἄρα. Arachne, ἀράχνη aranea.
Arctos ursa, axis mundi. Argilla ἄργιλλος terra alba & pura. Aro-as are, ἀρόω ἀρῶ. Aroma ἄρωμα. Artemo ἀρτέμων S. Luc. Act. c. 27. velum navis. Arteria. ἀρτηρία, Spiritus semita, ἀπὸ τοῦ τὸν ἀέρα τηρεῖν. Ascopera ἀσκοπήρα. Asthma ἆσθμα, flatus, anhelatio. Asthmaticus. Asparagus ἀσπάραγος plantæ nomen, item quod ex oleribus primum in lucem prodit. Aspis

Aspis serpens. Astacus ἀςακὸς ein meerkrebs.
Attagen avis ἀτlαγᾶς & ἀτlαγὴν. Aula αὐλὴ.
Austerus αὐςηρὸς. Axis ἄξων, axis, rota item mundi.

B.

BAcchar herba odorata βάκκαρις & βάκχαρις.
Bacchus βάκχος, furore percitus. Balanus glans. Balæna φάλαινα vel cete. Balneum vel balineum βαλανεῖον. Balsamum unguenti genus. Barathrum fossa, profunditas. Barbarus pronuntiatione vitiosâ & insuavi utens, item agrestis & inhumanus. Barbitus -tum, instrumentum musicum. Beryllus gemmæ nomen βήρυλλος. Biblia βιβλία τά, βιβλὸς liber.
Blæsus βλαισὸς, cui membra sunt dissoluta, item qui est impeditæ linguæ. Bolus βῶλος. Bombus βόμβος, sonus quem edunt apes, transfertur ad tonitru.
Bombyx vermis, bombycina vestis serica est.
Boreas ventus Aquilonaris. Botrus βότρυς uva.
Bos βοῦς & βῶς. Brachium βραχίων. Bravium βραβεῖον. Bruchus locustarum species βροῦκος & βροῦχος.
Bulbus βολβὸς. Bulla βοῦλλα maris spuma, vel insigne cordis instar. à βουλὴ consilium. Byrsa corium pellis. Byssus lini quoddam genus.

C.

CAballus καβάλλης equus clitellarius. Cadus κάδος, vas vinarium. Cæcias ventus ab ortu spirans. Cacabus κακκάβη & κάκκαβος olla. Cachinnus καγχασμὸς. Caco κακκάω, Calamus, arundo, & culmus κάλαμος calamarium. Calyx, cui flos inhæret.
Camera καμάρα, fornix. Caminus κάμινος, fornax.
Canistrum κάναςρον vel κάνεον.

Cantha-

Cantharus κάνθαρος, Scarabæus, & populi genus.
Canthus, Angulus, Radschin / ferrum quo rotæ vinciuntur. Cannabis genus plantæ lino simillimæ.
Canna κάννη, storea. Canon regula, norma.
Canopus κάνωπον, sambuci flos. Capparis frutex spinosus, cujus fructus eodem modo significantur.
Carchesium summa pars mali nautici.

Carpus καρπὸς prima pars palmæ, hinc metacarpium, unde oriuntur digiti. Cassia frutex aromaticus. Catasta κατάστης. Catinus κάτινον.

Cattus κάττης. Caulis καυλός. Cedrus κέδρος.
Celes κέλης, equus desultorius, inde Celeres, desultorii equites, κέλητες. Cera κηρός. Cerasus κέρασος.
Cestus κεστός. Cetus, vel cetos piscis marinus, τὸ κῆτος pl. τὰ κήτεα κήτη inde cete g. n. pl. num.
Charis χάρις gratia, Charites gratiæ.
Charta χάρτης-ου. χάρτον χαρτίον. χαρτοφυλάκιον theca chartacea. Charybdis vortex maris, χάρυβδις.
Chelys testudo χέλυς χελώνη.
Chlamys vestis quæ tunicæ superindui solet.
Cholera χολέρα. Chorda χορδὴ intestinum.
Chorus, chorea, χορός. Chria χρεία usus, utilitas apud Rhet. breve de re aliqua, aut persona dictum.
Ciborium κιβώριον poculi genus. Cidaris, pileus regius Persarum. Cincinnus κίκιννος. Cinnabari, vel cinnabaris, color ruber, germ Zynober.
Cinnamomum κιννάμωμον. Circus κίρκος, locus rotundus. Cista κίστη. Cithara instrumenti musici genus κιθάρα, Clavis κλαὶς vel κλεῖς, κλείω claudo.
Clerus κλῆρος sors. Clibanus propriè in quo hordeum coquitur. Climax κλίμαξ scala, gradus. climactericus annus. Clyster κλυστήρ.
Coccus granum Ilicis arboris rubes, quo punicea inficiuntur.

Coccyx, os in imo sacri ossis positum; item cuculus & piscis. Cœlum κοῖλον. Cœna, κοινὴ.
Colaphus κόλαπος, κολάπτω tundo.
Collyrium medicamentum pro oculis.
Colocasia & colocasium, faba Ægyptia.
Colon membrum, κῶλον. Colossus κολοσσὸς statua ingentis longitudinis. Coma κόμη, compta cæsaries.
Cometa κομήτης.
Concha κόγχη. ostreum marinum, vasculum.
Conus κῶνος, figura ex lato in acutum desinens.
Contus κοντὸς, sudes sive hasta longior. item pertica, quâ loca maris explorantur. Inde percontor.
Cophinus corbis. Cor κῆρ κέαρ. Corallium lapis marinus rubens. Corona κορώνη, & cornix, item quævis summitas. Corvus κόραξ.
Corylus, in qua nuces minores nascuntur.
Corymbus, Corymbi uvæ hederarum.
Cothurnus calceamenti genus κόθυρνος.
Crambe κράμβη, Brassica. Crapula κραιπάλη, nubes capitis ex nimio vino. Crepida & crepido κρηπὶς, ῖδος. Crocirare ἀπὸ τοῦ κράζειν & κρώζειν clamare. sic Eust. & Aristoph. Crocus crocum herba, κρόκος.
Crocodilus. κροκόδειλος. Crystallus κρύσταλλος, glacies, gelu. Cubus κύβος. tessera, vel alea. Cyathus κύαθος, genus poculorum. Cyclus κύκλος, orbis circus. Cygnus κύκνος. Cymba κύμβη, κυμβίον.
Cyparissus κυπάρισσος, cupressus.
Cyprus κύπρος, Insula.

D.

DActylus, digitus.
Dœmon Dœmonium δαίμων δαιμόνιον, in sacra scriptura de noxiis spiritibus dicitur, in profanis

nis etiam pro genio bono accipitur. Daphne δάφνη, Laurus. Dapsilis δαψιλὴς, largus copiosus, δάπτω voro. Decem δέκα. Delphin piscis marinus δελφὶν. Denarius δηνάριον. Deus θεὸς. Diabolus διάβολος. Diæta δίαιτα, vivendi institutum. Dictamnum herbæ genus δίκταμον, & ἡ δίκταμνος. Didymus δίδυμος, geminus. Δηκοκτα decocta (subintel. aqua) latina vox, à Græcis usurpata. Dionysius Διόνυσος dicitur Bacchus. Dionysia sacra Bacchica.
Dipsa serpentis genus, á δίψα sitis, quam morsu infligit. Discus δίσκος, orbis ex ferro, ære, lapide, qui exercendi corporis causâ in auras proiiciebatur.
Dius θεῖος, id est, divinus. Do δόω δίδομι. Dolus δόλος, fraus. Domare δαμάζειν. Domus. δόμος. Donum δῶρον. Dos δώς. Drachma δραχμὴ, continet quantum aliquis manu in pugnum contractâ capere possit. Draco δράκων. Duo δύο vel δύω, δὶς bis. Duplex διπλοῦς.

E.

Ebenum & Ebenus, ἔβελος, seu ἔβενος.
Echinus ἐχῖνος. Edo ἔδω, comedo. Eia εἶα adverb.
Elegus ἔλεγος, lamentatio, luctus.
Elenchus ἔλεγχος, argumentum. ἐλέγχειν arguere.
Elephas significat animal, vel ebur, aut morbum. inde Elephantiaci leprosi. Elephantiasis lepra.
Elleborus ἐλλέβορος. Embryo, nondum formatus in utero infans. Empusa ἔμπουσα spectrum, phantasma dæmoniacum. Encomium ἐγκώμιον, laus.
Enyo ἐνυὼ, Bellona. Eos ἠὼς & ἑὼς aurora.
Erebus ἔρεβος, orcus infernalis. Eremus ἔρημος, locus desertus. Eris contentio. Erodius ardea.
Etymon, ἔτυμος ὁ λόγος ἢ τὸ ἔτυμον vera origo.

Euripus εὔριπος, fretum reciprocum. Ex ἐξ.
Exigere ἐξάγειν. Exoticum, id est, extraneum.
Extra ἔξω. Exuo ἐκδύω.

F.

FAgus φηγὸς.
Fascino, multi Grammatici ex βασκάνω faciunt.
Fero φέρω. Ficus συκῆ. ἡ arbor, σῦκον fructus.
Fremo βρέμω.
Frigo φρύγω. torreo. Frigus τὸ ῥῖγος frigus vehemens.
Fucus φῦκος. genus herbæ marinæ, quâ fœminæ utuntur ad ementiendum colorem.
Fuga φυγὴ. Fur φώρ.

G.

GAngræna γάγγραινα, partis alicuius mortificatio. Gaza γάζα, opes, divitiæ. Genu γόνυ.
Gigas inusitatæ proceritatis homo. Glaucus γλαυκὸς. Gobius κώβιος. Grabatus κράβατος lectus.
Griphus γρῖπος & γρῖφος. Grypus γρὺψ avis genus. Guberno κυβερνάω. ῶ. Gummi κόμμι.
Gyrus γυρὸς circulus. γυρίζω gyro.
Gypsum γύψος, calcis genus.

H.

HAlo ἅλως ω. corona, circulus siderum.
Hebdomas ἑβδομὰς, septimana.
Helleborus ἐλλέβορος & ἑλλέβορος. Hepar ἧπαρ, iecur. Hermes ἑρμῆς, Mercurius Deorum nuntius.
Heros ἥρως, qui ex Deo homine natus, semideus est. Hilaris ἱλαρὸς. Hora ὥρα, tempus, vel pulcritudo. Hulcus ἕλκος. Hyacin-

Hyacinthus ὑάκινθος.
Hymen ὑμὴν Deus, vel carmen nuptiale.

I.

IAmbus ἴαμβος. Iaspis ἴασπις lapis pretiosus. Icterus ἴκτερος, morbus regius, inde Icterici.
Ilias Homeri liber, bellum Troianum continens.
Imber ὄμβρος. Imbuo ἐμβύω. Inclytus ἔγκλυτος.
Induo ἐνδύω. Intus ἔντος. Iris ἴρις, arcus cœlestis.
Isthmus ἴσθμος terra angusta duplici interclusa mari.

L.

LAbyrinthus locus multis variarum ambagibus inflexus. Lacero λακέω. Lacryma à græco δάκρυ vel δάκρυον. Lacus λάκκος. Lagena λάγηνος.
Lampas, lampyris, id est, cicindela, sive nitedula, vermiculus noctu lucens. Lamina ἐλαμένη.
Lasanum λάσανον, cloaca. Lectus λέκτρον.
Lecythus λήκυθος, vas olearum. Lego λέγω, colligo, numero. Lembus λέμβος, parvum navigium.
Lemma λῆμμα, assumptio, vel brevis inscriptio.
Lemniscus λημνίσκος fasciola è coronis dependens.
Leo λέων. Lepus λεπορὶς, vel λαγῶς. Lævis λεῖος.
Libanus λίβανος thus, & arbor thurifera.
Libo-as, λείβω, libare Diis. Lichon λειχὴν morbi genus faciem infestans. Lingo λείχω. Lilium λείριον, commutatione literæ. Linquo λείπω. Linum λίνον.
Lotus λωτὸς arbor, pro oblivione ponitur.
Lyceum λύκειον. Luo vel abluo λύω, composita usitata. Luter, λουτήρ. Lupus λύκος. Lux λὺξ, λύκη.
Lychnus, lucerna, lumen, λύχνος.

Lychnuchus à λύχνῳ ἔχω, ellychnium. Lynx λύγξ Lynx fera acutissimo visu. Lyra λύρα organi genus. Lytrum à λύω solvo.

M.

MÆander μαίανδρος Phrygiæ fluvius tortuosus. Mænas furens mulier. Machæra gladius. Machina μηχανὴ ars, solertia. Magia μαγεία.

Magnes μάγνης. Magnus μέγας. Magus sapiens apud Persas. Malum μῆλον. Mamma μάμμα & μάμμη puerorum voces. Mandra μάνδρα stabulum. Mandragora μανδραγόρας, herba soporifera. Mania furor, à μανία. Maniacus furens. Manna μάννα, Latina, Græca & hebraica vox. Margaritis unio. Marmor μάρμαρος. Marsupium μαρσύπιον & μάρσυπος, crumena. Martyr μάρτυρ, testis. Martyrium. Massa μᾶζα, farina macerata, & quidquid farinæ simile est.

Mastiche μαστίχη lentisco arbore proveniens.

Mastix flagrum, scutica, μάστιξ, Homeromastix Homerum perstringens. Mater μήτηρ. Medimnus μέδιμνος, mensuræ genus. Mel μέλι. Meliméla μελίμηλα τὰ poma à melleo sapore sic dicta. Meleagrides Gallinarum Africanarum genus. Melicratum mulsum. Melos μέλος τὸ, membrum, carmen, melodia. plur. n. τὰ μέλεα μέλη. hinc mele g. n. plur. num.

Memor μνήμων. Mensis μὴν. Metallum μέταλλον; accipitur & pro loco, ubi effoditur. Meteorum à μετέωρος τὸ μετέωρον. Metrum μέτρον mensura, modus. Mimus μῖμος. Misceo μίσγω. Mitra μίτρα cingulum, balteus, fascia quâ caput obligatur.

Mœchus μοιχὸς adulter. Mola μύλη. Molossus μολοσσὸς, pes metricus. Momus μῶμος, derisor. Morus stultus. Muræna μύραινα. Murmuro μορμύρω si-

gæ fictum à fluviorem strepitu. Mus μῦς. Musa μοῦσα. Mutilus μίτυλος & μύτιλος. Myrica μυρίκη virgulti genus. Myrtus μύρτος. Mystax ala barbæ.

N.

NÆ ναὶ adverbium affirmantis. Nanus νάνος, à privativa part. & ἄνω augeo. Narcissus νάρκισσος, flos. Nardus νάρδος. Naulum ναῦλον.
Nectar νέκταρ, potus Deorum. Neo νέω. Nervus νεῦρον. Nitrum νίτρον succus concretus, sali finitimus.
No, id est, nato νέω νῶ, Nothus νόθος, spurius, non legitimus. Notus νότος Auster ventus. Nox νύξ.
Nubes νέφος, νεφέλη. Nummus νοῦμμος, à Latinis Græci acceperunt. Nunc νῦν.
Nympha νύμφη, sponsa, vel Dea.

O.

Obolus ὀβολὸς nummus minutus. Obryzum ὄβρυζον, purum aurum χρύσιον. Oceanus ὠκεανος mare. Octo ὀκτὼ, numerus octenarius.
Oestrus & œstrum οἶστρος metaph. stimulus incitamentum. Olea ἐλάια. Oleum ἔλαιον. Olimpias quatuor annorum spatium. Olympus ὄλυμπος mons Thessaliæ, Cœlum. Onyx ὄνυξ unguis, genus gemmæ & marmoris. Opsonium ὄψον. Organum ὄργανον. Orgia ὄργια Deorum sacra, maximè Liberi.
Orion ὠρίων signum cœleste. Orphanus ὀρφανος, orbus parentibus. Oryza ὄρυζα, tritici genus.
Ostreum ὄστρεον genus piscium, qui testis includuntur, Ovis οἶς. Ovum ὠὸν, ὤιον, ὦεον.

P.

PÆan παιὰν, hymnus in laudem Apollinis dictus. Pagus. πηγὴ, quæ vox etiam fontem signat.
Palma παλάμη. Papyrus πάπυρος planta nascens in paludstribus Ægypti. Paradisus παράδεισος, hortus. viridarium. Parasanga παρασάγγας vel ης viarum mensura apud Persas. Pardus πάρδος fera, quæ & πάνθηρ inde Pardalis seu Panthera. Parius πάριος lapis qui ex Paro insula est. Parvus παῦρος. Pasco βόσκω.
Pater πατὴρ. Pauci παῦροι. Pavio παίω. Pechys majus os lacerti, mensura à cubito ad digitum majorem, πῆχος, Pedo βδέω. Pelagus πέλαγος, mare.
Pelargus πέλαργος, ciconia. Pelta πέλτη, scutum brevius, peltatus, id est, armatus. Peplum πέπλος & πέπλον, vestis muliebris. Pepon πέπων. Pera πήρα, saccus.
Perdix πέρδιξ, genus avium. Perna πέρνα, vel πτέρνα.
Perperam à πέρπερον temerarius. Petrus, petra, πέτρος πέτρα. Phalanx φάλαγξ militum. Pharetra φαρέτρα. Pharmacum φάρμακον, medicamentum, venenum. Phasianus φασιανὸς avis sic dicta à Phasi fluvio.
Phiala φιάλη poculum, patera. Phœbus φοῖβος, purus, castus. Phœnix φοῖνιξ avis; Item arbor palma.
Pileus πῖλος, πίλιον. pileolus, Piper πίπερ. Plaga πληγὴ. Planeta πλανήτης à πλανάω erro. Platea πλατεῖα.
Plecto πλέκω. Plectrum πλῆκτρον. Plenus πλέος.
Pluo πλύω. Plutus πλοῦτος Deus divitiarum.
Pœna ποινὴ, ultio injuriæ. Pontus πόντος, mare.
Porcus πόρκος. Presbyter πρεσβύτερος. Pro πρὸ.
Prognosticon quod præcognoscitur. Pronus πρηνὴς.
Propheta προφήτης. Propino προπίνω, nam πίνω bibo. est. Propola προπώλης. Prora πρώρα anterior navis pars.

Psallo ψάλλω cano. Psittacus ψίττακος & ψιττάκη. Pullus πῶλος. Purpura πορφύρα genus conchæ marinæ.

R.

Rhamnus ῥάμνος spinosus frutex. Rhaphanus ῥάφανος. Rheda ῥέδη. Rhombus ῥόμβος. Rhythmus ῥυθμὸς, propriè in Musica. Rigor ῥῖγος τὸ frigus vehemens. Rumpo ῥύπω.

S.

Saccharum σάκχαρ & σακχάριον Saccus σάκκος. Sagena σαγήνη. Sal. ἅλς ὁ. Salamandra σαλαμάνδρα genus animalis. Salpa σάλπη piscis genus. Salum τὸ σάλος maris ora. Sambuca σαμβύκη, instrumentum musicum. Sandalium crepida. Sapphirus σάπφειρος gemmæ nomen, Sarcophagus tumba. Sarissa σάρισσα, hasta Macedoniæ. Satrapa σατράπης provinciæ Præpositus. Satyrus σάτυρος. Scandalum, offendiculum. Scapus σκηπὸς. Scena σκηνὴ. Schola σχολὴ otium. Scomma σκῶμμα. Scopulus σκόπελος. Scopus σκοπὸς. Scoria sordes exundantes ex spumâ auri, ex σκὼρ stercus. Scorpius σκόρπιος. Scyphus σκύφος. Scytha σκύθης. Sera σειρὰ & σιρὰ, Sibilla σίβυλλα vaticinatrix. Simus σιμὸς qui pressis est naribus. Sinapi σίναπι. Sindon σινδὼν linteum tenue. Siphon σίφων, tubus & canalis. Smegma σμῆγμα quo lotrices pannos inungunt. Smilax arbor σμίλαξ. Sophus σοφὸς sapiens. Spatha σπάθη. instrumentum quo Pharmacopolæ pharmacum in mortario movent. Spira σπεῖρα linea flexuosa, sertum pilei. Spithama σπιθαμὴ spacium inter pollicem & minimum digitum expassum.

Splen σπλὴν. Sphœra σφαῖρα globus. Spolium σκῦλον. Spondylus σπόνδυλος vertebra spinæ dorsi. Spongia σπόγγος & σπογγιά. Stadium στάδιον. Stemma στέμμα. Stipo στείβω. Stoa στοὰ porticus, stoici. Stomachus στόμαχος. Struthio struthiocamelus στρουθὸς passer. Stupa στύπη. Sus ὗς porcus, aper. Stylus στῦλος.

T.

TÆnia ταινία. Talentum τάλαντον. Tapes τάπης. Tarichus τάριχος Salsamentum. Tartarus τάρταρος. Taurus ταῦρος. Tego στέγω abiecto σ. Techna τέχνη, ars, dolus, fallacia. Telonium τελώνιον, τέλος. Tempe, τὰ τέμπη loca amœna Thessaliæ. Terebinthus τερέβινθος. Terebra τέρετρον à τερέω. Terminus τέρμα, Tero τείρω, affligo, absumo, attero. Thalamus θάλαμος propriè cubiculum conjugum. Themis θέμις lex, Item Dea justitia dicta. Thenar musculus in manu θέναρ. Thesaurus θησαυρὸς acervus rerum repositarum. Tholus. θόλος ædificium rotundum in acumen desinens. Thorax θώραξ vestis quæ pectus ambit. Thrax θρᾴξ, qui ex Thracia est. Threnus θρῆνος luctus. Thunnus sive Thynnus θύννος nomen piscis. Thymus vel Thymum θύμος herba, θυμὸς animus. Tiara τιάρα capitis tegumentum. Tigris τίγρις fera. Tingo τέγγω, Titillo τιλλω. Tonus τόνος. Tres τρεῖς, τρία tria. Triumphus τρίαμβος. Trutina τρυτάνη. Tumba τύμβος bustum, sepulchrum. Turba τύρβη. Tympanum à τύπτω. Tyrannus τύραννος Rex, nunc in malam partem sumitur Tyrannis.

V.

VÆ οὐαί. Vado βάδω βαίνω. Vallis βαλβὶς locus unde qui certant emittuntur. Latini carceres nominant. Vesper ἕσπερος. Vestis ἐσθὴς. Vlcus ἕλκος. Vlna ὠλένη. Vncus ὄγκος vel ὄγκη, eminentia, extantia.

Z.

ZElus, ζῆλος æmulatio, inde zelotes. Zephyrus ζέφυρος. Zingiber herba, zizanium lolium. Zona ζώνη.
Zythus ζύθος potus hordeaceus.

CAPUT. IV.

De Proverbiis ad ornandam dictionem facientibus.

PRoverbiorum magna in oratione gratia, quocirca hac nobis prætereunda non erunt. Definiri universè poterunt, quod sint dicta quædam illustria vel in vulgo, vel inter doctos eodem modo frequentata, quæ singulari brevitate & gratia veritatem exponant. Duplici verò ratione potissimum illustrantur, vel ab aliqua quam involvunt similitudine, vel antiquorum ritu, fabula, historiave. illa plerumque notiora, atque in vulgo usurpata παροιμίαι *Græcis dicuntur, tanquam passim in viis audita. hæc verò* ἱερὰ *sacra appellantur, vulgo incognita, à doctis celebrata. Utrorumque primò Erasmus, deinde & Paulus Manutius egregium delectum, ex Græcis potissimum autoribus, magno atque erudito opere instituit. Nos tamen Græcis parcius, quàm Latinis consultò utemur.*

Faciunt itaque tam ad laudem, quam contemptum inprimis in oratione proverbia: magis tamen in illa, quæ familiaris est: &, vel in Dialogis: vel in epistolis, vel certè instructione morum versatur. ut cum suaviter canenti dixeris, Luscinia es, *plus laudis tribuisse videberis; quam si dicas* suaviter concinis. *si contra, voce rauca ingratum sic perstringas.* asinus rudit, *quid ad despectum gravius dicturus es?*

Illustrant verò non tam raritate (nisi ἱερὰ *fuerint) quam vi quadam significationis singulari, eademque orationem mirificè elevant, ut cum vulgaris sit, minimè tamen vulgaris esse videatur. Ad irridendum verò adversarium nihil æquè est*

est comparatum. ut si rudiorem doctioribus se præferentem refellas, hoc dicto, Sus Minervam: *aut*, Graculus Lusciniam *aut*, inter cygnos anser strepit. *vel*, cancer leporem ducit.

Extollunt verò inprimis orationem, atque à vulgo transferunt proverbia ex antiquitate historiisque desumpta; ut magis infra patebit, ubi de Antiquitatibus singularis instituetur tractatio, unde & Proverbiorum cognitione usuique majus lumen accedet.

Cavendum tamen, ne vel frequentia nimia vel usu longè petito affectationem, vel ex obscura nimium antiquitate tenebras orationi inferant. sint velut gemmæ quædam dictionis, quæ ex vicino etiam auro ornentur; lumenque cùm adferunt, vicissim accipiant. Quæ enim obscuriora sunt, ex circumfusa orationis claritate debent illustrari, expositionemque lectori ita subiicere, ut antiquitatem, si eruditione nequeat, conjectura saltem aliqua consequatur. ut si dixeris, Cestius Ciceronem *de eloquentia instruit, facilè intelliget lector ex opposita illi Ciceronis sibi nota voce, quod Cestius fuerit Tullio dicendi rudior, modò adjuncta orationis ostendant, de inepto aliquo sermonem institui, ne Cestius tanquam Magister Tullii id fecisse credatur. De hoc enim Seneca lib. 1. suasoria 7. ait; Cestium nullius ingenii hominem, Ciceroni tamen obtrectantem, in M. Tullii Ciceronis filii mensa, flagris hanc dicacitatem luisse. quanquam & Cicero nihil ex paterno haberet ingenio, præter urbanitatem.*

Nunc verò, pro more nostro exemplis res stabilienda esset, nisi passim hæc fierent obvia; quanquam in Dialogo eius postea generis daturi simus. In oratoria facultate Rhetoribus eorum usus rarior est. Ciceronis tamen pro Flacco illud est, quâ Græcorum in Asia levitatem fidemque in testificando vellicat, his verbis.

Quæso à vobis Asiatici testes, cum verè recordari voletis, quantum autoritatis in iudicium afferatis, vobismetipsis describa-

describatis Asiam, nec quid alienigenæ de vobis loqui soleant, sed quid vosmetipsi de genere vestro statuatis, memineritis. Namque, ut opinor Asia vestra constat ex Phrygia, Mysia, Caria, Lydia. Utrum igitur nostrum est, an vestrum hoc vetus proverbium. Phrygem plagis fieri solere meliorem? *Quid de tota Caria? Nonne hoc vestra voce vulgatum est,* si quid cum periculo experiri velis, in Caria hoc *potissimum* faciendum? *Quid porrò in Græco Sermone tam tritum atque celebratum est, quam si quis despicatui ducitur, ut* Mysorum ultimus *esse dicatur? Nam quid ego dicam de Lydia. Quis unquam Græcus* comœdiam *scripsit, in qua servus primarum partium non Lydus esset? Quamobrem, quæ vobis fit iniuria, si statuimus vestro nobis iudicio standum esse de vobis?*

Ceterùm in rem studiosorum adolescentum, quibus minor librorum copia est, futurum arbitror, si compendio præcipua ex Proverbiis per certos titulos digesta, cum brevissima difficiliorum expositione, subiecero, ut in facilem à quibusvis usum traduci queant. Ac perquam futurum utile expediensque ad eloquentiam aspiranti existimo, si hinc in epistolis Dialogisque scribendis illorum tabulam præ oculis habeat, sibique familiarem esse velit, dum præcipua memoria insideant; opportunis deinde locis ab ingenio depromenda. Sint licet nonnunquam in principio adscita, & tanquam violentiam passa ingerantur; erit deinde cum loco ac tempore velut nata excidant, & non minimam conciliabunt dicenti venustatem. Cuiuslibet artis opus rudiores primo artifices patitur, nec nisi sensim ingenio simul industriaque perpolitur. qui nunquam malè, nunquam benè. primum Hermuli, deinde Mercurii finguntur.

CAPUT

CAPUT. V.

TABULA BREVIS PROVERBIORUM.

Ab initio.

AB incunabulis. A teneris unguiculis. A capite. A linea. A fonte. Ab ipso Lare : *unde scilicet exitur.* Scindere glaciem. *id est viam pandere.*

Ab initio ad finem.

A carcere ad metas. *ut in stadiis.* Telam ordiri, & pertexere. *Prora & puppis est.* πρώρα καὶ πρύμνη. Ab ovo ad mala, *ut Romani in mensis.* Nondum in apio sunt: *nam extremum apio conseri solitum.* ἀρχὴ ἥμισυ παντός. *Principium dimidium totius.* πρόσω καὶ ὀπίσω. *à fronte & tergo.*

Absolvere vide *Perficere.*

Absurda & inconvenientia.

Asinus volans, *sive* avis ὄνος ὄρνις. Sus Minervam: *docet.* ὗς τὴν Ἀθηνᾶν Ranæ aquam, *ferre.* Mercurius infans. Soli lumen: *dare.* Vespa cicadæ: Pica lusciniæ: *obstrepens.* Currus bovem trahit. Cancer leporem capit. Silurus putris in quadra argentea. Eodem collyrio mederi omnibus. Archilochi melos: *hymnus rudis musis*

tis adhibitus. In tragœdia comicus. Sus saltavit. Omissis fontibus consectari rivulos.

Iungat vulpes & mulgeat hircos. *Virg.*

Iugulare mortuos. In silvam ligna ferre. Calceus pede minor. Nudum spoliare. In aere piscari. Venari in flumine. Elephantum ex musca facis. Faber cum sis non tractas fabrilia. *Plut.* ἰχθὺν νήχεσθαι διδάσκεις. *Piscem natare doces.* Teipsum non alens, canes alis. Camelus saltat. Testudo volat. In pace Leo, in bello Lepus. Colorem ebori dare, *quod nullum recepit.* γραῦς ἔριφος: Anus hædus, *seu* saltans. Lucernam adhibet in meridie. Cani das paleas, asino ossa. ὕστερον πρότερον: *præposterè.* Tute lepus es, & pulpamentum quæris. *Terent.*

ἄλλων ἰατρὸς, αὐτὸς ἕλκεσι βρύων. *Plut.*
Aliorum medicus ipse vulneribus scates

Leonis exuvium super crocoton, *id est, vestem muliebrem.* Inter Sosias (*servos comicos*) referre. Crocum in Ciliciam: *portat, ubi abundat.* Fronti ocream, tibiæ galeam, aptas. Apologus Alcioni; *seu, fabulæ aniles.*

Adulatio.

Mercenarium præconium. *Cic. Ver. 3.* ῥήματα μαγειρικὰ *Aristoph. in Equit. Verba coquinaria loqui.* χρηστολόγος *speciosa loquens.* ἐν θύρα καλὸς: *In ostio formosus.* Πύθων καλός: *Python formosus.* Pind. μυοσόβαι: *Muscarum abactores,* in *Conviviis apud Persas adhibiti* Athenæ. Cura esse quod audis *Horat.* σῦκον αἰτεῖ, *ficum petit.* ἀδελφίζειν: *fraterculum se facere.* Io. Pæan. *acclamatio læta* Lethale mulsum. Magis ipse Phryx. *Phryges enim dolosi simulatores.* Glossogastores, *qui linguâ ventri serviunt.* Climacides. *scalæ sunt, quales videntur, qui adulando se*

aliorum

aliorum servituti submittunt. Polycrates Matrem: *dabat aliis, defunctorum militum; sed ut alerent.* Caracallæ nummi: *adulterini scilicet.* Herculana Scabies: *suaviter titillans.*

Aliis alia placent.

Quot homines tot sententiæ. *Terent.*
Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno. *Pers.*
Asinus Asino, & sus sui pulcher. *Alcim.*
Quisquis amat ranam, ranam putat esse Dianam.
Delectat Balbinum polypus Agnæ. *Horat. nempe uxoris: fœtens polypus bene ipsi olebat.*
Alia aliis conveniunt.
Non omnia possumus omnes. *Virg.*
Non omnis fert omnia tellus. *Id.*
ἔργα νέων, βουλαὶ δὲ μέσων, εὐχαὶ δὲ γερόντων.
Facta juvenum, consilia mediocrium, vota senum. *Hesiod.*

Aliena à re.

Οὐδὲν πρὸς ἔπος, nihil ad versum. *Lucia.* Nihil ad fides, *seu* Chordas. Nil ad farinam. Quid ad Mercurium? Ego de cælo, tu de terra. οὔτε γῆς, οὔτε οὐρανοῦ ἅπτεται. *Neque cælum, neque terram tangit.* Lucian. Vltra septa transilire. Extra oleas ferri. *Extra chorum saltare.* ἐξορχεῖσθαι. *De curru delapsus.* ἐξαμαξόμενος. Alia res sceptrum, alia plectrum. Alia Menecles, alia Porcellus (*sus*) loquitur. Meos corymbos (*corollas*) necto: *tu tuos.* Sed lis est de tribus capellis. *Mart.* Mihi isthic nec seritur, nec metitur. *Plaut.* Omni pedi eundem calceum induere. *Galen.* ἡ δημαγωγία γὰρ οὐ πρὸς μουσικοῦ. *Respublica nihil ad Musicum.*

Aliena non curanda sunt.

In alieno choro pedem ponere. Τὰ ὑπὲρ ἡμᾶς, οὐδὲν

πρὸς ἡμᾶς. *Quæ supra nos, nihil ad nos.* Socrat. Vtere curru, de asinis nihil laborans.

Curabit prælia Conon. *Dux Atheniensis*

Aliis sapere.

Facilè cum valemus recta consilia ægrotis damus. *Terent.* De alieno ludis corio. *Apuleius.* Quarta Luna nati. *Vt Hercules creditur.* Ἀλλότριον ἀμᾶς θέρος. *Alienam metis messem,* Aristoph.

ἐξάντης λίυσω ἐν μὸν κακὸν ἄλλον ἔχοντα.

Indemnis spectabo alium mala nostra ferentem. Aristot.

Amicitia.

Ama tanquam osurus, oderis tanquam amaturus. *Hoc Cicero tamen reprehendit, & substituit.* Ne quando amare incipias, quem odisse possis. Amantium iræ amoris redintegratio est. *Terent.*

Mores amici noveris, non oderis.

Μηδὲ πολύξεινον, Μηδ᾽ ἄξεινον καλέεσθαι.

Nec multis, sed nec nulli dicaris amicus. *Hesiodus.* Vnus Deus, & plures amici. Μὴ παντὶ ἐμβάλλειν δεξιάν *Plutarc.* Ne cuivis porrigas dexteram. Τὰ τῶν φίλων κοινά: Amicorum omnia communia *Pytag.* χρήσει καὶ κτήσει, fructu & proprietate, *nempe tuus sum*, *Cicer. l. 9. fam.* Salem in mensa ne prætereas; *paucis contentus. Hinc Augustus tenuiter exceptus;* nesciebam *ait,* me tibi tam amicum esse. Κρατὴρ φιλοτήσιος *Plut. qui etiamnum Germanis pro amicitia servit.* εὐτυχία πολύφιλος *Theognis.* Felicium multi cognati. Amicus certus in re incerta cernitur. *Tull.* Viri infortunati procul amici. *Aristod.* χύτρας φιλία. Ollæ amicitia *Plut.* Συγκρητισμός. *Dolosa amicitia, qualis erat Cretensium, ubi suo quisque bono studet.* Vsque ad aras amicus. *id est, donec offensa Numinis non incurritur.* Plures orientem solem adorant.

rant. *Plut.* *Fac nidum in una arbore.*

Τίς ἂν φιλέοντι μάχοιτο? *Homer.*

Quisquamne repugnet amico.

Amor.

Ἀμφιθαλὴς ἔρως Aristoph. *Vtrimque florens amor.* Caunius amor, *id, est impurus, quod Biblis soror ab hoc repulsa, ultro perierit.* Cestum habet Veneris. *Cingulum quo Iuno Iovem sibi conciliavit.* Mansum ex ore porrigat: *ut nutrices solent.* ὡς λύκος ἄρνα φιλεῖ. Plato. Vt lupus agnam amat. Ὕβρις ἔρωτας ἔλυσε. Iniuria soluit amorem. E Creta raptus. *Vnde formosa abducebantur.* Qui non zelat, non amat. *Augustinus olim dicit usurpatum.*

Anceps res & ambigua.

Plus aloes, quàm mellis habet. *Iuvenal.* Polypi caput; *esu suave, digestione grave.* Etiam suam capillus habet umbram. *Publius.* Δίχωλοι γνῶμαι. Claudicantes sententiæ.

ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ. Homer.

Volens nolente animo. Vnica filia duos parare generos. Inter pueros senex. Aut flos, aut cucurbita: *nam flores multi, rarus fructus.* Testudinis carnes, aut edas (*liberaliter*) aut non edas : *nam parcè sumpta tormina creant.* Athenæ. Aut quinque bibe, aut tria, aut ne quatuor: *quòd hic numerus malè ominatus esset. Athen.* Hasta caduceum: *præferre, ut Athenienses Eumulpho, caduceo ante exercitum lato occurrerunt.* Mercurius triceps, *sive,* in trivio Pſecas, aut ros, *ex matutinis nubeculis.* Delphicus gladius ; *sacris victimis, & suppliciis, reorum serviens. Aristot.* Pallio philosophico militarem addit baltheum. Geminas chordas tangit. Alcibiades alter: *qui apud Iones deliciis, apud Thessalos militia, apud Thebanos rei rusticæ deditus.*

Approbare vel improbare.

Premere pollicem: *favoris olim signum*; *at* convertere, *aversantis*. Omne tulit punctum. Omnium calculis. Λευκὴν ψῆφον προσθεῖναι *Aristot*. Album calculum apponere. *ut*, Cressa nota, *vel* Creta notare. *quod erat absolvere: contra est*: ater calculus &, carbone notare. Pedibus in sententiam ire. *Cicer. & usitatum olim in campo martio: & pedariis senatoribus fuit*. Ne Iupiter quidem omnibus placet. *Theog*. Vel Momo Iudice rectum est.

Arrogantia.

Gallus in suo sterquilinio ferox. *Seneca*. Atcem ex cloaca facere. *Cicero*. Tollere supercilium, *vel* ponere. Et pauper cornua sumit. *Ovid*.

Τῶν ὕβρις τε βίη τε σιδήρεον οὐρανὸν ἥκει. *Hom*.

Horum vis animusque ferox contingit olympum. Tuo te pede metire. *Horat*. Ὑπὲρ τὴν πήραν φρονεῖν. *Lucian*. Super peram (*pastoritiam*) sapere. ἁμαξιαῖα. plaustralia: *loquitur. Nam ut plaustris spargebant olim convivia*.

Pennas nido majores extendere. *Hor*. Laureolam in mustaceo quaerere. *In libo nempe ramenta lauri olim mixta, quae à lauro procul distant. Cic. ad Att*.

Palmarium facinus. *Ter nempe palma dignum*. Cicadis pleni: *quae olim signum nobilitatis*. Homo Bombylius *qui est fucus strepens sine mellificio*. Iovis sandalium, *id est*, *crepida Iove digna*. Narrat Vlysses, Quae sine teste gerit, αὐτὸς ἔφα. Ipse dixit; *ut Pythagoras olim*. Sapientum octauus. *quorum septem tantum noti*. Ampullas loquitur. *Crassi ventris vasa sunt*. E tibicina & folle. Basilice. Tragici cothurni. Archivum fert clypeum. Pisandri galea & supercilium. *Erat homo statura & animi*

mis formidabilis. Telephus(*Rex Mysorum*)è perula *mendicorum agnosceris.* Ocyma cantare:*quod putabant, iactis,dum seritur,probris,felicius crescere. Plin.* Cænei hasta : *Regis Lapitharum invulnerabilis , per cujus hastam iurabant. Ovid.* Delphinum patina non capit. *ait Rhetor Amphicrates,ad Tigranis aulam invitatus.* Hic Rhodus,hic salta. *Ad quendam qui in Rhodo saltans;ubi saltu opus,haerebat ignarus.* Calliphanes:*qui initia multorum librorum didicerat,cetera ignorabat.* Salmoneus alter:*qui Iovis tonitrua & fulmina in ponte aeneo imitatus est.* Arthenesius: *æmuli Zenonis domum suppositis tubulis, velut terræ motu, concussit.* Suffenus *vel* Mævius: *inepti poetæ,sed jactabundi,dicacisque.* Hor. Sybaritæ per plateas: *homines molles & superbi.* Gigantum soboles. Bullatæ nugæ. *Pers.* suspendit hederam. Cœlum territat armis. *Virg.* Peleus sibi placet in Machæra: *Vulcani dono.*

Asperitas & morositas.

Ferreus. Aheneus. Cornea fibra. *Pers.* θυμϐροφάγοι. Tymbra victitantes. Echino asperior. *Plin.* Quercus bacchatur. Κεραϭϐόλος. *Plutarchus de duris.* Scytharum oratio: *hominum ferocium.* Scabrosior leberide:*pelle serpentis deposita.*

Assiduitas.

Gutta cavat lapidem non vi,sed sæpe cadendo. Taurum tollet, qui vitulum tulit: *ut Milo.* Polypus sæpe contusus,*melius sapit.* Fabricando fabri fiunt. Μελέτη πάντα δύναται. *Cura omnia potest.* Labor improbus omnia vincit. *Virg.*

Attentio & contra.

Purgatis, *vel* arrectis auribus adstat. *Virg. contra*

Ceram auribus obdis. *ut Vlysses.* Νῦν τὸν ξένον : Mens peregrina est. Præsens absens. Age quod agis.

Avaritia vide *Rapacitas.*

Audacia.

Martis pullus. Alter Hercules. Achilles. θυμὸς ἑπταβόειος vel ἑπτάβοιος, Animus heptabæus vel heptaboæus, *velut clypeus Aiacis septemplici boum tergore obductus.* Vbi uber, ibi tuber. In discrimine apparet. Improbitas Muscæ; *semper redeuntis.* Megabocchus ut *Cicero Pompeium, Bocchi Africæ Regis elationem secutum, vocat.*

Auxilium infirmum.

Lunæ radiis non maturescit botrus. *Plut.*

Διαβιβάζειν τὸν ποταμόν. *Plut.* superare flumen.

Συκίνη ἐπικουρία ficulnum auxilium. *Aristoph.*

Auxilium firmum.

Titanas implotas, *ut Iuppiter.* Non absque Theseo. *qui Meleagro contra aprum, Pirithoo contra taurus, Herculi contra Amazonas adstitit.* Comite Hercule *Theseus ad inferos tendit.*

ἐν γὰρ χερσὶ τέλος πολέμου *Hom.*

In manibus finis belli.

πλῆον καὶ πλεόνων μελέτη *Hesiod.*

Plus potest plurium cura.

Absque auxilio.

Proprio Marte. Auspiciis meis. ἄνευ κυνῶν τε καὶ λίνων. Sine canibus & retibus. *Pindarus.*

—Sine cortice nabis. *Horat.*

Auxilium mutuum.

Manus manum fricat, ferrum ferro acuitur. Fricantem refrica, Mulus mulum scabit.

Αὐτῷ πήχει. Eadem regula, A mensura, cubito. Par pari, *ἴσον ἴσῳ.* Redostire. Hostimentum, *id est, beneficium repensum.*

B.

Beneficium corrumpere.

Capra Scyria; *ferox, ideoque lac datum facilè rursum evertens.* Canina victitans, *Cynocephalos oppugnas.* *Feras, vel ut quidam, homines in Æthiopia feroces.* *Idem penè quod.* Homo homini lupus.

—*ἀπώλεσας οἶνον ἐπιχέας ὕδωρ. Hom.*

Perdidisti vinum infusa aqua.

Bibacitas.

Ranarum more vivere, *semper in humido.*

Οἱ πίνουσι μόνον βατράχων τρόπον, οὐδὲν ἔδοντες.

Absque cibo vivunt ranarum more bibentes. *Athen.* *οἰνάγχη* angina vini, *laborare.* Habere Madusam *Plaut.* *ebrietate madere.* *Κωθωνίζειν* Cothonissare. *Cothon poculi genus est.* Cyathissare, *idem est.* Calicum remiges. *Plaut.* Parthi quo plus bibunt, plus sitiunt. Nec Elephantus ebibat, *οὐδ' ἂν ἐλέφας ἐκπίοι. Athen.* Hectorem imitaris. non recedis ab Ilio. *nam Ilium urbs & ventris intestinum dicitur.*

Bona fortuna & felicitas.

Bonis avibus, auguriis, omine. Diis hominibusque plaudentibus. *Cicer.* Gygis annulus. Orci (*seu* Plutonis) galea, *quæ qui ferebant, occulti suis rebus providebant.* Virgula divina. *Mercurio ad omnia serviens.*

Laureum gestare baculum: *adversus fulmen est.*

Noctua volat: *Athenis symbolum victoriæ. Et pecunia huius imagine signata.* Dextro, *seu,* amico Hercule. *qui mortiens prædixit felices fore, qui sibi decimam offerrent.*

Davidis cantilena. *Persarum satrapa, qui cantare solitus; delector, gaudeo, lætor. Suid.* ἀγαθῶν ἀγαθίδες Bonorum glomi.

ἐπέπλατο δεξιὸς ὄρνις *Hom.* à dextris advolat ales. Oculus dexter mihi salit, *Theocr.* vel Supercilium. *Plaut.* Capram cœlestem vidit orientem, *Plut. Existimabant hâc visa Iovis nutrice se votorum compotes fore.* Copiæ cornu, *vel* Amalthææ, *Capra, cuius cornu Iupiter omni fructuum genere explevit,* Βοῦς ἐπὶ φάτνῃ. Bos ad præsepe. *Philost.* Βοῦς ἐπὶ σωρῷ. Bos in acervo. *convenit in divites & rudes.* Albæ Gallinæ filius *Inde fortè natum, quod Augusto in sinum alba Gallina cum Lauro devolarit, signum augustæ fortunæ. Suet.* Lac Gallinaceum; *res rara.*

Bonorum myrmecia: *caverna formicarum plena sic appellantur.* Bonorum Thassus, *insula juxta Thracas fertilissima. vel.* Dathus *urbs Thasiorum ditissima. vel.* Gargara bonorum *fictâ voce, copiam significabat.* Semper feliciter cadunt, Iovis taxilli. Bis sex iacit *qui iactus felix.* Midas in tesseris consultor optimus. *Iactus vocabulum à Mida felicitate sumptum.* Inveni, non quod pueri in faba: *Midam nempe vermiculum, quo in faba reperto, pueri tanquam re magna, gestiunt.* Procridis telum: *quo Cephalus pro fera, certo ictu uxorem Procridem trajecit, sortem adversam designat.* Ilias & plaustra bonorum, *vel* malorum.

Brevitas,

Λακωνισμός. Laconicè ἐν ἐπιτομῇ *Cicer. ad Att.* Tribus verbis. Vno fasce complectar. *Plin.* Numero dicis. *Plaut.* Minore finire pomœrio. Meta claudere, Circumscribere cancellis.

C. Cæs.

C.

Cæcutire.

Lolio victitare: *unde fluunt oculi.* Cæcior Talpa; *vel* lebetide, *exuvio serpentis.* Tenebræ Cimmeriæ, *ubi verò sol lucet, ut in septentrione.* Saturniæ *sive seniles* lemæ, *pellicula seu humor concretus oculos vitians.* Hypsea *vel* Tiresia cæcior: *illa mulier, hic vir cæcus.* E duobus tria videt, *vel,* quatuor.

Calumniari.

Sycophantæ morsus. Samij mores. Κρατὴρ κακῶν. *Crater malorum.* Argiva calumnia. Frustra Herculi. Theocrines Tragicus, *Fuit calumniator.* Abydus Abydenum, *nempe profert.* Boliti pœnam, *Stercus bubulum est, cuius furem Solon lege lata multabat.* Propria vineta cædere: *seipsum lædere.*

Cedendum multitudini

Ne Hercules quidem adversus duos. *Plato.*

Noli pugnare duobus. *Catul.*

Plurium calculus vincit. εἷς ἀνὴρ οὐδεὶς ἀνήρ. *Vnus vir nullus vir.* Via publica ne deflectas. Loquendum ut pauci. Tria cavenda Theraminis, *Atheniensis civis, qui cum triginta Tyrannis se opposuisset, exul factus, in vincula tractus, cicutam bibit.*

Clamor. Strepitus.

Columnas rumpat. Apertis tibiis. Laurus ardet, *cum strepitu scilicet.* Cyclobori voces, *fluvii obstreperi in Attica.* Sarpedonium littus, *quod mare impetuosius verberat.* Stentore clamosior, *cui Homerus dat vocem ferream.* Iliad. ε. Claudiana tonitrua, *quæ Claudius Imper. post scenam arte finxit.* Abydena illatio, ubi post convivium pueri & mulieres cum strepitu admissæ.

Septem convivium, novem convitium. *Gellius.*
Λαρυγγίζειν diducto gutture clamare.

Conatus.

Pro virili. Remis velisque. Hasta & scuto. Nervis omnibus. Manibus pedibusque. Omni pede standum. ὅλῳ ποδί. *Suid.*

In magnis voluisse sat est. *Tibul.*

—Miscebis sacra prophanis. *Horat.*

Cœlo terram, terræ cœlum miscent. *Livius.*

Concordia.

Pariter remum ducere. ὁμοῤῥοθῶ *simul adnitor. Aristoph.* Olearii in velabro. *foro suo conspirabant, quis pluris oleum venderet.* ἐς τ' αὐτὸν συμφῦσαι. *In idem conspirare. Plato,* Concordia res parvæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur. Scilluri fasciculus. *qui Rex filiis 50. moriens seorsim bacillos exhibuit facilè fractos; sed conjuncti frangi non poterant. Plut.* Acum & filum sumens rupturam consue.

Coniectura.

Ex ungue Leonem. Ex cauda vulpem. Ex cantu avem. Vultu Æthiopem. Qualis vir talis oratio.

Οὐ μὲν γάρ τι κακῷ εἰς ὦπα ἐώκει. *Hom.*

Non esse malus ex vultu est visus. Μία χελιδὼν ἔαρ οὐ ποιεῖ. *Aristot.* Vna hirundo ver non facit. Rem acu tetigisti. Scopum tangis.

θανὼν καθ' ὕπνους φροντίδων ἔσῃ δίχα.

Curis vacabis, mortuus per somnium.

Consilium.

Σύμβουλος ἱερὸν χρῆμα. *Zenodot.* Consultor res sacra est. Archilochi vulpes. *qui in omnibus apologis vulpes inducebat.* Cum aliqua esse queas, inter graculos

primas

primas non optes. Nunquam crateri lagenam impone, *quasi exhausturus simul omnia.*

Consilium malum consultori pessimum.

ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη. *Hesiod.*

Cosæ consilium, *quod neglectum est ab Atticis, cùm fœdus servandum doceret, ideoque periêre.*

Contagio morum.

Ne gustaris quibus nigra est cauda. *Pythag.* Oscitante uno oscitat & alter. Iuxta claudum claudicare disces. *Plut.*

Κακοῖς ὁμιλῶν ἐκβήσῃ κ' αὐτὸς ἐκβήσῃ κακός.

Malus ipse fies, si malis convixeris. *Menander.*

Vuaque conspecta livorem ducit ab uva. *Ovid.*

Contemptus & vilis.

Homo tressis. *Pers.* semissis *Cic. vix tribus, aut medio asse emendus.* Triobolaris. Vix concha dignus. Tineas pascens. Aquila non captat muscas. Thripas non aspicit: *parva avicula quàm non capit.* cornicem negligit: *quam licet se irritantem despicit.* Incus non cedit. Asinus compluitur. Asinus esuriens fustem negligit. *Aristot.* Arbore dejecta, quisvis ligna colligit. *Iuven.* Murem non captat Elephantus, *quamvis suis infestum naribus.* Septimus bos, *qualis dicebatur, quem pauperes farina ex compositum immolabant, post sextam lunam. Sic.* Bos Locrensium, *qui ligna in specie bovis Diis accenderunt.* Bos Homolottorum: *qui in minimas partes discerpto bove, fœdus inibant, ut Zenodot.* Tricæ, Apinæ. *Mart.* Nebulæ in pariete. Holerum appositores, Syrorum olera. Etiam Corchorus (*herba vilis*) inter olera. Trium literarum homo, *fur.* Ciceris & necis emptor. Vitiosa nuce non emam. Cassa glande. Sardi venales. *à Sempronio diu sub hasta propositi.* Siculus miles, *sordida*

quaque lucri causa agens. Servorum civitas. *talis in libya, in quam si lapidem servus tulisset, liber erat*. Mysorum (*vilis hic populus*) postremus. Attagen: *avis varia, ut stigmatici servi*. Ficulnus: *inutile & fragile lignum*. Principatus Scyrius: *hominum agrestium & ex sterili terra inopum*. Res Cecidis (*obsoleti poetæ*) & Buphoniorum. *festa Athenis, à cade boū, abolita. Convenit in res vetustate exoletas*. Calabri hóspitis Xenia. *qui pyra apponit, & si renuas, porcis proiicit*. Numerum implet. Fumi, *vel* Scarabæi umbra. Imi subsellii homo. Ollaris Deus; *ut Silenus & Priapus, qui ex luto fingebantur, alii ex ære*.
Merx ultronea putet. Numerus est.
Targicus Rex. Alga vilior. *Virg.* Canis vivens è magdalia: *reliquiis furfuris & purgamenti. ut parasiti sunt*.
Megarenses neque tertii, neque quarti, ob ignaviam.
Indignus qui matulam porrigat. *Mart.*

Ῥάκ⊕ πολυσχιδὲς. Pannus lacer. *Lucian.*
Ἀςραπὴ ἐν πυέλῳ. fulgor ex pelui. *Diogenia.*
τὸ Δίων⊕ γρύ Dionis gry. ὁ ἀμφότερ⊕ ὀυδέτερ⊕: Vterque nullus. Vmbræ. *qui alios ad convivia sequebantur.*

Crudelitas.

Phalaridis taurus. *æreus, in quo homines, subiecto igne mugientes, torrebat*. Manliana imperia. *Manlius enim proprium filium edicti publici trangressorem occidit. Valer*. Mors Marsyæ: *qui, quod cum Apolline tibiis contendisset, excoriatus est*. Opera Sylosontis est ampla regio: *hic à Dario Samiis ex imo grege præfectus, tā crudeliter rexit, ut omnes insulam desererent*. *Strabo.* Sicula aula: *in qua Tyrannus Dionysius*. Thyestea cœna: *in qua cocti filii.*

ἔλαιον ὀυκ ἔνεςιν ἐν τῷ ληκύθῳ: *Aristoph.*
Non est oleum in lecytho. *alluditur ad vocem ἔλε⊕ misericordiam*. Bupali odium: *qui se suspendit, cum Hipponactis æmuli poëtæ versus non ferret.*

Curiosus.

Curiosus.

Canes venatici *Cic.* Vbi Atridarum Scaphæ. *Idem.* Corycæus: *explorator olim dictus, ex Coryco Pamphiliæ monte insidiis opportuno.* Ωτα καὶ ὀφθαλμοὶ βασιλέως πολλοί *Lucia.* Multæ Regum aures & oculi.

πάντα γυναῖκες ἴσασι, καὶ ὡς Ζεὺς ἠγάγεθ' ἥρην.
Omnia norunt feminæ, etiam quomodo Iupiter duxerit Iunonem. Theocr.

πολυμαθημοσύνης τοῦ κενεώτερον ἄλλο.
Nihil inanius quam cuncta scire.

D.

Damnare.

Tristis litera. θ. *sed T. salutaris*: quod hæc absolueret, illa damnaret. *Cic pro Mil.* Nigrum præfigere *Theta. Pers.*

Hic niger est, hunc tu Romane caveto. *Hor.*

ψήφῳ δάκνειν, *Aristoph.* calculo mordere. ὀβελίζειν, veru figere. *ut in libris Homeri.* Aristarchus, *versibus adulterinis veru, ceteris stellam præfixit.* Ceræ miniatulæ, *Cic. nam Atticus quæ in Cicerone minus probabat, cerâ signabat rubrâ.* Contra retiarium ferula, *Mart. Nam gladiatores olim, si inepti essent, ferula eijciebantur.*

Degener.

Heroum filii noxæ. E sapientibus plerumque stulti. Paternas haud canit cantiones. *Terent.* Ab equis ad asinos. Troia non generat Thracem. Acesias medicus: *qui compertus augere malum. Diogenia.* Domus domino illustrior. Mandrabuli more: *qui reperto thesauro, ex voto quotannis coronam Iunoni soluturus, primo auream, altero anno argenteam, tertio æream dedit.* Vulpes proficiens. Tripuer senex.

Tle

Τίς πατέρ' αἰνήσει, εἰ μὴ κακοδαίμονα τέκνα;
—*Quis patrem laudat, nisi pessima proles?*

Deridere.

Et pueri nasum Rhinocerotis habent. *Mart.*
—Naso suspendis adunco. *Horat.*
Loripedem rectus derideat, Æthiopem albus. *Iuvenal.*
—Posticâ illudere Sannâ. *Pers. Plaut.*
—Quem nulla ciconia pinsit. *Pers.*
Nam formatis digitis ad rostri ciconiæ speciem à tergo illudebant.

Desperare.

πέπρακται *Diogeni.* Actum est. Nullus sum. Occidi. Perij. Ad restim res rediit. Suspendio deligenda arbor. *Plin.* ἀπὸ πετρῶν εἰς κῦμα. à scopulis in fluctus.

Γυμνὸς ἄτερ κόρυθός τε καὶ ἀσπίδος οὐδ' ἔχεν ἔγχος.
Et clypeo simul, & galea nudatus, & hasta. *Homer.*

Difficile.

Δύσκολα τὰ καλά. difficilia quæ pulchra. Non cuivis licet adire Corinthum. *quod portu sit nautis periculoso.* Ire per extentum funem.

ἀργαλέος γάρ τ' ἐστὶ θεὸς βροτῷ ἀνδρὶ δαμῆναι.
Ardua res homini mortali, vincere Numen. *Hom.*
Augiæ stabulum repurgare: *quod fecit Hercules.* Cum principe non pugnandum. Clavam Herculi extorquere. Præter Sibyllam nemo leget. *Plaut.* Archimedeum problema, *ex pulvere in quo scripsit, ervendum.* Argi tumulus *seu* collis. *Vbi Danaus ob fratris filios per filias suas interemptos causam difficilem dixit.* Staperdam trahere. *quo ludicro se transverso per lignum fune sursum conabantur mutuò adducere.* Camelus citius pyrrhicham

Cinesiæ:

Cinesiæ: *hoc est tripudium velox ab illo traditum, discat.* Mallem ediscere Teucrum Pacuvii. *Cicer.* poëma, ut videtur, difficile.

Differentia.

Pastillos Rufilus olet, Gorgonius Hircum. *Hor.* Quid distent æra Lupinis: *vile ciceris genus.* Vix pilus in medio est: *vix differt.* Δὶς δὶα πασῶν. Bis per omnia; *differt.* Mysorum atque Phrygum termini discreti sunt: *licet ob confusionem ægrè distinguas.* Ex ore aurum, ex auro hominem: *proba.*
—Fulicas cygnis & aëdona parræ; *confer.* *Auson.*
Corvus absente graculo pulcher.

Diffidere.

ἅμα δίδου καὶ λάμβανε. *Arist.* simul accipe cum das. Oculatæ manus sint, credunt cum vident. *Plaut.* Οὐ γὰρ πείσεις οὐδ' ἂν πείσῃς. *Aristot.* Non persuadebis, etsi persuaseris. ἐχθρῶν δῶρα ἄδωρα. Hostium munera. Homo homini lupus. *Plaut.* Quot servos, tot hostes alis. Lydus ostium custodit: *furacis indolis.* Syri adversus Phœnices, *utrique fallaces & perfidi.* Nec Mercurio quidem fidam. Tesseram confregit; *hospitalem quâ fidem merebatur.* *Plaut.*

Dignus.

Iupiter Aquiliam elegit: *quæ ei fert fulmen.* Decernitur equa Thessalica: *cujus laus prima.* Digna credo: *cujus succo illita durant.* Dignus propter quem vadimonium deseras. *Plin.* Dignus quicum in tenebris mices. *Cic. id, est, Iudas, ex digitis numerum divinando.* Batti Silphium. *herba rara & pretiosa, quâ, Cyrene conditâ, Battum in numo, honorarunt.* Myrteam coronam ambis: *olim regnaturis oblatam, ut Suidas ait.* Roscius in

Scena:

Scena: *princeps histrio.* Antiquior Codro. *Rex e Atticis vetustissimus.* Bos in civitate: *cuius Lysias imaginem ruri debitam Athenis in arce collocavit. convenit rudi ad honores evecto.* Dignus Argivo clypeo; *quo illic pueros triumphantes & innoxios ornabant.* Injurato credere licet. Daphnis inter pastores, *id est, primus.* Glaucus in mari, herba, comesa habitat. *ubi per herbam credebatur in Deum versus.* Testis ex Iovis tabulis *vel* diphthera *in qua occulta quaque scripta credebant.* Testis Atticus: *probatissimus.* Cera & ære natus: *Veterum imaginibus.* Vtramque facit paginam: *sive implet. Amat illud ut Cic.* ad Q. Fr. l. 3. *αἰὲν ἀριστεύειν. Semper optimum esse.*

Diligens.

Ad amussim: libellam: unguem. Demorsos res sapit ungues. Aristophanis & Cleanthis olet lucernam. *ἐν νυκτὶ βουλή.* de nocte consilium. *Cic.*
ὕπνος δ' ἀπέστω somnus absit. *Aristoph.*
Non quantum luscinia dormit. Grus lapidem sustinens: *ut excubans facit.* Frons occipitio prior, *id est, ordine agendum.* In occipitio etiam oculos gerit. Nulla dies sine linea: *ita Apelles profecit. ου τῇ ἑτέρᾳ λαπτέον:* non una manu capiendum. *Plato.* Conando Græci Troiâ petiti sunt. Gallinaceus Euclionis: *qui minimos pulvisculos discutit, ut alatur.* Non omnia per bovem obtinebis. Arator, nisi incurvus, prævaricatur. *Plin.*

Discordia.

Gamma Betam persequitur, *& contra, ut Gizericus Bonifacium, & postea Gelimerem Belisarius sub Theodosio expulit.* Dissidii pomum: *olim inter Deas iactum.* Mappam mittere: *auspicanda, ut solebat, in arena pugna. Suet.* ὁ πόλεμος ἁπάντων πατήρ. Bellum pater omnium: *rerum novarum; Lucia.* Tuas tibi res habeto. *formula:*

mula olim divortii, sic sponsalia dirimebant illa formula: conditione tua non utar.

Discrimen.

ἐν πυθίῳ χέσαι. In Pythii templo cacare. *quod facientem Pysistratus occidit.* Post folia cadunt arbores. Incedis per ignes suppositos cineri. *Horat.* Flamma fumo proxima est. *Plaut.*

Tum tua res agitur, paries cum proximus ardet. *Hor.* Ne temere Abydum *vel* Corinthum: *ubi corrupti mores.* In eadem est navi. De filo pendet: *ut gladius Dionysii Tyranni super caput Damoclis regiam fortunam experiri cupientis. Cic.* A fronte præcipitium à tergo lupi. *Hor.* De tuo capite aguntur comitia *Idem.* ἐπὶ ξυροῦ ἀκμῆς. In acie novaculæ. *Sophocles.* δίολυκος *Ambiguus, ex ove & lupo.* Hæsitatio Pyrrhonis. *qui Philosophus nihil asserebat.* Inter sacrum & saxum: *ut porcus à feciali olim fœdus sanciente saxo feriebatur. Plaut.* Inter malleum & incudem versatur. E nassa escam petit: *ut piscis capiendus.* Sub cultro hæret, *ut victima.* Ruta opus est: *herbâ contra pestem.* Ne obversa fronte obnuas arieti: *qui tales facilè impetit. D. Gregor.* Novacula in cotem incidit. ne puero gladium. Ovem lupo committis. A fronte præcipitium, à tergo lupi. Lepus pro carnibus, λαγὼς περὶ τῶν κρεῶν *nempe appetitur. Aristoph.* Maleam transiens obliviscere quæ domi sunt. *Est enim promontorium Laconiæ nautis periculosissimum.* Strabo, Non certatur de oleastro: *quo coronari solebant. id est, non de honore, sed re agitur.*

Dissimilia.

Nil graculo cum fidibus. cum Musis. Nihil cum amaricino sui. *Sus enim hanc odoratam herbam fugit.* Τί κοινὸν κυνὶ καὶ βαλανείῳ, Quid cani *commune* cum balneo?

Scena: *princeps histrio.* Antiquior Codro. Rex *Attius vetustissimus.* Bos in civitate: *cuius Lysias imaginem viri debitam Athenis in arce collocavit. convenit rudi ad honores evecto.* Dignus Argivo clypeo; *quo illic pueros triumphantes & innoxios ornabant.* Injurato credere licet. Daphnis inter pastores, *id est, primus.* Glaucus in mari, herba, comesa habitat. *ubi per herbam credebatur in Deum versus.* Testis ex Iovis tabulis *vel* diphtheris *in qua occulta quaque scripta credebant.* Testis Atticus: *probatissimus.* Cera & ære natus: *Veterum imaginibus.* Vtramque facit paginam: *sive implet. Amat illud ut Cic. ad Q. Fr. l. 3.* αἰὲν ἀριστεύειν. *Semper optimum esse.*

Diligens.

Ad amussim: libellam: unguem. Demorsos res sapit ungues. Aristophanis & Cleanthis olet lucernam. ἐν νυκτὶ βουλή. de nocte consilium. *Cic.* ὕπνος δ' ἀπέστω somnus absit. *Aristoph.* Non quantum luscinia dormit. Grus lapidem [illegible] nens: *ut excubans facit.* Frons occipitio prior, *id* [illegible] *dine agendum.* In occipitio etiam oculos gerit. [illegible] dies sine linea: *ita Apelles profecit.* οὐ τῇ ἑτέρᾳ [illegible] non una manu capiendum. *Plato.* Con[illegible] Troiâ petiti sunt. Gallinaceus Euclioni[illegible] *pulvisculos discutit, ut alatur.* Non omnia [illegible] tinebis. Arator, nisi incurvus, præ[illegible]

Discord[illegible]

Gamma Betam perse[illegible] *Bonifacium, & poste*[illegible] *expulit.* Diffi[illegible] Mappam [illegible] *Suet.* nium[illegible]

[illegible]pula olim divortii, sic [illegible]
conditione tua non [illegible]

Dis[illegible]

ἐν πυθίῳ χέσαι. In Pyth[illegible]
tem Pysistratus occidit. Post [illegible]
disper ignes suppositos [illegible]
proxima est. *Plaut.*
Tum tua res agitur, paries [illegible]
Ne temere Abydum *vel* Co[illegible]
tes. In eadem est navi. De[illegible]
sii Tyranni super caput D[illegible]
ri cupientis. Cic. A fronte p[illegible]
De tuo capite aguntur com[illegible]
In acie novaculæ. *Sopho*[illegible]
& lupo. Hæsitatio Pyrrhon[illegible]
rebat. Inter sacrum & [illegible]
dus sanciente saxo feriebatur. [illegible]
eadem versatur. E nassa [illegible]
Sub cultro hæret [illegible]
tra pestem. Ne ob[illegible]
[illegible] *imposuit. D. Greg.* [illegible] ens
[illegible]tero gladium. [illegible]

[illegible] ere
[illegible] *Sulpi*[illegible]

[illegible]*alitas.*

[illegible], *quod ra*[illegible] e-
tium. Pla[illegible] la-
[illegible]currit [illegible] *dia*
Pulch[illegible] non-
[illegible] strari

balneo? Quid cæco cum speculo? Surdo cum Lyra? ὄνος πρὸς αὐλόν *vel* λύραν. Asinus ad tibiam, *vel* lyram: In pelle Leonis. οὐδὲν πρὸς ἔπος. Nihil ad versum. *Lucian.* Μὴ ὢν Σύρος, μὴ σύριζε: cum Syrus non sis, ne Syrissa: *ne serviliter & dolosè agas. Est & Syrissare, fistula canere, ad quod alluditur.* ὄνος ἄγων μυστήρια, Asinus ferens mysteria. Feli crocóton: *vestem muliebrem aptas.* Hercules crocotophoros: muliebriter indutus. Πίθηκος ἐν πορφύρᾳ. Simia in purpura. Calvus comatus: *comâ adscititiâ. Mart.* Plumbeus in eburnea vagina gladius. *Diog.* Cum leonibus congregare vulpes. *Mart.* ἐνδύετέ μοι τὴν λεοντῆν. Induite me leonis exuvio. *Aristoph. in iactabundum.* Alia res sceptrum, alia plectrum. ἡ κύων ἐν φάτνῃ: Canis in præsepi. *Lucian.* παρὰ τὸ μέλος. extra cantionem. *Id.* Extra oleas fertur. *quibus stadia currentium sepiebantur. Aristoph.* Extra organum. *quod intra vigesimam vocem sistit. Quintil. In clamosum quadrabit.* In lente unguentum. Scarabæo alabastrum. Inter surculos capra: *quos rodens perdit.*

Divitiæ

Crassi, Cræsi, Midæ, Pygmalionis opes. Lysistrati, Cingræ Callicratis res. Pelopis *aut* Zopyri talenta, vel Tantali. χρήματα ἀνήρ: Pecuniæ vir. *Pindarus.*

—Tanti, quantum habeas sis. *Horat.*

Satietas ferociam parit. *Theogn.* Dives aut iniquus est, aut iniqui heres. *Hieron.* Noctuæ Laurioticæ. *nam Laurios regio Attica venis auri frequens est, quod noctuâ signabatur,* εἵματα ἀνήρ: Vestes vir: *faciunt enim* ὀκτάποδας, *duobus bobus vel equis incedentes.*

—Quantum non miluus oberret. *Pers.*

Quantum quisque sua nummorum possidet arca.

—Tantum habet & fidei. *Iuvenal.*

Habet.

Habet, unde excoquat sevum senex. *Plaut.*

Docere, docilis.

Præmansum in os inserere. *Cic. in Orat.* Apertæ Musarum ianuæ. *Zenodotus.*

Domi manere tutum.

Testudo intra tegumen securior. οἶκος φίλος, οἶκος ἄριστος. Domus amata, domus optima est. οἴκοι μένειν δεῖ τὸν εὐδαίμονα, Domi manendum fortunato est. οἰκουρὸς, domus custos, *ignavus. Plut.*

E.

Elabi.

ἐκλινίσαι. Lina, hamos laqueos effugere. Reperire rimam. Formica semitam quærit.

Eloquentia.

Attica Musa: Lepos: favus: Nestoris eloquium. *Hom.* Οὐδὲν ἐξ ἀγροῦ: Nihil ex agro. Musarum aves. Mercurii *vel* Herculis (*Gallici*) catena: *qua fingitur homines, auro ex ore fluente, auribusque innexo, traxisse.* Corinthia: Ionica: byssina verba, Callirhoe: pulchrè fluens fons Atheniensium.

Error in principio.

In limine offendere. In portu impingere. Cantherius (*equus exsectus*) in porta lapsus. *ut Sulpicio Galba in provinciam ituro.*

Excellere, inæqualitas.

Inter Athenienses probus, *quod rarum in malè merata urbe, & non nisi excellentium. Plato.* Alpha penulatorum. *Mart.* Multis præcurrit parasangis: *Stadia apud Persas triginta erant.* Pulchrum est digito mon-

strari & dicier, hic est. *Pers.* Μὴ πρὸς λέοντα δορκάς. Nil contra leonem capra. *Diogen.* Corui lusciniis honoratiores. Solus sapit. Formica camelus. *Lucian.* Aquilam noctuæ. Testudinem pegaso: Cancrum Lepori. Culicem elephanti: Bubonem philomelæ. Hinnulo Leonem: Tibiam tubæ: Apem cicadæ, comparas. Nihil ad suem Parmenionis; *qui & hanc, & alias voces animalium ad vivum referebat.* Post Lesbium cantorem. *Terpandrum qui Musicâ Lacedamonas discordes lenivit, & composuit.* Nihil urbes aliæ ad Crotonem. *unde fortissimi pugiles provênere.* Soli Lucernam: Cræsi opibus teruncium addit. Deo loquente tacent homines. θεῖον ἐξαίρω λόγον Dei sermonem excipis. Non omnia possumus omnes. *Virgil.* Gorgona Perseus aggreditur. Inter cæcos regnat luscus: strabo. Equis albis invectus. *ut triumphantes.*

Exitus.

ἀρχῆς κακῆς, κακὸν τέλος: mali principii malus finis. αὐτὸ δείξει. Res probabit. Exitus acta probat. *Ovid.* Piscator ictus sapiet. ἀρχὴ τὸν ἄνδρα δείκνυσιν: imperium ostendit virum.

Experiri.

πάντα λίθον κίνει. omnem move lapidem. *sic quærenti thesaurum in agro ab oraculo responsum. sed amoto lapide crevit seges.* ἄναξ ἢ ὄνος. Rex aut asinus. Sacram anchoram solvere: *id est validissimam: vel* iacere. *ut naviges, vel sistas.* Movebo talum à sacra linea: *quò ultimum ludi periculum facerent.*

Semper tibi pendeat hamus. *Ovid.*

Ventis permittere vela. *Quint.* In Care periculum fiat. *hoc est, vilissimo hominum genere.* Mus Pisam aggreditur. *Is pugil Tarentinus fortis. quanquam in ambigue*

inditur.

luditur. Διὶ πάντα μελήσει. Iovi omnia curæ. *Hom.* Et post malam segetem serendum est. *Sen.*

F.

Fames, vide, *Paupertas.*

Molestus interpellator venter. Cestreus jejunat: *piscis, qui alios non devorat.* Etiam voret Bætulum: *lapidem fasciis involutum qualem pro Iove Saturnus glutiit.* Fames & mora bilem in nasum conciunt. *Plaut.*
Γαστρὸς ἀπὸ πλείης βουλὴ καὶ μῆτις ἀμείνων.
Ventre pleno melior consultatio est. *Plut.*

Festinatio.

Iovis quadrigis. Dædali remigio. Navibus atque quadrigis *Hor.* Talaria sumpsit. Vt canis è Nilo, *bibit, quod metu crocodili fugiens tantum facit.* ἅμ᾽ ἔπος ἅμ᾽ ἔργον simul dictum factumque. *Hom.* ἀφύα ἐς πῦρ Aphya ad ignem, *pisciculus, igne tacto, statim coctus.* Velis remisque. Equis velisque. ἐκ δυοῖν καταφεύγειν. Duobus fugere. *Aristoph.* ἡμερόδρομος: *totius diei cursor, ut Sol.* Ὡς εἶχε ποδῶν: quantum pedibus valet. Citius quam formica papaver, *vel* canis exta. *devoret.* Vir fugiens non moratur Lyræ strepitum. Vir fugiens iterum pugnabit. *Demosthenes hoc sibi fugam è prælio exprobrantibus respondit.*

Festinatio noxia

ἡ κύων σπεύδουσα τυφλὰ τίκτει. *Arist.*
Canis festinans cæcos parit catulos. Ante victoriam encomium canis. Auges ollam ante lentem: *tibi auctam.* Qui nimium properat serius absoluit. Æstate penulam deteris. Ante pilos sapit. Odi Pueros præcoci sapientia. *Apul.* Vno die consenescis. Festina lentè. Ergini canities, *quæ iam juveni obtigit*, *Clymenis argonautæ filio.*

Σικελὸς ὀμφακίζει *acerbas uvas capit Siculus ; præpoperè rapax.*

Fides

—Folium recitare Sibyllæ. *Iuvenal.*

ἐκ τῶν Διὸς δέλτων ὁ μάρτυς. *Lucian.* Ex Iovis tabulis testis. Atticus testis. Iovem lapidem jurare. *ut fecialis manu lapidem tenens in fedus iurabat.* Radamanthæum judicium : *vel* jusjurandum. *quod ille mortuorum Iudex non fallat.* Iovis *vel* Minervæ suffragium. Amphictyonum consessus *vel* Synodus : *celebris olim gravissimorum in Græcia virorum.* Ῥεχθὲν καὶ πραχθέν. Dictum factum, ὤτων πιστότεροι ὀφθαλμοί. auribus fideliores oculi. Domesticus testis: *qui se laudat.* Censorium supercilium. Fides Catoni.

Fœmina.

Γυναικὸς ὄμμα βέλος. Mulieris oculis speculum. In triclinio choa(*vas ingens*)in cubiculo nola : *altercando hic illic multa consumendo.* Foris Helena;intus(*in animo*) Hecuba:*Senex illa turpis litigiosa.ideoque canis dicta fuit.* Qui non litigat celebs est. *D. Hieron.* Thessala mulier:*venefica.*

Forma, deformitas.

Ex ovo prodiit. Pavonis fimbria.Καλλίπυγοι. contra μονόγραμμοι : *illâ formosi , hâc deformes voce dicti.* Τὸ καλὸν φίλον. quod pulchrum , carum. Simiarum pulcherrima deformis est. *Plat.* Simia est simia, etsi aurea gestet insignia. Leporem non edit. *Mart.*Hoc conspecto ominantur : *ut erat mali ominis occurrere exeunti deformem.* Multam silvam gestat. Pronomi barba:*prælonga olim tibicinis.* Naviges Trœzenem, *ubi portus barba dictus fuit. quadrat in imberbes.* Myconius calvus. *quod ista in insula vitium erat vulgare,ut Strabo.*

Ther-

Thersitæ *vel* Corythei facies. *uterque* deformis. *ut Hom.* & *Zenodotus.* Cadaver venustum. Epicrates Scutifer: *cujus barba Scuti instar.* Argyrrhius nil præter barbam: *cetera effeminatus exercituum dux.* Lycia coma: *longa & culta.* Phidiæ Minerva: *cultissima ex ebore, hoc autore, facta.*

Fortitudo.

ἢ τὰν, ἢ ἐπὶ τᾶς: Aut hoc, aut in hoc: *dicebat Lacæna porrigens filio scutum. in quo mortui in pugna efferebantur. victores verò referebant. Simile aliud.* ἢ ἀποθανεῖν, ἢ νικᾶν, aut vincendum, aut moriendum. Hic murus aheneus esto. *Horat.* Solæ Lacænæ viros pariunt. *Plut. quod quædam respondit, cum objiceretur:* Solæ viris imperatis. Animo Hercules, Corpore Tydeus, *qui parvus erat, sed fortis. Stat.* Adamantinus, *adamas nec igne molliri, nec ferro frangi potest, Plin.* Dentatus pugnans. *nam L. Sicinius Dentatus in 22 prœliis nullum vulnus aversum tulit. Livius.* Murus Semiramidis: *quo Babylonem cinxit, pedes 200, altus, 50 latus.* In Lipsydrio pugnas: *loco ab aquis cincto, ubi Tyranni Athen. fortissimè se defenderunt.*

Fortuna, ejusque commutatio.

ἄλλοτε μητρυιὴ πέλει ἡμέρα, ἄλλοτε μήτηρ.

Ipsa dies quandoque parens, quandoque Noverca est. *Hesiod.*

Nunc pluit, & claro nunc Iuppiter æthere fulget. ἄλλος βίος, ἄλλη δίαιτα. alia vita, alia diæta. Honores mutant mores. Fortuna Euripus est: *qui multos flexus habet.* Testulæ translatio. ὀστράκου περιστροφή. *Nam ostracismo, Athenienses etiam optimos quosque, ut Aristides fuit, ob invidiam aliorum, decennali exilio multabant.* Dionysius Corinthi: *nempe pueros docet, qui ante Syracusi*

cusis Rex fuerat. Et Cedrus cadit. Catastrophe fabulæ, *quâ prior status mutatur in fabula.* Pitana sum: *Æolia civitas, quæ à Pelagis subacta, ab Erithræis rursum liberata.* Heri sacrilegi, hodie sacrifici. Osculana pugna: *ubi victus vincit, sicut Valer. Lævinus Pyrrhum.* Fors domina Campi. *Martii, ubi ex suffragiis honores deferebantur.* Cras cerdo, hodie nihil. Computatorum digiti. *qui modò unum tantùm, modò myriades integras faciunt.* Aliter condivit coquus, aliter condiam. A remo, ad tribunal. Ad pristina præsepia: *rediit miser.* Inter manum & mentum; *vel* Inter os & offam multa intercidunt.

Fortunata temeritas.

ἡ τῶν Ἀθηναίων δυςβουλία. Atheniensium temeritas: *sine consilio maturo rectè tamen sæpe agentium.* Malum vas non frangitur. Dormientis rete trahit. *ut qui dormiens etiam capit. sicut pinxerunt fortunam in Timothei, Athen. ducis felicissimi, reti urbes, ipso dormiente implicare.* Et quandoque magna jucunditas est nihil sapere. *ut Trasilao Axonensi evenit, qui omnes naves in portum appulsas, tanquam suas, cum plausu excipiebat. & menti restitutus, doluit tantam sibi fortunam eripi.*

Fraus amici.

Canis mendico auxilians: *qui iisdem tanquam ὁμοτίχνοις infestus est; nisi pane concilietur.* Claudii Cæsaris bolerum *quo amicos sustulit.* Agamemnonium epulum: *quo Agamemnoni post victam Troiam, ab Egistho adultero, & Clytemnestra uxore sublatus est.* κύκλῳ περιέλκειν. In circulo circumducere. Schœnicolæ *vel* delibutæ Schœno: *unguento vili meretricio.*

Frugalitas.

Μυςἐν ἀχύροις. Mus in palea. Allium in reti. Salem lingere.

gere. Xenocratis caseolus: *parcissimè viventis.* Phormionis thori tenuis fortunæ viri. Vita doliaris: *Diogenis Cynici.* Cilicii Imperatores: *qui veste pilosa essent.* Hecatæ cæna: *perparca, ut apud Inferos.* Tanquam in Phiditiis: *loca publica erant, in quibus Lacedæmonii legatos frugaliter excipiebant.* θυμβροφάγοι Thymbra (*herba*) victitantes. Hortus altera succidia: *loco carnis olus.* Lenticulam olet, cum posset unguentum. Indigentia Mater sanitatis.

Frustrata res.

—Corvum delusit hiantem. *Hor.*

Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus. *Id.* Ἀλλότρια βάλλεις. Iacis aliena. *Diogenia.* Λύκος ἔχανεν. Lupus hiat. *Aristoph.* Laurus parturit: *cum clamore parit avis minima.* Proci Penelopes: *spe sua delusi. Hom.* Prævertit anchoræ iactum Deus. Scipione nixus arundineo. Cretense sacrum: *sub quo Agamemnon naves amisit, & relicto sacro hostes est persecutus.* Canis Æsopicus; *umbram pro Lucanica secutus.* Nucleum amisit, putamina pignori dedit. Bubulcus antea, nunc Caprarius. Fuimus Troes. Fuere quondam strenui Milesii.

G.

Garrulitas.

Hirundinum muséa. Dodonæum æs. Daulia cornix. Cicada vocalior. Archytæ crepitalum, *quod ultro in strepitus voluebatur, pueris gratum.* Arabicus tibicen: *quod hi ex Arabia plerumque, tanquam viles homines, à Græcis accerserentur.* Prolixius Iliade: *Homeri.* Βαττολογεῖν, *cum Batto poeta ineptire.* Γλῶσσα ποῖ πορεύῃ; lingua quo vadis? ἀχάλινον στόμα. Os infrene. Cornicari: *dicitur, qui garrit ut cornix.* Tellenis canti-

 lena;

lena: *longa & mordax.* *Zenod.* ἄοινος μέθη: citra vinum temulentia. *Plut.* Meliacum navigium: *rimarum plenum.* *Ter.* ἀκέφαλος μῦθος sine capite fabula. Farcire centones: ex fragmentis concinnatos. Excedere clepsydram: *dicendo.*

πολλάκι καὶ μωρὸς ἀνὴρ κατακαίριον εἶπε.

Sæpe etiam stultus fuit opportuna locutus.

Rimarum plenus hac, istac, illac perfluis.

Gratitudo.

ἀντιπελαργεῖν, ut ciconiæ, se mutuo nutrire, *quod illa senibus præstant.* Qui eget lucerna, infundit oleum. *Plut.* *Quod Pericles ab Anaxagora neglecto audiit.* Lingua Præconi debetur: *ut olim in sacrificiis factum: quanquam & Mercurio consecrari solita.* Sylosontis chlamys: *quam cum Dario Hystaspis dono obtulisset, hic insulam Samiorum gratus rependit.* *Herod.* Gavia in stagnis: *piscis illic proficiens.* Immortales Gratiarum horti sunt.

H.

Heredipeta.

Si vultur es, exspecta cadaver: *qui à morte primum carnes petunt.*

Honore indigni.

Bos in quadra argentea. *Suidas.* Malus choraules, bonus Symphoniacus. *D. August.* Strumam dibapho tegere. *Cic.* *est purpura bis tincta.* Simia purpurata. Asinus in pelle Leonis. *Lucia.*

Hospitalitas.

Semper aliquis in Cydonis domo: *hospitis in Corintho liberalis.* Scindere penulam *Cic.* *attinendo hospites.* Fores habet tritas.

I.

Ignavus, inscius.

Ne Æsopum quidem trivit: *fabulatorem.* Οὔτι τὰ τρία Στησιχόρου γινώσκεις. Ne tria quidem Stesichori nosti: *qui per Strophen, antistrophen, & epodon suos versus distribuit.* Μήτι νεῖν, μήτι γράμματα: neque natare, neque literas: *nosti: quod hæc duo pueris tradi solebant.* Equi Senecta · *plerumque contempta.* Ignavis semper feriæ. ἀεργοῖς αἰὲν ἑορτά. *Theocrit.*

Nux, asinus, campana, piger sine verbere cessant. Neque compluitur, neque sole aduritur. Domi pugnat more galli. Oleum non vidit. Claudi more. *Cic.* Indoctior Libethriis; *qui erant* ἄμουσοι.

Neglectis urenda filix innascitur agris. *Hor.* ἀπ' ὄνου καταπεσών, *id est*, ἀπὸ νοῦ. Ab asino delapsus, *id est, à mente. Plato.* Ater an albus sit, nescit.

Impossibilia.

Iungentur capreæ Lupis. *Hor.* Prius locusta bovem pariet. *Var.* Testudo prævertet leporem. Vincet Aquilam. Ab Asino lanam speres. Simul sorbere & flare. *Plaut.* Rectè ingredientur cancri. Scarabæus mel colliget. Ex arena nectes funiculum.

Et fontes sitient, & ibunt flumina sursum. Volabit Elephas. Ex asini cauda cribrum plectes: *ut solet ex cauda equi.* ἡ γῆ ἵπταται. Terra volat. Τί εἰ οὐρανὸς ἐμπέσοι; Quid si cælum ruat? Atlanticum mare cotyla exhaurire. *parva hæc mensura genus est.*

Imperitia.

Dulce bellum inexpertis. *Vegetius.*
Ne bis ad eundem: *nempe lapidem impingas.*

Impostura.

Dare verba. Os sublinere. Fucum facere. Palpum obtrudere. *περικείρειν τοὺς πλοκάμους. Lucian* Circumtondere comam: *quod apud Græcos erat ludibrio esse.* Obulum reperit Parnætes: *qui Athenis, ne in iudiciis & concionibus auditor deesset, nummos distribuit.* Embarus es: *qui cum stultam haberet filiam, oraculi interpretatione, illam occidit.* Ephesiæ litteræ: *quibus præstigiator quidam Ephesius instructus, trigesies in Olympicis vicit. Erat in his corona Dianæ picta.*

Improbus.

Τρία κάππα κάκιστα. Tria cappa pessima: nempe Cappadocum, Cretensium, & Cilicum: ob corruptos mores. *Διπλοῦν κάππα:* Duplex cappa: *in voce κακὰ mala. sicut fur dicitur.* Trium litterarum homo. Lupi decas: *de Sycophantis in foro Athen. iuxta simulacrum Lupi versantibus, lucrumque aliquod exspectantibus.* Mali cômatis, *hoc erat vilissimum apud Græcos nummi genus.* Alter Phrynondas, Ballio, Hippomanes. *hic filiam, à cive vitiatam, cum equo clausit stabulo, qui illam fame stimulante discerpsit.* Cercopum cætus: *fraudulenti in Epheso homines. unde,* Cercopissare. Eurybatizare. *Eurybatus inter Cercopes pessimus.* Remiges Ulyssis: *ut qui nec à Lotophagis, nec Circes poculis, nec Solis equis abstinuerint.* Servilis capillus. *quòd Athenis manumittendi capillos deponerent.* Σύντομος ἡ πονηρία, βραδεῖα ἡ ἀρετὴ. Compendiaria res improbitas, virtus longa. Annulus aureus in nare suilla. *Res bona in manu improbi.*

Impudens.

ἀττικὸν βλέπος. Vultus Atticus: *impudens. Aristoph.* Γυμνῇ κεφαλῇ Nudo capite: *sine pudore.* Personam non faciem

faciem gerit. *vel* Perfrictæ frontis est. Sine persona lascivit: *palam*. Tabernariam exercet fronte. θεὸς ἡ ἀναίδεια. Dea impudentia: *Zenod. Nam*, inutilis viro egenti verecundia: ait *Hom.*

Impudica vide *Intemperans.*

ὀνόβατις. Asino Cumano digna: *ubi adultera in Asino circumvecta illo nomine manebat infamis. Plut.* Oscè loqui. *quod apud Oscos libido impunis esset.* αἰγὶς ἔρχεται *Suid.* Capra venit.

Inanis metus.

Vmbra, *vel*, utre territas. Canes timidi vehementius latrant. Panicus metus: *quod Pan repentinos terrores inducere crederetur.* Λεὐδεὲς δέδιας δέος, *Plut.* Inanem metum metuis, Gallum Leo, Elephantes murem: *nam uterque hos frustra metuit.* Theagenis Hecateum: *qui priusquam domo exiret Hecaten consulebat.* Larva terres Leonem. Leporem frondium strepitus terret. Lamias pueri fugiunt.

Inanis opera.

Τὸν ὄνον κείρεις *vel* ὄνου πόκας ζητεῖς. Asinum, tondes. *vel*, Asini lanam quæris. *Aristoph.* Νεφέλας ξαίνειν. *Diogenia.* Nebulas verberare. Calvum vellis. Aquam è pumice postulas. Cribro aquam hauris. Mortuo verba facis. Aquilam volare, *aut* Delphinum natare doces. Danaidum dolium exples: *quod pertusum.* Arenam numeras, *aut*, metiris. Nudum spolias. Puero barbam tondes. Ferrum doces natare. Bulbos quæris. Reti ventos captas. Caudâ anguillã captas. Littus aras. contra stimulum calcitras. Tantali poma captas. Lapidem elixas. Penelopes telam retexere: *quæ procis, se telâ absolutâ consensuram promittens, eandem semper retexuit, & elusit vota.* Ver ex anno tollis. Milium torno sculpis.

sculpis. Aquam in mortario tondes. Invitis venaris canibus. Muscas captare: *ut Domitianus Imper*. De asini umbra litigas, *ut Demosthenes de Agasone & eius conductore refert*. In silvam fers ligna. Senex psittacus negligit ferulam. Σκιαμαχεῖν, cum umbra pugnare: θεομαχεῖν cum Diis pugnare: *ut Gigantes*. Κύματα μετρεῖς undas numeras *Theoc*. Γλαῦκας εἰς Ἀθήνας. Vlulas Athenas: *mittis. ubi abundabant. Cic*. ἀνέμους γεωργεῖς. Ventos aras. *Zenod*. Cancrum ingredi recta doces.

Inaequalis pensatio.

Properca scorpium; *venenatum offers*. Palumbem pro columba: *illa hac vilior*, umbra pro corpore. Pilos pro lana. Diomedis & Glauci permutatio: *quorum ille astutior, cum hoc ad duellum progressus, ficta amicitia persuasit, ut arma aurea, cum suis aereis permutaret. Hom*. Ad fractam canere citharam. *Eunomius Locrensis cum Aristone certans, sic tamen vicit, cum Apolline invocato, fracta chordae sonum cicada suppleret*. Amisit urbem, pugionem recepit Callipus: *qui Dione Syracus. tyranno cum regno intercepto, dum Catanam urbem captat, exclusus amisit rursum omnia*. Μὴ λόγους ἀντ' ἀλφίτων. Ne verba pro farinis: *reddat*.

Incertus eventus.

πολλὰ μεταξὺ πέλει κύλικος, καὶ χείλεος ἄκρου.

Multa cadunt inter calicem, supremaque labra. Nescis quid serus vesper vehat. ἄσκοπα τοξεύειν. Extra scopum iaculari.

Incitare.

Ἀναπτερεῖν. *Aristoph*. Alas addere. Frigidam affundere, *quo & ignis, & equi magis incitantur*. Stimulis fodere. Aurem vellere. Ignatium dare: *id est, lapidem quem pyriten vocant, quod attritus manu det ignem*.

Hinnu-

Hinnulus ne cum leone partiatur: *nam ad prædam novam excitabit suo periculo.*

Inconstantia, Perfidia &c.

Venetorum Statio. Chimæra. Chamæleonte, *vel* Polypo mutabilior. *quorum illud animal colorem sæpe mutat; hic piscis loci cui adhæret colorem sumit, ut fallat.* Proteus *vel* Metra Erisichthonis. *Ille Latinis Vertumnus à verso sæpe vultu dictus: hæc modo in bovis, modo in equæ formã versa, patrem inopem vendita alebat.* Vespertilio: *quæ simul avis & mus est.* Panagea Diana: *per omnem terram migrans.* Duabus sedere sellis. Aliud stans aliud sedens. Dædali opera. Eadem fideliâ duos dealbare parietes. Pedibus utrisque claudicare. Cothurno versatilior, *vel,* Trocho. De toga ad pallium. *illa Rom. hoc Græcorum.* Ab equis ad asinos. Vulpes. Pardus. Semper Africa aliquid novi apportat. Leoninæ pelli vulpinam assuere. Ex eodem ore calidum & frigidum. Ex se fingit, velut araneus. Thraces fœdera nesciunt. *qui pactum diebus aliquot fœdus, noctu violarunt.* Thracium commentum. Locrense pactum. θετταλῶν σόφισμα Thessalorum commentum. *Qui quotãnis Hecatomben Apollini promittebant, Dabant nihil. Suid.* ὀδύσσειος μηχανὴ Sisyph. Vlyssis inventum. *Hom.* Dextrum pedem in calceum sinistrum inserit. Κάμπιος δρόμος. Obliquus cursus. Pardalis exuvium induere: *pellis varia est.* Hoc calceamentum consuit Histiæus, Aristagoras induit. *Ille acutè cum hoc nepote suo, occulta consilia servi tonsi capiti impressa communicavit, ut Darium Regem laterent. Diogenia.* Phœnicum pacta: *qui per diem & noctem in Libya hospitium pacti. deinde noluerunt cedere. quòd semper, vel dies, vel nox esset.* Fons Dodonæus: *qui cum sit frigidissimus faces accendit, extinguit accensas. Plin.* Punica fides. Græca fides.

Lingua iurat, injuratam mentem gerit.

Incultus.

χρυσὸς ὁ Κολοφώνιος. Aurum Calophonium: *quod maximè probatum erat.* Amicus Plato, magis amica veritas. Aurum indice, *vel* igne probatum. Massilienses mores: *laudati olim.*

In deliciis.

Militæus catulus, *vel* catella. Mus albus. Byssina verba. Siculæ mensæ. Quem Cos (*dives insula*) non nutrit, illum nec Ægyptus. Totam spirat Arabiam.

Indiligens.

ἄκρῳ ποδί summo pede. *Plut.* *ἐκ περιδρομῆς μαθεῖν.* Ex transcursu discere. *Plut.* Summis labris gustare. Per transennam inspicere, *Cic.* Per nebulam: per caliginem; per somnium meminisse. *Plaut.* A limine salutare. Malus ianitor. *Plut.* *ἡ φάνε θύρα*, Phani ostium: *malè custoditum.* Per satyram derogare: *id est, per lusum.* Oculis clausis: molli brachio aggredi: Suspensa manu. &c.

Industrius.

Σὺν ἀθηνᾷ καὶ χεῖρα κίνει. Cum Minerva manum move. Dii facientes adjuvant. Manum admoventi fortuna imploranda est. Manus pretium: *dat operi.*

Μήτε μέλισσαν, μήτε μέλι: neque apes, neque mel. *ideirco quia apum aculeum fugit.* Ni molas, non comedes. Qui vitat molam, vitat farinam. Optimum obsonium labor senectuti. Qui arat olivetum, rogat fructum. *Columel.* Artem quævis alit terra. *Suet.* Ex umbra in solem educere: *rem elaboratam.* Hic porticus miseriæ, Aurum è stercore colligendum. Muli Mariani. *Marius enim milites ad sarcinas è furca ferendas assuefecerat.*

In fortu-

Infortunium.

ἐσχάτων ἔσχατα κακά. Extremorum extrema mala. ἕν τῶν τριῶν κακῶν. Vnum trium malorum, *hoc est, vel gladius, vel laqueus, vel aconitum plectendis paratum. Menand.* πόνῳ πονηρός: labore infausto laborans. *nam πονηρός græcè laboriosum, miserum, malumque significat: ambiguo hic vocis lusu.* Asinus inter simias, vel apes. *id est, inter homines astutos rudis est.* novacula in cotem incidit: *in quo retunditur.* Canis ad vincula: *alligandus rapitur.* Ad Charontis ianuam ductus: *ad mortem,*

—ὕδωρ καὶ γαῖα γένοισθε *Homer.*

In aquam terramque vertamini, *id est, destruamini.* Cum Phyloxeno ad lapicidinas: *huc damnato quod Dionysii tyranni poëmata non probaret. Lucian.* Ad Cynosarges: *locus in Attica ubi Spurii exercebantur.* Dicas tria ex curia. *damnatis ad mortem post lautas epulas, tria licuit dicere ante supplicium.* Equum habet Seianum: *Hominis in aula Traiani Imper. à summo ad ima devoluti, cuius equum quotquot habuerant miserè periere.* Aurum habet Tolosanum. *hoc à Q. Cepione è templis Gallicis Tolosæ sublatum lethale fuit omnibus quotquot possederunt.* Cadmea victoria. *In qua victores cum victis, periere. Etheocle & Polynice fratribus infesta acie concurrentibus. Statius.* Phoci convivium. *qui ab invitatis filiæ procis occisus est.* Sybaritica calamitas: *ob luxum illata.* Lemnium malum: *ubi conspirantes mulieres, ope Thoantis, viros graveolentes interfecere.* Ogygia mala: *Insula in quam Vlysses naufragus emersit.* Niobes mala: *Tantali filia, post occisos filios, flens, præ dolore in saxum versa. Par ferè illud:* Inus dolores, *quæ amissis filiis se submersit.* Antiopæ luctus: *à Dirce rivali tauro alligata, Zetho tamen & Amphione Matrem vindicantibus.* Ægypti nuptiæ: *qui 50. filios totidem fratris filiabus nuptas una clade amisit.* Ilias malorum:

quia Ilias Homeri omne mali genus complectitur. Lerna malorum:*ubi hydra omnia infecerat.* Tænarium malum.*quia ad Tænarum insulam profugi servi omnes à Lacedæmoniis occisi sunt.* Graviora Sambico: *patitur,qui quod sacrilegii socios non indicaret, integro anno tortus est. Plutar.* Malorum panegyris:*qui erat solennis ad festo ludos conventus* Κύρβεις κακῶν. Cyrbes malorum: *quæ erant Athenis tabulæ,leges & pœnas complexa.* Quantum Tyrus antiqua:*nempe mali pertulit.* Miſerior monomachis:*gladiatoribus,quorum alterutri moriendum erat.* Per tenebras & apud quercum:*iurabant Milesiorum posteri ultionem, quod Patres eorum illic pene omnes à Prienensibus occisi.* Vivens videnſque perit.In patrios minxit cineres:*grave hoc olim,supra maiorum sepulchra mingere.*Rupta anchora:*in tempestate periculum est vitæ.*

Ingratitudo.

Hirundines ſub eodem alis tecto,*id est,homines garrulos,qui præter infamiam nihil relinquunt.* Κριὸς τροφεῖα ἀπέτισεν. Aries nutricationis mercedem perſoluit: *cornu petens. Menand.*

ὃς κύνα τρέφει ξένον, τούτῳ μόνον λίνος μένει.

Qui canem alit exterum, funem retinet.

—θρέψαι κύνας ὥς τυ φάγοντι Theocr.

Paſce canes qui te lanient. Ale luporum catulos.

ἀντὶ εὐεργεσίας Ἀγαμέμνονα τῖσαν Ἀχαιοί.

Pro meritis malè mactarunt Agamemnona Graij. *cum per Ægisthum adulterum occisus est victor.* Pro perca ſcorpium:*apprehendit.* Non omnes Pyrrhiæ,qui bovem immolent. *ut hic Ithacus benefactori seni fecit.* Plut. *Siquid iuves*,pluma levior gratia eſt:*siquid offendas*:plumbeas iras gerunt *Reges*; *Plaut.* ἀπόλεμος πολέμιος, Citra bellum hoſtis.

Ingrata res ob vetustatem.

ἀρχαιότερα διφθέρας λαλεῖς. Antiquiora loqueris diphthera: *quae erat pellis caprae nutricis, in qua Iovem omnia scripsisse fingunt.* Ante chaos, & Saturnia tempora. Cum Matre Evandri loqueris. Magno Platonis anno. Antiquior Codro. Piscis nequam, nisi recens.

Post tres sæpe dies vilescit piscis & hospes.

Initium laudatum.

Μικρόθεν ἡ ἄκανθα ἀγαθή. Parvula spina bona est: *nondum pungens.* Quondam strenui Milesii: *post degeneres.* Primum Ægina pueros alit optimos: *ut Achillem, Patroclum, Aiacem, Neptolemum; quorum, posteri defecere.* Romanus olim strenuus. *Quancunque* (ait Cicero l. 5. de fin.) *ingredimur in aliquam historiam* vestigium ponimus.

Iniustitia.

Μὴ ζυγὸν ὑπερβαίνειν. Stateram ne transgrediaris. *Pythag. Decet enim ut homo sit* : Στατῆρος δικαιότερος. Trutina iustior.

Μὴ κακὰ κερδαίνειν : κακὰ κέρδεα ἶσ' ἄτῃσιν.

Ne malè lucreris ; mala lucra æqualia damnis. *Pind.*

Insidiæ.

Βυσσοδομεύειν *Hom.* fundamenta domus suffodere altè. ὑπονόμοις πολεμίζειν *Plut.* Cuniculis pugnare. Δούρειος ἵππος. Dureus, *seu*, Troianus equus. παλεύει καλῶς τὴν ἀλώπεκα. Decipit pulchrè vulpem. *Suid.* Fabricam facit, Pilum *vel* tragulam iniicit. *Plaut.* omnibus galeritis cristæ sunt. *sic fraus hominibus.*

Intemperans.

Samiorum flores: *locus ubi Samii ad voluptates conveniebant, vel,* Laura: *ubi lautitiæ vendebantur.* Sardanapalus: *Rex Assyrius, inter Eunuchos, & puellas fœmineo cultu latens.* Batalus: *mollis tibicen, quod nomen & Demostheni puero, ob molliciem, datum.* Myconius vicinus: *qui ut luxui dediti Myconii aliorum mensis inhiat.* Tibicinis vitam vivis: *qui fere alieno vivunt.* Corinthiaci. Lesbiaci: *in leves & molles dictum.* Lydio more: *id est, impudenti.* Lydus cauponatur. *his Cyrus devictis fœmineam vestem imperavit: ne rebellarent.* Pepones, *dulces quidem, cum maturi, sed molles & flaccidi.* ὗς διὰ ῥόδων *vel* ῥοιῶν Sus per rosas, *vel,* mala punica. E Massilia venisti: ubi homines mulierosi. *ἱππομανεῖν in mulierem lascivam dictum.* Aries cornibus lasciviens, *vel* Capratius in æstu: *in virum lascivum.* Complura masculi canis cubilia: *in eundem.*

Intempestiva.

Æstate penulam deteris. Tragœdias in nugis agis. Simulare cupressum: *ab imperito pictore, ortum, qui præter cupressos vix norat pingere.* Par odio importuna benevolentia est. Foras Cares (*servierant*) non amplius anthisteria: *festa florum apud Athenienses in vere.* οἴκοι λέοντες ἐν μάχῃ δ' ἀλώπεκες. Domi leones, in pugna vulpes. *Aristoph.* Κακὸν τὸ καλὸν ἣν τι μὴ καιρῷ τύχῃ. Bonum non datum tempori malum est. Molestum, sapientem inter stultos loqui. Annosam arborem transplantare. Γραῦς κακχρύσα. Anus hirciffans, *seu nubens.* Mira de lente. *de re nihil, vel aliena.*

Internecio.

Ἐκπρεμνίζειν. radicitus, à stirpe tollere. *Furor est, post omnia,* perdere naulum. *Iuven.* Σὺν τῷ κυνὶ καὶ τὸν

ἱμάντα

ἱμάντα. *Eudemus.*Cum cane simul & lorum:*amissum est.*Pinus in morem:*qua succisa non revirescit:*

Invidia.

Καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει, καὶ τέκτονι τέκτων.
Figulus figulo invidet, faber fabro. *Hesiod.*
Βάσκανος ὁ τῶν γειτόνων ὀφθαλμός. Invidus vicinorum oculus est. Vnicum arbustum haud alit duos erithacos. *Avis quæ facile in vicinia fert partem.* Vna domus non alit duos canes.

Optat ephippia bos piger, optat arare caballus. *Hor.*
Fertilior seges est alieno semper in agro.
Vicinumque pecus grandius uber habet. *Ovid.*

Edentulus vescentium dentibus invidet. *Hier.* ἄφθονοι μουσῶν θύραι. Expertes invidentiæ Musarum fores sunt.

Ira vide *Torvus.*

Κῦμα κωφόν, fluctus mutus, *iam insurgens.* In fermento iacet, *quod acre intumescit. Plaut.* Iracundior Adria:*mare tumens.* Mordere frænum. Mordere labrum. Oestro percitus: *quo agitatæ boves furunt.* πυῤῥιχίζειν Pyrrichen saltare: *ut armati solebant.* ἀρηΐβλέπειν. Martium tueri. *Aristoph.*

Iteratus error.

Eadem oberrare chorda. *Hor.* Non bis ad eundem:*lapidem offendas.* Bis in bello peccare non licet. Συγγνώμη πρωτοπείρῳ. Venia primùm experienti. Sus lota in volutabro luti: *Solet redire.* Canis reversus ad vomitum. *Diogenia.*

Iudicare rectè aut malè.

Midæ suffragium, *vel* votum:*qui omnia in aurũ vertens, post esurire coactus est.* πλοῦτος δὲ βάσανός ἐστιν ἀνθρώπου τρόπων. Opes, ut index, hominis ingenium arguunt

guunt, *vel* quod index auro, aurum homini est: Lydius lapis, *vel* Heraclius lapis: *qui aurum probat.* Gnomon & regula. Emunctæ naris: *vel contra*: obesæ naris. Alba amussi: *quæ discerni vix potest.* Lesbia regula: *perversa, quando lex moribus & ratio aptatur factis.* Tenedia securis, *vel* patronus. *cum res subito deciditur. sicut Tenes Rex in iudicio peccantes mēdacio, vel iniustitia, subitò securi percuti iussit. Suidas.* Manum ferulæ subduxit: *supra pueros Scholasticos iam sapit.* Purpura iuxta purpuram dijudicanda. *Ad exemplum probatorum virorum agendum est.*

Iustitia. Iustus.

Δίκης ὀφθαλμὸς, iustitiæ oculus. *Suid.*

ἐσθλοὶ μὲν γὰρ ἁπλῶς, παντοδαπῶς δὲ κακοί. *Arist.* Simplex virtus, vitium multiplex. Maras, Bocchyris, Rhamnusius. *viri iusti.* Rhadamantheum iudicium: *incorruptum quale Rhadamanthi de mortuis fingitur.* Nemo quenquam ire prohibet viâ publicâ. Lapidem amussi, non amussim lapidi aptes: ἃ μὴ κατέθου, μὴ ἀνέλῃ: quæ non posuisti, ne tollas. *Plat.* Æqualitas bellum non parit.

Dat veniam coruis, vexat censura columbas. *Iuven.*

Ne moveto lineam, *quâ metam signabant.* Zaleuci lex, *qui cum filius ob adulterium ex lege utroque esset privandus oculo, sibi unum, alterum filio eruit. Val. Max.*

Lacessere.

πὺξ καὶ λάξ. Pugnis & calcibus: *lacessere.* Tangere ulcus. *Ter.* Vnguis in ulcere *Cic.* Ignem gladio ne fodito *Pyth. quia magis excitas.* Ad pila iam ventum: *hasta genus erat.* Irritare crabrones. Arietem emittit, *quod fecialis olim indicturus bellum, in hostium agros faciebat.* Refricare cicatricem. ἐγγύθεν καὶ πόῤῥωθεν. Cominus atque eminus: *ut in bello consuetum.*

Lautitiæ.

Διὸς ἐγκέφαλος. Iovis Cerebrum. *Zenod.* Lac Deorum, Veneris, Iovis, Nectaris flos. Medulla mellis. Attica Bellaria. *ἐπιτερμαζᾶν opiparè vivere.* quod Maza Græcis cibus esset ex simila tritici delicatus. Coturnissare: *coturnicibus vesci.* ἐν λαγῴοις: In leporinis: *vesci olim lautè.* Lydorum caricæ. *variis lautitiis instructa.* Afra avis. (*ut Horat.*) *ubi Gallina prælauta.* Thasium infundis: *vinum rarum & præstans.* Solis mensa: *omni copia abundans, ut in Æthiopia noctu in pratis magistratus instruebat: ad quam mane homines tanquam cælitus oblatam, affluebant. Herod.*

Liberalitas.

Τῶν ὀρθῶς δοθέντων ἀφαίρεσις οὐκ ἔστι. Non licet eripere, quod rectè datum est. *Plat.* πίονι μέτρῳ: Pingui mensura. *Theocrit.* Plena manu: Pleno modio. *Cic.* Bis dat, qui cito dat *Sen.* ἀντλεῖν ἀμφοτέραις: Haurire ambabus. Promus magis, quàm condus: *œconomus.* Communis Mercurius: *qui homines Deosque conciliat, ut solent munera, iuxta Ovid.*

Munera, crede mihi, placant hominesque Deosque,
Placatur donis Iuppiter ipse datis.

Libertas loquendi.

ἐξ ἁμάξης λαλεῖν. Ex plaustro loqui. *Ex quibus comœdi olim quosvis liberè carpebant.* Obsequium amicos. veritas odium parit. *Teren.* Byzeni libertas (*παῤῥησία*) *erat is Neptuni filius ore liberrimo.* Curetum os: *comites Cybeles furentes vaticinabantur.* κάτοπτρον γὰρ εἴδους χαλκός ἐστι, οἶνος δὲ νοῦ. Speculum formæ æs, animi vinum est. *Eurip.* In vino veritas. Τὸ ἐν τῇ καρδίᾳ τοῦ νήφοντος, ἐπὶ τῆς γλώττης ἐστὶ τοῦ μεθύοντος. *Plut.* Quod est in corde sobrii, est in lingua ebrii. Ad cribrum dicta, quo

cta, *quo circum acto veritatem explorant.* ἡ γλῶσσ' ἁμαρτάνουσα τ' ἀληθῆ λέγει, lingua lapsa verum dicit. ἐλευθέρα Κόρκυρα, χέζ' ὅπου θέλεις. Corcyra libera, caca ubi vis, *libertas impudens.* Τὰ σῦκα σῦκα, τὴν σκάφην σκάφην λέγων. Ficum dicens, ficum, ligonem ligonem, *Aristoph.*

Longævus.

Nestoris, Tithoni, Hesiodi Sibyllæ senecta. ultra fusum, ultra pensum vivere. *alluditur ad fusum Parcarum.* Cornice. Phœnice, corvo vivacior. Facies tua computat annos. *Iuven, ab rugas.* Depontanus senex, *quia sexagenariis in ponte suffragium amplius ferre non licuit. Macrob.* Γηρᾷ ὁ βοῦς. Et bos senescit. Et saxa tempus atterit.

—Mors pulchra rapit, deterrima transit. Epimenidis somnum vincit, *qui annos 57. dormivit, & post multos supervixit: ut Laertius.* ἐν Σπάρτῃ μόνῃ λυσιτελεῖ γηράσκειν. In sola Sparta expedit senescere. ubi magnus honor senum. Vivum cadaver. Senex bos non lugetur. Alterum pedem in cymba charontis habet. Viro seni maxillæ baculus: *quia edendo se sustentat.*

Luxus & mollicies.

Curare cuticulam: Pergræcari *.id est*, Helluari, Pontificalis cœna. Mensa Sybaritica. *lauta.* Semper Leontini iuxta pocula: *Siculi, Diogen. unde*, Siculissare, *dictum, est &* Sybarissare. Thericlei amicus: *qui vasa istius figuli Corinthii amat. sed & vitrea vasa Thericlea dicta sunt.* Sale perunctus adjuvabitur: *aptus ad potum, ut sale dilutus uter vino aptatus est.* ἀσκὸς καὶ θύλακος: uter & Thylacus: *ille pro vino: hoc vas farinaceum est.* Bos ad præsepe. Ventres: *Lucil.* Porcus Troianus. Piræeus non fert vasa inania. *Portus Attica in quem vasa onusta appellebant,*

lebant. ἑτερόγναθος, utraque mandibula vorans, Ficus avibus gratæ *Athena*, voluptariis dulcia. Sine Cerere & Baccho friget Venus. *Terent.* Decempes umbra: *quod erat cœnæ tempus.* Venter auribus caret: *non audit consilia.* Τὸν οἶνον οὐκ ἔχειν πηδάλια. Vinum caret clavo, *sive* gubernaculo: non patitur rectorem. Nox & amor vinumque nihil moderabile suadent.

Illa pudore vacat: Liber Amorque metu.

Amphidromiam agis (Ἀμφιδρομίαν ἄγεις.) In qua pueros circumferebant, qui obstetricando adstiterant, & captabant munera.

Maledicere, vide, *obtrectare*.

Ἰαμβίζειν. Iambis incessere. Στηνιῶσαι. à στηνία festo Athen. quo licebat alios conviciis petere. Nam στηνὸν asperum significat ἀρὰς ἐπισπεῖραι. Execrationes serere. *ut apud Cyprios, dum hordeum serunt, addito sale, devovebant, quibus male vellent. Hesychius.* Vincit Hyperbolum: *conviciatorem, vel*, Mœsonem. *histrionem Megarensem.*

Malum rependere.

Qui quæ vult dicit, quæ non vult, audit. *Terent.*

Cædimus, inque vicem præbemus crura sagittis. *Pers.*

Eodem bibit poculo. *Plaut.* Neoptolemi vindicta, *qui Achillis erat filius, & Priamum ad aras occidens, ad aras ipse Delphis occisus est.*

Malum geminare.

Μὴ πῦρ ἐπὶ πῦρ. Ignem igni ne addas. *Plat.*

Oleum camino addere. *D. Hieron.* Oleo incendium restinguere. Malum malo mederi. Hydram secas. Μὴ νοσοῦντί μοι νόσον. Ne morbo morbum addas. *Eurip.*

Lutum luto purgare. Lis litem ſerit. De flamma fumus. Laqueo auxiliari. Poſt Marathonem pugna: *locus eſt Attica multis cladibus inſignis: ut ſi dicas:* Poſt bellum tumultus.

Malo aſſueſieri.

Callum ducere. Occalleſcere. Dies ægritudinem adimit. *Terent.* ἔθος ἄλλη φύσις. uſus altera natura. Mala res nota, optima. *Plaut.*

Malum accerſitum.

Suo jumento ſibi malum accerſit: *Plaut: quaſi advehens illud ſibi.* Suo ſe gladio iugulat. Suo laqueo captus eſt. Suo ipſius indicio periit ſorex: *dum ſtridet.* Αἱροῦντες ἡρήμεθα. Captantes capti ſumus. Incidit in foveam quam fecit. *David.* Ὥσπερ σόφισμα κατὰ σαυτοῦ συντέθεικας. Hanc technam in teipſum ſtruxiſti. Turdus ſibipſi cacat malum: *viſcus, quo capitur.* Ὡς ὁ πτύσας εἰς μυρμηκιὰν, οἰδεῖ τὰ χείλη. Qui in agmen formicarum inſpuit, huic intumeſcunt labra. Ex ipſo bove lora ſumere, quibus boves verberentur. *Plut.* Chius Dominum emit. *nam à Mithridate Cappadoce ſubacti propriiſque ſervis ſubiecti ſunt Athenæ.* Mala attrahens, ut Cæcias (*ventus*) nubes. In cœlũ exſpuis, *quod in te recidat.* Dares Entellum provocat *Iuvenis expertum virum.* Atlas cœlum, *gravius onus, quàm honorem.* Pyrauſta ignibus gaudes: *quæ bis cumburitur.* Colubrum foves in ſinu. Camelus deſiderans (*apud Iovem*) cornua, etiam aures perdidit. Litteræ Bellerophontis, *vel* Vriæ, Tute hoc intriviſti, tibi omne exedendum eſt. *Ter.* Faber compedes, quas fecit, ipſe gerit. Echinus partum differt, *qui grandior acutis magis ſpinis vulnerat.* Cornix ſcorpium rapit, *qui lethaliter ferit.* Cornutam beſtiam petis, *ut arietem.* Irritare crabones. Leonem ſtimulas. Optas floribus

floribus austrum. *adversantem.* Movere Camarinam. *palus quæ siccata pestilentiam attulit.*

Malum grandius, minore vitato.

Fumum fugiens, in ignem incidi.

Incidit in Scyllam cupiens vitare charybdim.

Cinerem vitans, in prunas incidit. Chironium vulnus *immedicabile ab Herculis sagittis hydriæ sanguinem imbutis factum.*

Malus vicinus.

ἁλμυρὸν γειτόνημα salsuginosa vicinia. *ἂν χωλῷ παροικήσῃς ὑποσκάζειν μαθήσῃς.* Si iuxta claudum habibites, claudicare disces. *Plut.* Aliquid semper mali propter vicinum malum.

Malitia.

Lupus pilum mutat, non mentem. Pardus maculas nunquam deponit.

Naturam expellas furca, tamen usq; recurret. *Hor.*

Æthiops, nunquam albescit.

Quo semel est imbuta recens servabit odorem
Testa diu —

Fragmenta colossi. *de eo qui non respondet familiæ magnitudini.*

Mansuetus.

Oleo tranquillior. Cera tractabilior. Spongia, *vel,* apio mollior. Mitior columba. Mactata lenior hostia. *Hor.*

Metus pœnæ.

Conscientia mille testes.

Heu quam difficile est crimen non prodere vultu. *Ovid.*

λύκος περὶ τῆς βοῆς ἀπίυδει. Lupus ante clamorem fugit.

git. Funiculum fugiunt miniatum. *quo Athenis per duos ministros populus cinctus ad concionem agebatur*, *Prævertens ultro*, *ne minio signatus cogeretur multam pendere. Aristoph.* Absque baculo ne ingreditor. *canum metu.*
—Formidat Miluius hamum.
Samiorum mala metuis. *In quos plerosque tanquam proditores Athenienses animadvertebant.* Volam pedis ostendere. *ut sit in fuga.*

Minæ.

Et meum telum cuspidem habet.
Et mihi sunt vires, & mea tela nocent. *Ovid.*
Si tibi machæra est, & nobis urbina est domi. *Plaut.*
Duro nodo durus quærendus est cuneus.
πολλῶν ἐγὼ θρίων ψόφους ἀκήκοα. *Aristoph.*
Multorum ego foliorum ficulni strepitum audivi: *quem in igne excitant.* Ollam alere: *quas Athenis in tectis disposuerant. ad deterrendas ululas.* Igni ferroque minari. Τῷ μοι δούρατά ἐστι. Et mihi sunt hastæ. *Hom.*

Modestia.

Γνῶθι σεαυτόν: Nosce teipsum. *Chilo.*
Tecum habita & noris quam sit tibi curta supellex. *Pers.*
Τῇ χειρὶ δεῖ σπείρειν, ἀλλὰ μὴ ὅλῳ τῷ θυλάκῳ.
Manu serendum est, non corbe tota. *Plut.* Μηδὲν ἄγαν. Nequid nimis. *Hom.* Μὴ κακούργει τὴν μουσικήν. Ne musicam turbes. *Plut.* Arabius tibicen, *qui cessare nequit*, Plus dimidium (*mediocritatis*) toto. πλέον ἥμισυ παντός. *Plat.* Neque lydorum caryças (*delicatas*) neque flagrorum crepitus: *volo*, *quibus serviliter aguntur.* Funem nimium tendendo rumpes. Μὴ ὑπὲρ τὸν πόδα τὸ ὑπόδημα. Ne supra pedē calceus, *id est*, *ne viribus maiora suscipe.* Iuxta terrā navigatio, iuxta mare ambulatio gratior.

gratior. *Plut.* Contrahere vela. *Cic.* Iniquum pete, ut æquum feras: Τόξον μὲν ἐπιτεινόμενον ῥήγνυται, ψυχὴ δὲ ἀνιεμένη. *Plut.* Arcum frangit intensio, animum remissio. Μεταβολὴ πάντων γλυκύ. *Aristot.* Iucunda rerum vicissitudo est.

Pastillum Rufillus olet, Gorgonius hircum. *Hor.*

Molestus.

Tota hulcus est. Onus navis, *vel montis.* Improbitas muscæ. Vt fici innati oculis, *semper sunt molesti, ut hic morbus oculis.* Gravius Ætna vel Atho: *ille ignibus: hic umbra, quam ad trecenta iacit stadia.* Ægyptius latetifer. *infimæ sortis homo.*

Munerum corruptela.

Μὴ συνάγχην, ἀλλ᾽ ἀργυράγχην πάσχει. Non anginam, sed argentanginam patitur; *In Demosthenem dictum, cum contra Milesiorum legatos dicturus obligato collo morbum simularet.* Βοῦς ἐπὶ γλώττης. Bos in lingua. *Idem est. quia numisma Athenis hac figura cusum.* Lupi Marin videre priores. *Virg. unde raucedo.*

Malis ferire aureis. *Quibus proiectis Hippomenes iuvenes Atalantam puellam cursu vicit.*

Τὴν ἀρετὴν, καὶ τὴν σοφίαν νικῶντι χελῶναι.

Et testudinibus virtus, sapientia cedit. *In Peloponeso enim numisma testudine signabatur.*

Et genus & formam Regina pecunia donat. *Hor.* Argenteis hastis pugnare. Pecuniæ obediunt omnia, Eccl. 10. Dorica Musa vincit. *Aristoph.*

ὁ πολλὰ κλέψας, ὀλίγα δοὺς, ἐκφεύξεται.

Qui multa tollit, pauca dat, servabitur.

ἀλώπηξ οὐ δωροδοκεῖται. Vulpes non capitur munere. *Suid.*

Munus ineptum.

Ranis vinum affundis. *quæ aquam petunt.* Quid bos clitellis? *asino debitis.* οὐκ ἐκ παντὸς ξύλου ἑρμῆς ἂν γένοιτο. Non è quovis ligno Mercurius fingitur. *Theoph.* Κατὰ πόδα *vel* ναῦν. Iuxta pedem *vel* navem: *debent esse calcei, & vela.* Ἀφροδίτῃ ὗν τέθυκεν. Veneri suem immolavit: *ingratum, quod is Adonidem interfecerit.*

Mutare sententiam.

παλινῳδεῖν Palinodiam canere.

—Dare vela retrorsum. *Hor.* Vertere vela.

Calculum *vel* funem reducere. Imitabor Nepam, *vel* cancrum: *retrocedentem.*

Mutare institutum vitæ.

Relinquere nuces, crepundia, trochos &c. De toga ad pallium. Vlysses pannos exuit. *Hom.* A Dorio ad Phrygium; *modum in musica disparatum.* Circeum hausit poculum: *ut socii Vlyssis in porcos versi.* Maritimus, cancer ne sis terrestris: *nam, ut est in fabulis, hunc vulpes voravit.*

Necessitas.

Ingens telum necessitas.

χρεία διδάσκει, κἂν ἄμουσος ᾖ σοφόν.

Necessitas magistra de rudi doctum facit.

Feras, non culpes, quod vitari non potest.

Καλούμενός τε κ' ἄκλητος θεὸς παρέσται. Vocatus & non vocatus Deus aderit. *quod oraculum olim Lacedæmoniis datum.* Omnia esculenta obsessis: *sapiunt.* Volentem bovem ducito. Ne invitis canibus veneris.

Nobilis,

Nobilis, ignobilis.

Iovis germen. Generosior Sparta: *quæ nulli voluit servire*. Cymbalum mundi. ὄρνις ἐκ τῶν ὀρνίθων. *Aristoph.* Avis ex avibus. *id est ex sublimibus sublimis.* Fumosis clarus imaginibus: *quia maiorum suorum imagines asservabant, Contra.* ὑποβολιμαῖός ἐστι. Suppositititus est. Terræ filius. Nec patrem novit. Matris, ut capra, dicitur. *ut spurius.* Λυχνόβιος *qui* lucernariam ducit vitam. *seu, ad lucernam laborans vivit.*

Nunquam.

Ad calendas Græcas. *quæ nulla sunt.* Cum mula pepererit. *quæ steriles sunt.* Cum Nibas coccyssaverit, *locus Thessalonicæ, ubi Galli nunquam canunt.* Magno Platonis anno: *nunquam venturo.* Lunæ radiis non maturescit botrus.

Oblivio.

Λήθης πεδίον, campus lethes. *hic fluvius infernalis oblivionem inducit.* ἀμνηστία. oblivio eorum quæ inter epulas dicta. Μισῶ μνήμονα συμπότην, *Lucian.* Odi memorem compotorem. Bibere mandragoram: *quæ somnum inducit.* Ollæ vestigium in cinere turbes. *Plut. Dele ex animo, quod insedit offensionis.*

Obscuritas.

Davus sum, non Oedipus: *qui Sphingis ænigmata expedire possim, ut hic fecit.* Sphinx loquitur. *intricata & obscura proponit.* Delio natatore opus est: *ut is natando evadat, cuius erat peritissimus.* Numeris Platonicis obscurius: *qui numeris Pythagoricis philosophiam obscuravit.* Nec per nebulam apparet.

Obtrectare vide Maledicere.

Mortui non mordent. *quod Ptolemæo Ægypti respondit Theodorus Chius cum quæreret an Pompeius contra Cæsarem defendendus?* Iugulare mortuos noli: *bis maledicendo.* Infixo aculeo fugere: *ut apes: & vespæ.* Pellem caninã rodere: *maledicum insectari.* Vitilitigator: *ex vitio & litigio composuit Cato.* Archilochum teris, *vel* dente rodis Theonino: *uterque enim mordax poeta fuit, & ille quidem Lycamben socerum ejusque filiam (quod repudium passus esset) ad suspendium iambis adegit. Huic similis* Hipponax: unde Hipponacteum præconium, *dicit Cicero convitium.* Μωμήσεταί τις μᾶλλον ἢ μιμήσεται. Carpet quis citius, quàm imitabitur. Plaustra convitiis onusta. *Lucian. quod de plaustro convitiarentur Satyrici.* Δῆγμα ἀσπίδος. *Nican.* Morsus aspidis. Hystricis seta: *quæ pungit.* Genuino mordere. *unde Persius.*

—Genuinum fregit in illis: *dentem mordendo.*

Dentata charta. *Cicer. ad Q. fr.*

Occasio.

Ansam arripit, præterit. &c. Non semper æstas.
Fronte capillata, post est occasio calva.

Fenestram ad nequitiam patefecit. *Ter.* Dum ferrum calet, cudendum est.

Οὐκ αἰεὶ θέρος ἐσσεῖται, ποιεῖσθε καλιάς.
Æstas non semper fuerit, componite nidos. *Hesiod.*

Occulta.

In tenebris saltas. Occultæ musicæ nullus respectus. *Suet.*

Tu licet & Thamiram superes, atque orphea cãtu,
Non erit ignotæ gratia magna Lyræ. *Ovid.*

Τυφλὸς πλοῦτος. Plutus cæcus, *opes recondita, cui bono?* Quiterniones inferiorum honorati? *Quorsum prodest scire,*

scire, cur Hecate in sacris tria amet &c. Attica Eleusinia: *sacra Cereris, occultè celebrant.* Monstrum alere: *quod paucis ostenditur.* ἀκροποδητί: summo pede ingredi. Εἰς οὖς λέγειν. dicere in aurem. θύρας ἐπίθεσθε βέβηλοι. *Lucian.* fores obturate prophani. ἀγχὶ σχὼν κεφαλὴν. Admoto capite.

Occupatio.

Οὐ σχολὴ δούλοις *Aristot.* Nullum otium servis. ἐξὸν φυγεῖν, μὴ ζήτει δίκην. Dum licet fugere, ne quære litem: *ait Alcibiades ad causam dicendam Athenas vocatus:* Nè ad aurem quidem scalpendas otium est. *Luc.*

Odium.

Odium Novercale. agreste. Odium vatinianum: *Vatinium enim, post detecta illius à Cicerone scelera, Romani execrati sunt.* Archidami bellum: *Dux ille Lacedem. summè ferox, ut* Tamerlanes *Scytharum.* Empedoclis simultas: *hominis irreconciliabilis.* Exspectatum salutat, ut canem. *Plaut.* Μηδὲ τὴν αὐτὴν ὁδὸν βαδίζειν. *Plut.* via non gradiuntur eâdem. ὁ θυμὸς ἔσχατον γηράσκει. Ira tardè senescit. *Sophoc.* Ὡς λύκος ἄρνα φιλεῖ. Vt Lupus amat ovem.

Origo, ortus.

Ex squillis non nascitur rosa.

—Nec imbellem feroces, progenerant aquilæ columbam. *Hor.*

Ex quercubus ac saxis nati. Bonæ leges ex malis natæ moribus. Κακοῦ κόρακος κακὸν ὠόν. Mali corui malum ovum. Μικρὸν κακὸν μέγ' ἀγαθόν. Exiguum malum (*ex labore toleratum*) ingens bonum. Piscis primum à capite fœtet: *Mali origo in rep. à malis fere principibus oritur.*

Paraſiti.

Muſcæ: *quæ ad dulciores cibos advolant.* Μυςπολεῖν, Muris in morem: *vivere.* ἀλλοτριοφάγοι aliena quadra viventes. Ζῆ χύτρα ζῆ φιλία. Dum fervet olla, fervet amicitia. Myconiorum more; *qui etiam non invitati aderant. Cyclades inhabitant.* Κατὰ χειρῶν ὕδωρ ἥδιςον. *Ita Carneus iuxta Philoxeni ſententiam reſpondit, dum in convivio optima aqua quæreretur.* Aqua manibus infuſa gratiſſima, *Athen.*

Paupertas.

Nec obulum habet unde reſtim èmat. *Luc.* Nudior leberide: *exuvio ſerpentis.* Pauperior Iro, Codro, Telenico, Hecale. *Hac femina; illi nota paupertatis viri.* Theagenis *vel* Æſchinis pecuniæ, *qui videri volebant ditiores quàm eſſent, unde* Selli *ambitioſi hominis cognomen tulêre.* Cincli, *pauperes, ab ave imbec illis cinclo ſic dicti.* Cananicolæ, *qui ad canales clamant.* Ad incitas: ad manticam redactus. Zonam perdidit: *ex qua ſua ferebant milites, olim.* ἀχρήματος, ſine ære. πενία δὲ τὴν σοφίαν ἔλαχε. *Eurip.* Paupertas educat Sapientiam. Fames magiſtra. Venter mirus artifex. Τὴν ψυχὴν ὀφείλει. Animam debet. Omnia mea mecum porto: *ut Bias.* Ne tempeſtas quidem homini nocet: *quia agros nullos habet.* Saguntina, *vel* Meliæa fames, *vel* Solymæa. *Nam Saguntum Hiſpaniæ oppidum à Pœnis, Melus Theſſaliæ à Nicia Athen. Solyma à Veſpaſiano Imp. obſeſſa, extremam famem perpeſſa ſunt.* Vix pelle ſua tectus.

Perfidia.

Colophonium faſtigium. *Colophonii enim æqualia Smyrnenſium ſuffragia, ſuo addito determinabant unde & illud* Colophonem addidit, *id eſt, concluſit, cum his equites præſtantiſſimi in bello rem plerumq; conficerent. Strabo,*

Circulum

Circulum claudere. Summam manum addere. Supremum fabulæ actum agere. Ad umbilicum ducere, *ut solet in libris compactis.* Ad coronidem usque, *hoc est, apicem, ut rostrum navium est.* Τὸν τρίτον τῷ σωτῆρι. Tertium servatori: *nempe poculum, Iovi, pro more, bibatur, ut in conviviis solebat.* Non plus ultra Herculis columnas, *sive Gades. Has columnas statuunt, Calpen montem Hispaniæ, & Abylam oppositum Africæ.* Devorato bove in cauda defecit: *id est, fine.* Quadratus homo, *id est, absolutus.* Rude donari: *ut qui munere gladiatorio liberati.* Tibi lampada trado: *ut succedas in labore.* Tradere provinciam: *successori.*

Perfidia.

Θρᾴττειν. Thraciè, *id est perfidè,* agere. πιστὸν Ἑλλάς οἶδεν οὐδέν. Græcia non novit fidem. *Eurip* Punica fides. *Nihil enim Pœnis, ut Hanibal erat, fallacius.* Ore uno calidum frigidumque efflat: *Bilingvis.* Μαγαδίζειν: *ore uno diversa loqui: ut Magas vel Magadium instrumentum musicum, dextra lævaque percussum, gravem simul & acutum sonum edit.* unde δίφωνον dictum est. Altera manu fert aquam, altera ignem. *Plut.* Altera fert lapidem, altera panem. Plaut. Altera caput mulcet, altera ferit.

Perplexus.

ἄνεμος οὔτε μένειν ἐᾷ, οὔτε πλεῖν. Ventus neque manere sinit, neque navigare. *Diog.* Auribus lupum teneo. *quem neque retinere licet, neque tutò dimittere.* Hæret aqua. *qua in clepsydris olim usi.* Hæret in vado. *quasi illisa nave.* Meæ nunc in arctum coguntur copiæ. *Plaut.* Labyrintho implexus sine filo hæret: *quod Ariadna Theseo suppeditavit.* De possessione deiectus, *nam ut Iurisc. melior est conditio possidentis.* Nec currimus, nec remigamus. Nec caput video, nec pedes.

Perspicax.

ὀξύτερον τοῦ λυγκέως. Acutius Lynceo. Aquilæ, *aut* serpentis oculus.

Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quam aut aquila aut Serpens Epidaurius? *Hor.*

Cornicum oculos configere. *melius rem velle penetrari quam alii perspicaces, quos, præ nobis, cæcos facimus.*

Perspicuitas.

Καὶ τυφλῷ δῆλον. Et cæco manifestum. *Plut.* Καὶ παιδὶ &c. Et puero. Electro lucidius. Λευκὴ φωνή. Candida vox. Νοῦς ὁρᾷ καὶ νοῦς ἀκούει. Mens audit, & videt. Tanquam in speculo lucet. Lippis & tonsoribus notum. *Hor.* Archimedes non describeret scitius. *In mathesi princeps.*

Pertinacia.

Ὥσπερ λεπὰς προσίχεται. *Aristoph.* Ostrei in morem hæret: *non avellitur.* Mordicus tenere. Vtraque manu, Gladiatorio animo: *pertinaci: Terent.*

Philautia, cæcus amor sui.

Βαβαὶ Μύξος; Papæ Myxus! Dianæ Sacerdos gloriosus sui admirator. Μεγάλα λέγεις. Magna faris.

Proiicit ampullas & sesqui pedalia verba: *Hor.*

ἀργύρου κρῆναι λαλοῦσιν. Argenti flumina fantur: *id est, dives inflatus opibus loquitur.* Fœnum habet in cornu, *ut boves cornupetæ.* Suum cuique pulchrum est. Κολοφώνεια ὕβρις. Colophonum arrogantia, quæ eius gentis magna erat. *Quanquam καλοφώνεια dici posset, alludendo ad pulchra vocis elationem.* ἢ φρονεῖν ἔλασσον, ἢ δύνασθαι δεῖ μεῖζον. Aut minus animi, aut plus potentiæ. *Plut.* Mendax atraphaxis *seu* Atriplex, *beata ventosa genus,* Verrucis offenditur, qui habet tubera. *Hor.*

Suus

Suum cuique bene olet fimetum. Τὸ σὸν φῦλον σκόπει. Tuum genus inspice. Sine rivali teipsum amas. πολλοί σε τοι μισοῦσιν ἂν σαυτὸν φιλῇς. Multi te oderint, si temet diligas. φίλαυτος *seipsum amans.*

Potentes.

Nutu atque renutu: *omnia posse.* πειθανάγκη *Cic. Suadela impellens vel:* preces armatæ.

ἐν τοῖς γὰρ τέλος ἐστὶν ὁμῶς ἀγαθῶν τε κακῶν τε. In his summa sita est bonique malique. *Hes.*

Præter spem evenire.

Omnia secunda, saltat Senex: *Nam Romani ex Apollinis ludis Circensibus ad arma advolarunt, cum Hannibal ad portam Collinam adesse nuntiaretur: Sene saltante relicto, piaculum admitterent* Homo homini Deus, *vel* Lupus. πράγματ᾽ ἐξ ἀπραξίας, Negotium ex otio. Mopso Nisa datur. *forma elegans deformi:* Glaucus poto melle resurgit *ut factum narrant in Glauco desperatè agro.* ἀνέλπιστον βίον ζῇς. *Pind.* Exspes vivis. Lavas Peliam, *quem Medea filiabus Peliæ suasit coquendum, ut iuvenesceret; sed spe vana.* ἕρμαιον: Mercuriale signum. *cui in viis apposita primitiæ, quibus viatores fruebantur.*

Probrum.

Cerite cera dignus: *nullius nominis es, ceritibus enim bello sibi additis Romani nullum ius suffragii concessere.* Cythonymi (*id est, innominati hominis*) dedecus. *quale illius, qui Ephesinæ Dianæ templum incendit, ut æterna ipsius ex hoc facto esset memoria.* ὃν τύχη μέλανα γράφει, τοῦτον οὐ πᾶς χρόνος δύναται λευκᾶναι. Quem fortuna nigrum pinxit, hunc nulla ætas dealbabit. Sutorio atramento absolutus est. *Cic. Non sine nota infamiæ, aut corruptionis. Quin te suspendis, ut apud Thebanos heros fias?* ubi voluntaria mors gloriosa. Fractas aures gerit. *ut olim gladiatores & servi.*

Pronus. proclivitas.

Sphæra per præcipitium: *facilè volvitur.* Calcar currentibus addis. Mustelæ sevum porrigit: *quod valdè appetit.* Μία μάστιξ πάντας ἐλαύνει. una scutica impellit omnes. *Suid.* Ignis ad torrem, *vel* stipulas admovetur. Tanquam de narthecio: *pyxide unguentaria, quæ semper ad manum est. promit.* Lupis suadet, ut vorent.

Aphya piscis ad ignem: *subito coctus.*

Profusus.

Proterviam fecit: *Sacrificii genus, ex quo reliquum igne consumebatur. Hinc Cato illud de Albidio qui omnia consumpsit.* Calliæ defluunt pennæ: *is Græcus Patrimonium omne absumpserat.* Gallorum venter: *qui facilè quidvis concoquunt.* Glaucus alter: *equis omnia impendens, ab ipsis postea devoratus.* Ipso horreo: unà cum canistro: plena manu profundit. E dolio haurit. Festo profundit omnia. Βουθυτεῖν Boves immolare: *in largos. Βουθυσία Græcis magnificus luxus est.* Caricum, *vel* Mausoli sepulchrum; *apud Cares magnificentissimum.*

Grando drachmarum, *Zenod.*

Promissa.

Χρυσοῦς ἐν ὀλυμπίᾳ σταθῆτι. *Lucan.* Aureus in olympiâ stato. *statuam illic habeas auream, dono meo.* Aureos polliceri montes, vix præstare ferreos. Solidos è clibano boves; *nam in clibano cocta Xenii loco missitabant Græci. Aristoph.* Καπνός fumus: *sic dictus* Theagenes pauper ipse, multa tamen promittens. Charetis (*Athenensium Ducis*) pollicitationes: *vana.* Pollicitis dives quilibet esse potest. *Ovid.* Sunt Hermodori verba mercimoniû. *Platonis discipulis promissis liberalis.* πάντ' ἀγαθὰ, ὡς ἔφη Κιλλικών. *Suid.* Omnia bona, inquit, Cillicon, cum patriam proderet: *Miletum nempe Prienensibus.*

Κατὰ Νικόστρατον. More Nicostrati, *faciam, qui comœdus excellens, ut Roscius fuit.* Hesperidum mala largiri *fabulosa.* Aurea mala decem mihi, cras altera mittam. *Virg.* Modio demetiar. Ariolor: *cum incerta prædic.* Λευκὴν μάζαν φυρῶ σοι. Album tibi panem pinso. ἐπαύλια δῶρα. *Quæ in pompa specie, postero die nuptiarum, Pater sponsæ ducebat.* ἐγγύα, πάρα δ' ἄτη. Sponde, noxa præsto est. *Nam qui spondet, sæpe decipitur, & decipit.*

Promoveri ad meliora.

Desiit gaudere lente: *pauperum cibo.* Meliores nactus aves est: *in augurio læto.* Ab asinis ad boves. Fuit & Mandroni ficulna navis: qui ex naviculario vili factus imperator est. I venare leporem. Ictin, *seu viverram*, tenes. *mustela quæ cuniculos captant.* Ἑῦρον ἄμεινον. Inveni melius. ὁ νῦν οὐδὲν, αὔριον πάντα. Hodie nihil, cras omnia.

Proprii commodi amans.

Tunica pallio propior est. Intus canit, *& sibi*, ἑαυτῷ ψάλλει. Μισῶ σοφιστὴν ὅστις οὐκ αὐτῷ σοφός. Odi sapientem, qui sibi non sapit. Γέραιρε σαυτόν. Honora teipsum. Γόνυ κνήμης ἔγγιον. Surâ genu proprius. *Arist.* Turbatâ aquâ captat anguillas. *ut solent, qui in turbata rep. suum commodum quærunt.* Simonidis cantilena; *qui præmiorum cistam se dixit habere plenam, gratiarum vacuam, voluit igitur gratis carmina offerre* ἔλθοι ξεῖνος ὅστις ὀνήσει: Veniat qui proderit hospes. Tibi dormio, mihi vigilo. Ipse licet venias Musis comitatus Homere, si nihil attuleris, ibis Homere, foras. *Ovid.* πόλεις παίζομεν, Civitates ludimus: *ut Reges solent lusus genus erat olim in quo calculi urbes dicti.* Astutior coccyge, *quæ ova sua in alieno nido excludienda ponit.* Qui sibi nequam, cui bonus? Favet vicino, sed magis ollæ suæ: *ut plena sit.*

Proximis, quibus potes, utendum.

Vt possumus, quando ut volumus, non licet. Quod sis, esse velis. *Mart.* Probanda fallamenta, ubi desunt carnes. Τὸ παρὸν εὖ ποιεῖν, Quod adest boni consule. Qui viam nescit ad mare, amnem quærat. Εἰ μὴ δύναιο βοῦν ἐλαύνειν ὄνον. *Suid.* Si bovem non possis, asinum agas. Aulædus sit, qui citharædus esse non potest. *Cic.* Qui choragus esse non potest, choraulem agat. Præsentem sortem mulge, fugientem desere. Extrema standum linea: *ultra quam non potes.*

Prudentia.

A fronte & occipitio oculatus est. Alter Ianus: *bifrons.* Acetum habet in pectore. Mus uni non fidit antro. Non oportet hospitem semper esse hospitem. Tanquam de speculo. Ex tripode. Amyris insanit. *ita David ante Achis, simulatè, ut sibi consuleret.* Thales alter: *qui erat unus septem Sapientum.* Perendinum ventum præscit.

Prudentia senis.

Multorum festorum Iovis glandes comedit. *qui erat cibus veterum.* Annosa vulpes, haud capitur laqueo. Anus subsultans multum pulveris excitat.

Γηράσκω δ' αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος.

Senesco semper aliquid addiscens. *Solon.* Discipulus est prioris posterior dies. Eum ausculta, cui quatuor sunt aures. *uti Apollo apud quosdam veteres fingebatur.*

Pudicus.

Hippolyto, *vel*, Melanione castior: *quorum uterque mulierem fugiens solitudinem quærebat.* Alter Iosephus, *vel*, Susanna.

Pudor.

Viro egenti inutilis verecundia. ἵνα δέος ἔνθα καὶ αἰδώς. Vbi timor, ibi pudor. Tinctura Sardonica: *praestans, qualis est verecundia.*

Puniri pro alio, vide ultio.

Tibicen vapulat: *ut olim solebat, pro coquo siquid hic deliquisset.* Athen. l. 9. Canis peccatum: *qui quandoque vapulat, ubi alii deliquerunt.*

Rapacitas, sive avaritia.

ἀπὸ νεκροῦ φορολογεῖν. *Aristot.* A mortuo tributum exigere. Fabarum arrosor: *seu* Fabis victitans, *ut hi, qui, pro pecuniâ, suffragia fabis dabant.* Γαλῆ Ταρτησσία. Felis Tartessia, *rapax.* Lucri est bonus odor ex re qualibet. *Vespasiani Imper. ex lotio vectigal colligentis vox est.* πτωχῶν πήρα οὐ πιμπλᾶται. Mendici pera non impletur. *Zenod.* Mendicorum loculi semper inanes. Κέρδος αἰσχύνης ἄμεινον: lucrum pudore melius. Canis circum intestina: *quibus avidè inhiat.* Charybdis, Barathrum, Vorago. Vultur. Non curat numerum Lupus. Voracior Purpurâ: *pisce.* Vorare hamum: *ut piscis.* Atticus moriens porrigit manum. *Diogen.* Porsenae bona. *erepta à Romanis, parvoque pretio vendita:* In raptores divites. Argivi fures: *ad furtum solertes.* Laverniones, *fures, sub tutela Deae Laverna.* Megaricae Sphinges: *meretricula illic cupidae.* ἀφιλοχρηματία. Σπάρταν ἑλοῖ, *plus..*

Pecuniarum cupiditas, Spartam capiet. Laurus vel Labrax hians: *illa avis, hic piscis, Lupus dictus, avidè vorans.* Serpens, nisi edat Serpentem, Draco non fiet. *Ita potentes, minores devorant.*

Raritas.

Phoenice rarior. Lac gallinaceum, Rara avis in terris,

nigroque simillima cygno. Et corvo rarior albo, *Iuvenal.* Λευκὸς ὄρνις. Alba avis. Albæ gallinæ filius. Ovum Noctuæ: *quale non regeritur.*

Repellere.

Aliam quercum excute: *nam ab his olim cibus hominum.* Tollat te qui non novit. Alterius pulsa fores.

Rigor.

Summum ius, summa iniuria. Ξυρεῖ ἐν χρῷ. Radit usque ad cutem. Censoria virgula. *Censoribus rigidis usitata.* Obtorto collo rapere, *Per vim nolentes.* Ad libellam debere: *qua rigidè pondus examinant.*

Risus.

Risus Ionicus & Chius *mollis & lascivus est.* Megaricus *intempestivus.* Sardonius, *amarus.* Risus Aiacis *stultus, cum insanierit ob Vlyssem sibi in Achillis armis prælatum.* Risus Syncrusius (γέλως συγκρούσιος) *effusus est, sic dictus, quod concutiat.* Μωρότερος μελιτίδου Melitide apud Homerum celebri stultior.
Risu emori, dissolui, defluere.

Rixosus.

Rhodii sacrificium: *quod inter rixas peractum.* Spirat Cæcias: *ventus acerbior.* Insana laurus adest. *in tumulo Bebrycis Regis hac succreverat, ex qua siquid nauta decerpsissent, rixabantur in navi, donec rursum abiicerent. Plin. lib.* 10. *c.* 45. Canina facundia. Ne allia, aut fabas edas, *id est, bellis aut iudiciis rixosis delecteris, ubi illi in usu.* Syrbenæ chorus, *incompositus & tumultuarius.* Eretriensium Rho: *qua stridens & canina est litera, quâ passim delectati sunt, cum Athenienses pro ῥ sæpe σ substituerent.*
Litem moveat, si vel asinum canis momordit.

Salubritas.

Salubritas.

Pisce *vel* Cucurbita sanior. *Ille non facile morbus, hæc vitium aeris contrahit.* Valere pancraticè. *quod pancratiastæ firmo essent corpore. Idem*, athleticè.

Securitas.

Duabus anchoris fultus est: *in portu sedens.* E terra spectare naufragium. *Cic.* Extra fumum & undam est. Omnis res in vado est. *Terent.* Tanquam ad aram; Asylum; Arcem confugit. Ne in Iovis quidem aula tutior. barta tecta. Rem factam habet. In portu navigat: *extra discrimen.* Καθημερόβιοι. qui in diem vivunt securi. Τάδε μῆδος ἐ φυλάξει. Hæc Medus non videbit. *Græci enim Xerxe in Græciam traiiciente, hæc dicebant, sua absumentes.* Chœnici insidet *securus de victu. Erat mensura cibi diurni. Vnde Pythagoras præceperat, Chœnici ne insideas, id est, semper labores.* Hermionis vice: *tibi ero loco asyli: quia Hermione in Peloponeso templum Cereris omnibus pro asylo erat.* Leporis vita. In utramque dormit aurem. Halcedonia vivit, *id est, tranquillos dies, ut mare est, cum hæ aves incubant.* Equus me portat, alit Rex. *Hor. quod quidam, sub Philippo Rege stipendia faciens, dicebat.* ἐκ τοῦ πηλοῦ πόδας ἔχεις. *Hom.* Extra lutum pedes habet. ἔξω βελῶν. Extra telorum iactum. Procul à Iove procul à fulmine. Quasi millus cani: *qui collum munit.* Mænia Semiramidis: *inexpugnabilia.* Testudo intra tegumen: *ubi tuta est.* Mortuo Leoni etiam Lepores insultant.

Sera pœnitentia.

Serò sapiunt Phryges *vel* Cumani. *stupidi.* Ῥεχθὲν δέ τε νήπιος ἔγνω. *Hom.* Rem factam stultus intelligit. Malo accepto stultus sapit. ἁλιεὺς πληγεὶς νοῦν οἴσει. *Soph.* Piscator ictus sapit. Μῦς ἄρτι πίσσης γευόμενος.

ρ☉. Mus picem gustans. *Theoc.* Sera in fundo parsimonia est. *Sen.* Optimum aliena frui insania est. *Plin.* Hedera post Anthisteria; *post festa se coronare, ut in illis ludis solitum.* Post bellum suppetiæ.

—Serò medicina paratur.

Cum mala per longas invaluere moras. *Ovid.*

Servire tempori.

Servitæ Scenæ. Vti foro. Omnium horarum homo. *Terent.* Spartam quam nactus es orna. *id est, tuam rectè administra provinciam.* Cic. Gladiator in arena consilium capit. *Sen.* ἢ πῖθι, ἢ ἄπιθι. Aut bibe, aut abi. πολύποδ☉ νοῦν ἴχε *Plut.* Polypi mentem obtine: *qui cuiusvis loci colorem induit.*

Servitus.

Argentum accepi, imperium vendidi. *ut Demenetus pauper, divite uxore ducta, inquit.* ὑποζυγιώδης subjugatus, *ut bos solet.* Et tua cæsuro subtrahe colla iugo. *Ovid.* Spartæ servi maximè servi. *ubi Helota illorum servi omnia opificia exercebant, tanquam ingenuis indigna.* Leo chorda vinctus: *in cavea circumducitur.* Samii literati. *à quibus litera, ut aiunt, reperta, deinde ad stigmata illorum adhibita sunt.* Cum sarcinis nemo enatat. *Sen. è mari scilicet naufragus: sub sarcinis reip. nemo plenè liber futurus est.*

Similitudo & congruentia.

Ex eodem albo, *vel* grege. eiusdem farinæ est. Ovo prognatus eodem. *Hor.* Eâdem cerâ ductus. Similes habent labra lactucas. *Ab asino carduis duris acutisque vescente, cibo sibi apto.* Aspis à vipera. Comitem ducit sepia percam: *aquamque inficit, ne piscator videat. Talis improborum Societas.* Dignum patellâ operculum. *D. Hier.* Idem trahunt iugum. Ovum ovo simile. Semper similem

milem Deus ducit ad similem. Cicada cicadæ chara, formica formicæ. Graculus graculo assidet, Cum Carite Cariza. Cretiza cum Cretensi: Vulpinare cum vulpe. ἔγνω δὲ φὼρ τε φῶρα, καὶ λύκος λύκον. Fur furem agnoscit, lupus lupum. *Aristot.* Conveniunt Attabas & Numenius: *duo fures.* Cæcus cæcam ducit: *anus vetulum.* Surdaster cum surdastro litigat. πάντα μία κόνις. Omnia idem pulvis: *eruat* Mali thripes, mali ipes. *nam Trips vermis est ligna corrodens: Ips vitis.* Qualis hera tales pedisseque. Simile gaudet simili. ὅμοιον ὁμοίῳ φίλον. *Arist.*

Αὐτόματοι δ' ἀγαθοὶ ἀγαθῶν ἐπὶ δαῖτας ἴενται.
Vltro boni ad bonorum convivia accedunt. *Plaut.*
Μωρὰ λέγει μωρός; Stulti stulta oratio. *Eurip.*
Bithus contra Bacchium. *Hor. Gladiator nobilis pari gladiatori oppositus.* Bonus cantor bonus cupediarius: *quia cupediis plerique addicti.* Malo nodo malus quærendus est cuneus: Clavum clavo pellere. πικρὰν χολὴν κλύζουσι φαρμάκῳ πικρῷ. Remedio amaro bilem amaram diluunt. *Soph.* Iisdem cepis vescentes: *ut pauperes amici.* Doribus doricè loquendum: *interrogatio & responsio consentiant.* Scopæ dissolutæ: *res non cohærentes.*

Simulatio & dissimulatio.

Salem & fabam proposuit: *quasi certa dicturus: nam divinantes id solebant.*

πολλοὶ βουκένται, παῦροι δέ τε γῆς ἀροτῆρες.
Qui tauros stimulent, sed rarus arator.
Multi thyrsigeri, pauci Bacchi. Nō omnes, qui habent citharam, sunt citharœdi. Asinus apud Cumanos: *ubi illi in honore.* Βὴξ ἀντὶ πορδῆς. Tussis pro crepitu. *seu modo fingitur quando quis in re turpi honesta simulat.* Flere ad Novercæ tumulum: *ut solet, simulatè.* Sileni Alcibiadis: *exterius deformes icones quæ aperta formosas intra se ostenderent.*

deret. Vulpes eſuriens dormit: *ſic è ſcilicet ut aves deceptas capiat.* Simia in purpura. Lepus dormiens: *oculis patentibus.* Antico ſubire, poſtico diſcedere. *id eſt, clam.* ἐν πώγων@ σοφοί. Barba tenus Philoſophi. *Hinc illud Gerodis attici.* Video barbam & palliū, philoſophū non video. Crocodili lacrymæ, *quas fingit, ut hominem attractum devoret.* Æſopicus graculus, *vel,* cornicula. *alienis avium pennis induta: ut fingit Æſopus.* ὑπόχαλκον χρυσίον : aurum ſubæratum *ſeu* nummus adulteratus. Acciſare: *ut Acco, mulier nota ſtultitia, ad ſpeculum cum ſua fabulabatur imagine* Cretenſes mare neſciunt, *ironicè dictum: in ſimulatores cum Creta inſula maris ſit.*

Solicitudo.

Siſyphi lapidem voluit: *qui ſemper relabitur.* Animus in patinis eſt. φορεῖν ςενὸν δακτύλιον. arctum annulum ferre. *quod vetuit Pythagoras.*

Somnolentus.

Endymionis ſomnum dormis. *Puer formoſus, ſed ſomno addictus.* Vltra Epimenidem dormis: *qui in Cretenſem ſpecum digreſſus annis dormivit.*

Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα.

Non debet noctem Princeps dormire per omnem. *Hom.*

Sordidus & parcus

Cumini ſector (κυμινοπρίςης) *vilis herba. Ariſt.* Σῦκα μερίζειν. ficus dividere, *rem non magnam in plures partiri. Hinc Martialis in ſordidum divitem ſcribit.*

Quadringenta ſecat, qui dicit σῦκα μέριζε.

E Patroclis, *vel* Euclionis familia eſt. *divitum, ſed ſordidorum hominum.* Βαλανοφάγοι : Glandibus veſcentes. Τρυγόβιοι: fæce victitantes. Rore, ut cicada, paſcitur. Cochleæ vita. Cereri ſacrificant: *in cuius ſacra nefas erat vinum inferre.* Prandium caninum. Caricum victima:

qui

qui canē immolabant cum cibus insipidus apponitur. Phaselitarum sacrificium. *Gens Pamphilia, quæ pisces salsos immolabat.* Macilentior Taumantide, Leotrephide, Philippide. *qui omnes tenui corpore.* Μονοφάγον, ἀσύμβολον εἶναι. Solus victitans. sine symbolo convescens. *quorum utrumque sordidi est.* Nihil de vitello adfert: *ut ille, cui de ovo somnium habitum proponenti, interpres thesaurum indicarat, ubi aurum in medio argenti tanquā vitellū in ovo inclusum. Qui cum de argento munus interpreti defert. nihil inquit illi de vitello adfert?* ἄκαπνος θυσία sacrum sine fumo: *ubi nihil cocti apponitur; ut pauperes in sacris tantùm lac, & molas immolabant.* Lari sacrificant. *qui nullos alios invitant.* Ῥυποκόνδυλος, *sordidus nam ῥύπος sordes inter ungues digitorum hærentes significat.*

Pileum donat, ut pallium recipiat.

Tribus minis insumptis, duodecim imputat.

Spes constans.

ἐλπίδες ἐν ζωοῖσιν ἀνέλπιστοι δὲ θανόντες.

Sperandū est vivis, non est spes ulla sepultis. *Theoc.* Adhuc cœlum volvitur. Spes alit agricolas. Dum spiro spero.

Vivere spe vidi, qui moriturus erat. *Ovid.*

ἐλπὶς γηροτρόφος. Spes altrix senectæ. *Pind.*

Nondum lassatur voluendis mensibus annus. *Theoc.* Res in herba est. In ipsa messe. Μικρόβιοι, μακρόβιοι. sunt brevis, vel longæ vitæ homines.

Subitus interventus.

Lupus in fabula. *cum de eo sermo qui intervenit.* Mercurius supervenit. *quando in consessu multorum subitum silentium, quasi ad Mercurium intervenientem è cælo conticescerent.*

Statura ingens, parua.

Colossus ingens: *quæ sunt prægrandes statuæ.* Caliga Maximini. *qui Imperator octo & semipedem longus erat.* οὐδὲν κακὸς μέγας ἰχθύς. Nullus malus magnus piscis. *Pisces magni boni, sed ut pisces muti.* Pinguis venter tenuem gignit sensum. *Hier.* Pusillus quantus Molon. *parvus histrio, vel fur, ut Suidas, qui duos facit.* Pygmæus *& contrà* Polyphemus. Longurio. Pugnus hominis.

Stupidus.

Ede nasturtium: *herba est quæ vigorem animi excitat, venerem extinguit : contrarium habet in utroque eruca.* Nihil ab Elephante differs. Cetus *vel* bos marinus corpore & mole horrida. Mens non inest centauris. *inferiori parte equis.*

Ω οἵα κεφαλή: καὶ ἐγκέφαλον οὐκ ἔχει;

O quale caput: & cerebrum non habet? προβάτων οὐδὲν ὄφελος ἐὰν ὁ ποιμὴν ἀπῇ. Ovium nulla utilitas si pastor absit. προβάτων ἦθος. Ovium mores. *è Arist.* Fœno victitant boves: ambrosia Dii. Fungus. Bœotica sus. Batava auris. Asinus stramenta mavult, quàm aurum. Midas auriculas asini: *quod Panem in cantu Iudex Phœbo prætulisset.* Abderitica mens: Bœoticum ingenium. *utraque enim gens Abderitæ, & Bœoti, stupidi erant, sic & Arcades: unde* Arcadicum germen. Stultior Corœbo, Morycho, Praxille, Adonide, Embaro, *omnino stupidis.* Antronius Asinus. *quia hi prægrandes Antrone, in urbe Thessaliæ.* Phryx plagis emendatur: *nam & barbari hi servili ingenio pœnas timent.* Naviget Anticyras: *ubi insani curabantur.* Bibe Helleborum. *quo cerebrum purgatur.* Strychnum bibit. *quæ herba insaniam causat.*

Pistillo retusius. Vervecea statua. *Plaut.*

Δὶς παῖδες οἱ γέροντες. Bis pueri Senes.

Taciturnitas laudata.

Dixisse aliquando pænitet, tacuisse nunquam. *Xenoc.*
Haud ulli tacuisse nocet, nocet esse locutum.
Nescias aliquando quod scis, si sapis. *Ter.*
ἀλλὰ τὸ μὲν φάσθαι τὸ δὲ γ᾽ ἂν κεκρυμμένον εἶναι.
Alia dicenda, alia reticenda. *Hom.* Muti citius loquentur. Areopagita taciturnior: Manum ori admovet. *Cic.*

Taciturnitas illaudata.

Magis mutus, quàm piscis. Rana Seriphia: *quæ in Scyrum translata obmutescebant. Plut.* Pedarius senator, *qui in Senatu sententiam non dicebant; sed denique pedibus in illorum ibant sententiam, quibus favebant.* Caput sine lingua. Persona muta. Muti Magistri. Truncoque simillimus Hermæ. *Iuven.* Achantia cicada. *in Ætolia enim iuxta Achantium oppidum cicadæ mutæ erant.* Δορυφορήματα. Satellitium hastatum, sed mutũ, *ut in regio comitatu est.* Harpocratem colit, *aut* Angeronam. *ille Deus admoto os digito claudebat, hæc Dea silentii.* Pythagoræus. *Primo quinquennio silebant Pythagorici, in Scholis, ut discerent dicenda.* Amyclas perdidit silentium. *Amyclæi enim cum sæpius falso nuntio de hostium adventu turbati essent, lege cautum est : ne quis deinde id auderet: ita cum verè denique hostes adessent , nemine nuntiante oppressi sunt. Servius in Virg.* Mercurialis statua. *qui dum loquendum est, tacet.* Mutus Hipparchion: *Citharœdus, qui in certamine publico territus hæsit. Zenodot.*

Tædium ex re iterata.

Δὶς κράμβη θάνατος. Crambe bis cocta mors.
Τ᾽ αὐτὸ ἄδεις ᾆσμα. Eandem cantilenam canis. αὐτὰ δι᾽ αὐτῶν, Idem per idem. Λίνον λίνῳ συνάπτεις. Linum lino nectis, *Arist.* Resti funiculum addis, *id est, rem levem levi.* Multos adducis Callicyrios, *id est, iungis vilissima;*

ut erant illi exulum servi apud Syracusanos. Rhodiorum oraculum, *qui de minima re etiam Minervam consulebant: ut de matula in sacrificium inferenda; &, an hæc, area, an testacea esse deberet?*

φαυλός σε δαίμων, καὶ φαύλη τύχη λάβοι.

Te lens Deus corripiat & fortuna lens. *Athenæ. Luditur hic in φαυλὸς cruda lens, & φαυλὴ cocta: tum in δαίμων. quod idem sæpe Græcis, cum τύχη, vel fortuna, est.* Γῆν ὁρῶ. Terram video: *dicebat Diogenes, cum in tædioso scripto legendo, finem videret.*

Tarditas.

Κατὰ ποδὸς βάσιν. Pedetentim. Σπεῦδε βραδέως. festina lentè. φρονεῖν οἱ ταχεῖς, οὐκ ἀσφαλεῖς. *Soph.* Prudentia præpropera periculosa est. Canis festinans cæcos parit catulos Romani aliquando cunctando vincunt. *ut Fabius Max. Hnanibalem fregit.* Bos lentè, sed firmiter. Bos lassus fortius figit pedem. Post festum, *vel* Panathenæa *vel* Pythia ades. Deliberandum diu, quod semel statuendum est. Citius parit elephantus, *qui decem annis gravidus.* Bunas indicat: *qui cum Calydonei & Elei fecissent inducias, dum Bunas utrumque delectus arbiter rem decidisset: ille nunquam decidit.* Laconicæ Lunæ: *Lacones enim à sociis rogati auxilium, plerumque lunas causabantur, quod Lycurgus statuisset, non nisi plenilunio pugnandum, ut Lucian. sic* Acestæi Luna: *dictum de nauta, qui plerumque ad lunam suas moras referebat.* Hercules hospitatur, qui nec satiari facile, nec moveri loco, nisi volens, poterat. Equinæ caudæ pilos paulatim velles: *aut* Scilluri fascem dissolutum franges. *Illo similis in bello contra Romanos Sertorius: hoc moriens Rex Scillurus ad 80. filios usus est.* Sero contingunt magnifica. Machinas post bellum adfert. Pulmo se movet: *qui nihil tamen promovet.*

Temeritas.

Δειπνεῖν με δίδασκε. Cænare me doce. *quasi verò id nescirem.* Illotis manibus ἀνίπτοις χερσίν. *Diogenia.* Andabatarum more. *cacè, ut Leo pro catulis.* Ædilitatem gerit sine populi suffragio. *Plaut.* Quam quisque novit artem in hac se exerceat. Δεῖ κώπην ἐλαύνειν μαθόντα. *Plut.* Oportet remum ducere qui didicit.

Tempestivum.

Καιρὸς δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστος. *Hesiod.* Tempus ubique optimum. φύθου χελιδόνος. Audi Chelidonem: *seu hirundinem, quæ ver tibi nuntiat.* Oleum & salem habere convenit: *mollia & salsa, pro opportunitate loqui.* Δόσις δ' ὀλίγη τε, φίλη τε. Exiguum munus, at gratum. *Hom.* Διὸς κώδιον: Iovis tergus. *De re vili, sed tamen utili, sic pellis victimæ in sacris Eleusinis expiabant, pedibus substrata.* Domi Milesia, *sic Milesio legato contra Persas auxilium Laconum, molli in habitu, petenti, à quodam Ephoro probrosè obiectum.*

Timiditas.

Τὴν αὑτοῦ σκιὰν φοβεῖσθαι. Vmbram suam metuit. Vel muscas metuit præter volantes. Ante tubam trepidat. Abiecit hastam. Timidior Pisandro, Epeo, Rheginis, *notæ timiditatis hominibus.* Timidior lepore, cervo, sepiā, *pisce sine corde.*

ἐν ψύλλης δήγματι θεὸν ἐπικαλεῖται. In pulicis morsum Deum invocat. Γυνὴ στρατηγεῖ, καὶ γυνὴ στρατεύεται. Mulier agmen ducit, & in agmine dicitur. Ignavi vertitur color. Λευκηπατίας *uno verbo Græci dicebant, quod similis illis essent, qui ex hepate vitiato pallerent.* Domi Leones. Lingua bellantes.

πᾶσιν δὲ παραὶ ποσὶ κάππεσε θυμός.
Animusque pedes delapsus ad imos. *Hom.*

Corinthiis non indignatur Ilium : *quia his nunquam animus oppugnandi fuit.* ἀλεκτρυὼν ἐπιπηδᾷ. Rursum insilit Gallus: *qui facilè repellitur.* Vrsi præsentis vestigia quærit, *ut timidus venator, qui se notasse ursum dissimulat,* Non incedit per ignem.

Tolerantia.

Adamantinus : *dictus origenes ob indefatigabile studium: & Didymus Grammaticus,* Chalcenterus, *quasi ærea habens intestina, ut* Talo custos *insula Cretæ habuisse fingitur.* Socratis callus: *qui ad omnia dura incalluerat, nudis pedibus, humi dormiens &c.*

Torvus.

Titanicus aspectus. Areopagita, *quales erant in Græcia Iudices severi à Martis colle dicti.* Tragicum *vel* Tauricum tueri. In antro Trophonii vaticinatus est. *ex quo specu redeuntes nunquam ridebant,* Sinapi victitare; Cepas edere. *vel* Acetum bibere , *ad quæ oculi stillant aut vultus contrahitur.* Cum Telamone canere: *qui Aiacem filium ad* Troiam *cadentem diu luxit.* Lityersam cantionem canis: *flebilem, quam Midæ Regis filius Lityerses patre mortuo omnibus subditis imperavit canendam.* Tristis Scytale, *Epistolæ genus in longo loro perscripta apud Lacones erat , quod tenui bacillo circumvolutum inscribebatur; deinde ad illum , cui similis omnino bacillus , ut legeretur, transmissum.* Superatus à Gallo es *qui victi tacent, victores canunt,* Erinnys ex tragœdia, *tristis & furiosa* Frontem *vel* supercilium contrahere , *torvi , contra verò ,* exporrigere, *læti est.*

Totum, nullo reliquo.

ἅμα σὺν ναοῖς καὶ βωμοῖς. Cum phanis & aris. *Plat.* Cum ipso ramento: *fabrorum* πάντα χνάυματα. omnia etiam placentarum fragmenta: *nempe sublata sunt.* Ruta cæsa , *id est eruta , ut arena lapides & cæsa, ut ligna & arbores , ut Vlp. ff.*

Vanitas.

Vanitas.

Somnium. Fumus. Hiberæ næniæ. *Hier.* ἐπιφυλλίδές ταῦτ' ἐστὶ καὶ στωμύλματα. Ramusculi foliorum hæc & ampullæ meræ sunt. Apologus Alcinoi. Tantali horti. Γραῶν ὕθλος. Anicularum deliria. Ova subventanea. Cyparissi fructus. *inutilis.* ὄνου θανάτους. Asini mortes. Bos loquens. Cretensis jurans. *cui nulla fides.* Κίλιξ οὐ ῥᾳδίως ἀληθεύει. Cilix haud facilè verum dicit. Dosones, à δώσω *dabo: quasi Dabones.* Promissis dives quilibet esse potest. *Ovid.* ψυδράκια: nasi pustulæ: *quas Siculi mendaces habere dicebant.*

Vinci & vincere.

πίθος ἀντελάκτισεν πίθῳ. Testa testam vulnerat. *Aristoph.* Μόνος θέων ἐγκρατεῖ. Solus currens vincit. Occupet extremum scabies. *Hor. olim clamabant incursu pueri.* Dare manus. Herbam porrigere; *quam ex pastoribus cursu certantes victus victori porrigebant. Festus.* Tolle digitum. *quod erat victi signum.* Arena cedere: *ut victus gladiator solebat.* Invulnerabilis es, ut Cæneus: *Neptuni filius, quem aiunt telo violari non potuisse.* Lis omnis nostra est, *id est, vicimus.*

Vinculum insolubile.

Vulcanium vinculum, *quo apud Hom. Venerem & Matrem Vulcanus adamantino irretivit.* Herculeus, *vel* Herculanus nodus: *fortis.* Nodus Gordius: *quem Rex Phrygum Gordius à plaustro deferens, cum oraculi monitu ex aratore in Regem deligeretur, in templo suspendit. dictumque, regnum penes Phryges mansurum, dum hic nodus dissolueretur, quod Alexander, cum manu non posset, gladio fecit.*

Vis iniqua.

Leonina societas. *cum unus rapit omnia, ut leo cum Asino &*

no & Vulpe apud Æsopum habuit. Echinus Leporis hospes, *qui sensim explicatis setis hunc exclusit nido.* Atticus advena: *qui olim vicinos bello pellebant.* Lex in armis, *vel,* manibus. Mars Rex. Cyclopum more, Centauricè, *vivere.* Σκύμνον μὴ τρέφε λέοντ@. Leonis catulum ne alas, *non fovendus qui possit opprimere.* Τῶν τριχῶν ἕλκειν. Capillis trahere, vel auribus. Δεινὸν δ' ἐ γένος βασιλήϊον ἐστι κτείνειν. Regale genus res plena pericli, est occidere: *Hom.* πρὶν λαχεῖν τὰ κοινὰ κατέδεις. *Aristoph.* Antequam sortiamur communia devoras. ἀκίνητα κινεῖς. Non movenda moves Κέσκον ἄνυν οἰκεῖς. Cescum amentem habitas. *Erat Cescus Pamphyliæ civitas vecors. iuxtaque urbem flumen ἄνυς, id est Amens, dictum.* ἐπὶ κεφαλὴν ὠθεῖσθαι. In caput impelli. *ut solent præcipitati.*

Vita brevis & misera.

Στιγμὴ χρόνου πᾶς ἐστιν ὁ βί@. *Plut.* vita hominis punctum temporis. * Σπιθαμὴ τοῦ βίου. Spithama vitæ. *Diogenia.* Homo Bulla. *Cic.* herba solstitialis. *Plaut.* Stupa seniculus. Ephemeri vita, *quod animalculum unius diei est. ut Aristot.* Salillum animæ. *Plaut.* quod facilè liquitur. Dimidium somnus. *quo vita transigitur.* παρεπιδημία ὁ βί@. peregrinatio vita est. *Socr.*

Vltio malefacti.

Canis vindictam cogitat, nam *Euripedem lacerat unt æmuli hostis.* Promeri cares, *Gellius.* Εὗρε θεὸς τὸν ἀλιτρόν. Reperit Deus nocentem. ἱππάρχων πίναξ. Præfectorum tabula. *qui apud Syracusanos equitum ordinis sui desertorum nomina referebant in tabulas.* Longæ Regum manus. *Ovid.* Ibyci grues, *quas moriens inter latrones vindices hic Poëta imploravit. factumque multò post, ut visis gruibus alter alteri diceret: ecce Ibyci vindices, quod non nemo observans, eos detulit, criminis mox compertos.* Εἰς θεῶν ὦτα ἦλθεν. Ad Deorum aures pervenit.

Adra-

Adrastia vel Rhamnusia Nemesis. *aderit.* Dea criminum vindex. Dii laneos habent pedes, sed ferreas manus. *Tyrii Deorum statuis vincula soliti sunt iniicere, ut in pœnis continerent. Plut. in Probl.* Habet & musca splenem. Formicæ sua bilis. Κἂν αἲξ δάκῃ ἄνδρα πονηρόν. *Diogen.* Mordebit capra nocentem. *vel* μῦς. Βολίτου δίκην. Boliti (*stercoris bubuli*) pœnam. *nam Solon etiam stercoris bubuli furibus pœnam constituerat.* In me cudetur hæc faba; *ut si flagello è siliquis excuteretur.* Canis peccavit, sus pependit. Ob textoris erratum Hypetes vapulavit. Τοῖς κακοῖς τρὶς κακά. Malis, ter mala. Aquæ furtivæ dulciores. Dulce pomum dum custos abest.

Fumantem ne tu nasum tentaveris ursi.
Sui cuique mores fortunam fingunt.
Vsuræ prorogatione crescunt, morâ pœnæ.

Votum.

Optat ephippia bos piger, optat arare caballus. *Hor.* Canis panes somnians. Etiam vigilans somniat, *qui stolida vota facit.* Μὴ κατὰ βοὸς εὔχου. Ne contra bovem opta. *nam adhibendus ille aratro est, ut metas.*
Credimus, an qui amant ipsi sibi somnia fingũt? *Virg.*
Quid non fies profectus Arbelas? *Siciliæ urbs, ubi stupidi cives.*

Τῷ δ' ἕτερον μὲν ἔδωκε πατὴρ, ἕτερον δ' ἀνένευσε.
Annuit hoc illi Divum Pater, abnuit illud. *Hom.*

Vsura.

Citius usura, quam Heraclitus, currit, *nota ille olim celeritatis cursor.* Est Pylus ante Pylum: *fuerunt olim plures huius nominis urbes, ante alias alia. Ita una usura post aliam nascitur. Convenit & in illum, qui se solum credit sapere.* Τὴν ψυχὴν ὀφείλει. Animam debet. εὐδαίμων μηδὲν ὀφείλων. Felix nil debet. Persarum. *ut Plut. duo fuere peccata, primum debere, alterum mentiri.* LIBER

LIBER IV.

De Ornamentis Eloquentiæ ab Antiquitate.

CAPUT I.

Quæ potissimum ornamenta Eloquentiæ studioso spectanda sint.

EST quidam Romani sermonis ornatus, qui ad illius perfectionem aspirantibus non potest negligi. Illum quidem hic prætereo, qui in tropis figurisque ex Rhetorum pigmentis depromitur (de quo nobis parte altera locus futurus est) verum hunc intelligo, qui ex Gnomis, Proverbiis, historiis, legibus, gentium ritibus aliisque antiquitatibus per orationem scitè sparsis nascitur; sine cujus agnitione, neque veterum scripta penetrari, neque ornari nostra, ut docet, poterunt. Vilis eloquentiæ apparatus sine his aulæis, viles deliciæ sine hisce amœnitatibus futuræ sunt. Quis illam Tulliani eloquii vim assequetur, aut imitabitur, qui nobilissimæ unius urbis, ac penè orbis, mores, & instituta, belli, pacisque artes, fori judiciorumque usum ignoraverit? Ut Ciceronem rectè intelligas, æstimesque: Ciceronis te propemodum æqualem, si non ætate, certè cognitione fieri necesse est, ut remp. quæ sub ipso floruit, bella quæ gesta, judicia quæ administrata sunt, magistratum qui rexit, leges quibus imperavit, teneas. Sed & illa quæ toto orbe, atque illo, post Romanos, Græcorum fuêre celeberrima; hæc te mediocri scientia complecti necesse est, nisi inter posteriores Eloquentiæ asseclas censeri volueris. Falluntur qui in sola vocum phra-

 siumque

ſiumque cùm inventione, tum diſpoſitione præcipuum elo-quentiæ artificium collocant, ceteram verò omnem eruditionis ſupellectilem, ad diſciplinam aliarum artium ac ſcientiarum remittunt. Plus ad illam dicendi facultatem virium nervorumque requiritur. Non ſolæ hic inanes ſtatuæ, ac ſimulacra rerum, orationis cultu veſtiendæ ſunt. Fruſtra dicit, qui ſucci nihil ſanguiniſque adfert; ſed inani tantum verborum ſtrepitu audientes ſuſpendit. Puerile nimium eſt, ſolo vocum lenocinio; & floſculis cultæ dictionis ludere, nihilque quod eruditionem dicentis redoleat, quod ſapientiam auditorum alat, proferre. Illa infirmæ ætatis, inter prima eloquentiæ rudimenta verſantis ſunt præludia atque exercitamenta; voces repetire, colligere, in ſcitum digerere ordinem, dictionem apta conſtructione excolere, membra diſtribuere, periodum ſuis evolvere numeris, quique hæc fecerit, dignam adoleſcente ſtudioſo impendit operam. Verum qui hodie ſemotam è vulgo forenſique ſtrepitu, non pro reorum libertate ac vita (cui plana & minimè ſubtilis debetur oratio) ſed inter eruditos doctrinæ gratia diſſerunt, hos turpe ſit vulgari obſoletaque dictione viléſcere, & ſi quem cultum afferant, hunc in vana atque inutili verborum phraſiumque pompa collocare, quæ ſolis tropis figuriſque turgeat. Et ut intelligamus, quantum eruditionis ejuſmodi ſcriptorem deceat, audiamus quantum Cicero ad forenſem etiam oratorem requirat. Ita de Oratore lib. I. habet. *Sic ſentio, neminem in Oratorum numero habendum, qui non ſit omnibus iis artibus, quæ ſunt libero digna perpolitus, quibus ipſis ſi in dicendo non utimur, tamen apparet, atque extat, utrum ſimus earum rudes, an didicerimus. Vt qui pila ludunt, non utuntur in ipſa luſione artificio proprio palæſtræ: ſed indicat, ipſe motus; didicerintne palæſtram, an neſciant,* &c. Quare cum ad Veterum autorum cognitionem juxta atque imitationem antiquorum nobis temporum hiſtoriæ, ritus, mores, legeſque pernoſcendæ ſint, reſque hæ propemodum ſint infinitæ, per varia priſcorum volumina commentarioſque ſparſæ: ſtatui illa quæ & obvia minus adoleſcentibus, & magis pleriſque ad Eloquentiam tendentibus neceſſaria, ex hiſtoriis ac legibus cum Græcorum, tum præcipue Romanorum, quanto potui ſcribendi compendio exhibere, ne earum rerum, ut frequenter evenit, rudes ab hac diſciplina dimittantur.

Ac

Ac principio quisquis eruditæ antiquitatis notitiam assequi, recentiumque non minus, quam veterum scriptorum monumenta, vel legendo penetrare, vel scribendo nonnunquam æquare voluerit; hunc Græcorum, atque inprimis Atheniensis Reip. instituta, leges, bellique ac pacis disciplinam, utcunque conveniet inspexisse. Romanos ab his præcipua liberalium artium ornamenta ad suam traduxisse Remp. nimis quam exploratum est. Ipsius non exigua pars linguæ Atticæ transmigravit in Latium; ut quisquis à Græcorum eloquentia aversus est, Romanam sperare non possit. Sed nec illa priscæ eloquentiæ lumina Isocratem, Æschinem, Demosthenem, imò ipsum Latiæ eloquentiæ Principem Ciceronem scholis manibusque eruditorum hodiedum tritos; nec Aristotelem; humanæ illud sapientiæ disciplinarumque omnium compendium, nec denique multarum legum à Justiniano, triplici, eoque pereleganti nobis opere, præscriptarum vim, originem, satis absque illa cognitione assequemur. Quocirca hæc rudi quadam Minerva adumbrare, velut parva in tabella, constitui; atque ex *Plutarcho, Laertio*, Carolo *Sigonio* aliisque rerum latius dispersarum capita in synopsin conferre, ubi tamen pauca ante de primis orbis Monarchiis præmisero.

CAPUT II.

De imperio Assyriorum, Medorum, & Persarum.

Vetustissima regnorum, gestorumque in his illustrium, quæ nobis à profanis historiis suppeditantur, circa annum mundi conditi 2000. à Noëmi diluvio, velut in obscuro remotoq; historiarum recessu multis fabulis, tenebrisq; involuta se offerunt. vel scriptorum penuria, vel ætatis injuria posteritati subducta.

Assyriorum, seu Chaldæorum Monarchia, sacris etiam ex literis cognita, principio se offert. In illa primùm Belus (qui cum Nembroth idem esse creditur) in Babylone regnum

regnum orsus, illud post 65. annorum imperium Nino; sive Assur, filio reliquit, qui urbem regni senem vastissimam, trium iter dierum complexam, ingenti murorum ambitu vallavit, suo dictam à nomine Niniven. Regnum verò armis propagatum, primùm in alienos, Zoroastre Bactrianorum Rege subacto, occupare aggressus est: quem cum risu, ut ferunt, natum, cum fletu dimisit ad Inferos. Primus (ut regnorum cupiditas omne facile admittit flagitium) à vero Numinis cultu aversus; Patri Belo statuam venerationemque divinam addixit. Sed nec thalami jure servato, Semiramidem, promptam bello fœminam, viro ademptam sibi copulavit.

§. 1. Hæc Ninya filio ex illo suscepto, ipsa regnandi avida, juxta quosdam, (ut Ælian. lib. 7. var. hist. c. 7.) postulasse à viro fertur, ut diebus quinque imperatoriam in se potestatem transferret; Ninumque haud gravatè id concedentem; fœminæ deinde jussu à satellitibus ajunt interfectum. Ceterum imperio post viri mortem occupato; vel delusis in filii habitu personaque subditis, vel certè his consciis virum habitu professa, arma ingenti animo, nec minori successu; per Asiam, Mediam, Persidem, Ægyptum, Libyam, Æthiopiam & Indiam victrix circumtulit. Memorantque (ut Valer. Max.) crinibus aliquando religandis intentam, cum intelligeret Babylonios à fide descivisse, nulla mora, solutam incomptamque reliquisse partem alteram, dum bello, (ut jure jurando facturam se receperat) domitos, ad pœnam obsequiumque revocasset. Operum non minus admirandorum illa autor, Mausolæum viri cineribus custodiendis erexit, quod, si Diodoro Siculo credimus, novem in altitudinem stadiis extulit, amplitudine decem facile circumscripsit. Condendo Babyloniorum muro (quis credat?) indies mille trecentos operariorum occupasse, ab eadem, dicitur, murumq; quinquaginta pedibus elatum, & sex curribus juxta occurrentibus excipiendis latitudine parem, uno quotidie stadio provexisse, totque hunc laborem murumque produxisse diebus, quot annus integer complectitur, ut stadia diesq; in anno exæquaverit. Quamquam Herodotus, cùm intra quadringenta & octoginta stadia urbē colligat, propiora veritati exponere videatur. Mediæ porrò inclusit Euphraten fluvium urbi, excitata juxta ripā utramq; regia, quarum una stadiorum quadraginta lō-

gitu-

gitudinem; altera sexaginta amplitudinem contineret. Templum Belo, seu Jovi, excitatum, quantum fuerit, quantæque unius fœminæ opes, haud difficulter ex illo æstimes, quod tres in illo statuas ex auro, singulas quadraginta pedibus assurgentes, totidemq; juxta has, ex eodem metallo eademq; mensura, explicatas mensas, tum ex auro etiam crateras, quorum unus Jovi dicatus talenta ad libram mille faceret ducenta, stupendo opere dedicarit. Jam pensiles in urbe hortos, magnis sumptibus, raroq; artificio ad omnem voluptatem instructos facilius admireris, quam exposueris, ut una mulier, ingentibus animis operibusque, raros ex posteritate viros pares censeat, Hoc fœmineum & habuit, & passa est; quod libidinem impotentem non vicerit, sed proprii appetens filii, indignationemq; pro amore merita, ferrum inter viscera receperit, cum annis quadraginta duobus sceptrum ferrumq; in alios impunè versasset, rarum & virtutis, & flagitiorum exemplum.

§. 2. In Ninya deinde aberrare rursum natura visa est, & pro viro mulierem condere. Tantum in morib⁹ atque educatione momentū est. Materno etenim labore ad otium deliciasq; abusis per militiæ præfectos (quotannis, ne conspirationi locus esset, cū milite innovatos) foris cuncta administravit, domi ipse inter pellices consenuit. Quod deinde vitæ institutum tribus & triginta post illum Regibus placuisse visum est, donec in Sardanapalo denique, cum regni fortuna ad Medos translata, absolutum est. Hunc enim, ut Arbaces Medorum præfectus, ab Eunucho clam admissus, inter fœminarum gregem, pari habitu atque opera ducentem pensa, comperisset, animis armisque subditorum in Regem concitatis, post ancipitem aliquot præliorū aleam, urbem postremò obsidens, eò desperationis adegit, ut excitato in aula rogo, opibusque atque uxoribus una secum in eundem congestis, voluntario igne deflagraverit.

§. 3. Ita Medorum in Asia cœpit imperium ab Arbace seu Arbasto inchoatum, & Astyage Cyri avo, nono post rege, conclusum est. (quanquam & sui postea Assyriis Reges, summâ imperii adepta potestate, manserint.) Illo in ordine sextus Deioces eminuit, qui prudētia atq; æquitate sibi populū demeritus, Ecbatana sedem regni septemplici murorum ambitu, ita cinxit; ut, tanquam gradatim elati, muri singuli posteriorum priores superarent. Postremò Astyages

Cyrum ex Mandane filia & Cambyse Persa natum, Harpalo Medorum fidissimo trucidandum commiserat; quod vite ex filiæ utero per somnū assurgente totamq; Asiam inumbrāte territus, Cyrum recens natum, velut toti dominaturū Asiæ metueret. Verùm is ab Harpalo, à facinore averso, Pastori traditus, educatusq;, cum adolevisset, inter pares adolescentes, ut præesset, electus, regiæ specimen indolis præbuit, re etiam ad Astyagem delata, compertaque per Mitridatem altorem pueri, ut iccirco ulturus Rex Harpalum, proprium illi filiū in epulis apposuerit, ablegato ad Persas Cyro. Qui paulò adultior, accitis, velut ex Astyagis imperio Persis, durum in purgando à dumetis agro laborem imperavit, ac deinde opiparo recreatos epulo eligere jussit, utram præoptarent sortem; illam in labore, an hanc in delitiis? cumque omnes hanc præferrent, sequi in acie contra Medorum Regem jussos, favente & accedente Harpalo, brevi, victo Astyage, Medorum Asiæque dominatores constituit. Nā & Balthasare Babyloniorum seu Assyriorum Rege devicto, Ninivitis ac Babyloniis imperare cœpit, circa olympiadem Græcorum 55. quando Medorum imperium, & regnum Assyriorum ad Persas translatum accepimus.

Hæc universè ad sacram profanamque primorum seculorum historiam juverit de hujus Monarchiæ, cùm origine, tum translatione, intellexisse.

CAPUT III.

De prima ætate Reip. Atheniensis sub Regibus.

De Ægyptiorum principiis magna fabularum obscuritate cōfusis, Herodotum ac Diodorum Siculū consule. Græcorum regna ac Respub. suis licet fabulis celebratæ plus ad veterum scripta intelligenda, omnemque etiam scribendi, hac ætate, dicendique ornatum momenti adferunt, ut iccirco illarum cognitio præteriri non debeat.

§. 1. Græcia modo latiori vocis usu Epirum, Peloponesum, Helladem, Thessaliam, & Macedoniam, deinde & Cretam ceterasque insularum adjacentiam, nonnunquam Peloponesum & Helladem, denique & hanc solam, ut propriè

priè dictam Græciam complectitur. Regna in illa olim varia. Vna Peloponesus in Isthmo, regnum habuit Corinthiorum, Lacedæmoniorum, seu Spartanorum in Laconia, Argivorum seu Mycenarum in Argia. Helladis unum præcipuè in Attica regnum Atheniensium celebre est, cui aliud in Bæotia minus celebratum Thebanorum, Cadmo quondam conditore accessit, De Thessalorum Regibus minor etiam antiquitatis memoria. Macedones denique sub Philippo & Alexandro, postquam regna Græcorum in respublicas degenerassent, toti Græciæ dominari cœperunt.

§.3. Cum verò Athenarum regnū & resp. inter reliquas inprimis, & armorum & literarum (quibus propemodum sola floruit) gloria emineat, atque ex illa res ceteræ Græcorum cognoscantur maximè, illius nobis in bello ac pace disciplina erit investiganda, ut præter alios veterum scriptorum, Demosthenis præcipuè, vim facundiamque dicendi assequamur. Æmula Atheniensium Sparta sive Lacedæmon fuit; quæ, ut nihil armis ac fortitudine cesserit, qua denique Athenis etiam dominata est, eruditionis tamen gloriâ longè fuit inferior. Par ferè utrobique cum regnandi ratio, tum fortuna fuit. A monarchia cœptum est, ad oligarchiam & democratiam deinde transitum. Et Athenis quidem, post Reges, Archontes, seu Principes ex nobilitate urbis deligere placuit, primò unum, deinde plures. Lacedæmone Ephoros, tanquam Tribunos plebis constituerunt, qui ad rationes populo dandas tenerentur, illic Solonis, hic Lycurgi instituto ac legibus, formata resp. est.

§. 4. Cecrops Ægyptius, quem Biformem hominis ac Leonis finxêre specie, quod fortitudine polleret ac prudentia, agrestes primum per Græciam sparsos homines, in urbes collegisse duodecim memoratur, atque unam, ubi ipse ceteris Rex præesset, suo nomine dixisse Cecropiam, quæ deinde à Minerva Athenarum nomen adepta est, idque annis 772. ante notas olympiades, & 796. ante Romam conditam, ut censet Sigonius, post quem Reges censentur 16. Cranaus, Amphiction, Erichthonius, Pandion, Erechtheus, Cecrops minor, Pandion minor, Ægeus, Theseus, Menestheus, Demophoon, Oxynta, Aphidas, Thymæta, Melanthus, & Codrus. De his Regibus, quæ in Poëticis disseruerim

fabulis propiora, vide lib.1.c.29.& 32. Cecrops præter urbium judicia, celeberrimum illud in Areopago à rigore justitiæ instituit judicium, quo causæ capitales, incorrupta sententia finiebantur. Tribubus etiam quatuor Atheniensem populum distinxit. Sub quo memorant Deucalionis illud celebre apud Poëtas diluvium contigisse.

§.5. Hujus filius Amphictyon Cranao socero regno pulso, publicū Græciæ concilium apud Thermopylas, Amphictyonium abs se dictū instituit, ad quod duodecim Græciæ urbes, ortas inter se contentiones, gravium virorum judicio absolvendas, deferrent, ne mutua inter se discordia scissæ, vel intestina clade, vel externorum armis attererentur.

Erichthonius Amphictyone pulso regnum occupavit, & Canephoras Virgines (quasi Romanas postea Vestales) sacris asservandis ordinavit, sic dictas, quod in canistris sacra deferrent. Panathenæa festa minora in Minervæ honorem indixit. Majora enim Theseo tribuunt, quæ quinto quovis anno recurrerent, unde latinis dicta Quinquatria. Ab his ludis mulieres arcebantur, pueri puellæque innoxiæ consertis manibus Pyrrhicham in theatro saltabant. Sub hoc Sparta à Rege Lacedæmone condita memoratur.

§.7. Hujus filius Pandion successor, cum Tereo Thracum Rege, adversus Labdacum Regem Thebanorum, pro agrorum finibus, bellum suscepit, & re bene gesta Tereo Procnem filiam obtulit. Sub hoc Ceres, amissam filiam Proserpinam quærens cum in Atticam ad Celeum Eleusinæ regnantem divertisset, filium ejus Triptolemum frumenti serendi rationem docuit, Bacchus verò, seu Dionysius, eodem loci temporisque Icario hospiti vitis sationem usumque tradidisse fertur. De quibus multa Poetæ.

§.8. Sub Ægeo verò Pandionis minoris filio Dædalus faber arte sua nobilissimus floruit. Quo tempore Minos Rex Cretam tenuit, qui ob Androgeum filium in Panathæis interemptum, Athenienses bello victos coegit, quotannis septem suorum liberorum Minotauro immolandos mittere. (quod monstrum ex Pasiphae Minois uxore natum ferebant) Cumque sors in generosum juvenem Theseum Ægei Regis filium cecidisset, is ab Ariadna Minois filia amatus, Labyrinthum fili accepti beneficio, ceteris inexplicabilem, occiso Minotauro, remensus,

cum

cum Ariadna incolumis evasit ; magnisque deinde rebus tum privatim , tum publicè gestis inclaruit. Herculis in multis comes , cujus posteros Heraclidas , ab Euryftheo Mycenarum Rege Peleponneso ejectos , Athenis accepit, defenditque. Verùm ipse absens denique à Mnestheo Tyndaridis fratribus, Tyndarei Spartani Regis filiis , (quorum sororem Helenam Theseus rapuerat) sociato, Athenarum regno exclusus est. Bellum idem Theseus gessit cum Amazonibus, fortissimis Scytharum , mulieribus , quæ maribus interemptis , femellas prælio , dextrâ mamillâ adustâ servabant. Lectissimam ex illis Hippolytam tanquam suæ victoriæ præmium sibi despondit. Athenarum urbem , ceteris XII. ad illam contractis , mirificè auxit firmavitque , ac populare quoddam imperium in urbe reliquit , belli sibi ducatum potissimum vendicans. Populum enim in patricios,rusticos , & opifices distribuit , Primis munus regendi, aliis domi forisque operandi imposuit; sed quod multi per ceteras ante urbes sparsi, jam ad Atheniense Prytaneum (qui erat locus pro judiciis consiliisque , tum etiam alendis sumptu publico optimè de Rep. meritis designatus) curiamque cum pari honore admitti non possent , seditionis adversus Theseum causa fuit. Demophoon tamen Thesei filius, sub quo Troja intercepta est , post Mnesthei obitum paterno iterum regno potitus est.

§. 9. Denique sub Codro Melanthi Regis filio Monarchiæ illius finis fuisse creditur. Postquam enim,ob Coloniam ab Atheniensibus Megaram deductam, offensi ex Peloponeso Dores cum Spartanis bellum Reip. periculosum movissent , ac consulto oraculo intellexissent , victores eos fore quorum Rex in prælio occubuisset ; Codrus patriæ quam salutis propriæ amantior in mediam sese aciem pastoris habitu ingerens , suis cadendo victoriam,liberamque simul Remp. reliquit.

§. 10. Post hunc igitur Archontes seu Principes , qui ad rationes populo dandas tenerentur, ex optimatibus legere placuit, fuitque in his primus Medon Codri filius , quorum XIII. ad Alcmæonem usque censentur, nulla re memorandi , nisi quod Æschyli antecessores illius anno secundo , ab Iphito ludi Olympiaci in Elide post quartum quemvis annum repetendi , magna totius Græciæ ad certamina æmulatione , atque concursu , instituta sint. Ex quo deinde

 tem-

tempore per olympiades seu quadriennia anni signati sunt.

§. 11. Animadvertendum verò est quatuor potissimum fuisse Græciæ totius, si idioma sermonis consideres, populos, Atticos in Hellade à puritate linguæ maximè laudatos, qui se αὐτόχθονας, id est, indigenas esse gloriabantur, Dores in Peloponnesum ab Heraclidis traducti, quorũ linguæ impermixtæ habebantur. His Æoles & Iones Æoliam, ut videtur, & Achaiam præcipuè incolentes accedunt, quibus diversa ac permixta sermonis dialectus fuit. Qui omnes ab Hellene, Deucalionis in Thessalia quondam regnantis filio, originem, post Græciæ diluvium, traxisse memorantur.

CAPUT IV.

De altera ætate Reip. Atheniensis sub Archontibus seu Proceribus, inter quos & Græciæ Sapientes.

SEnsim Resp. Atheniensium ac democratiam spectare magis cœpit. Nam Alcmæone sublato, decennales solum Archontes præesse voluêre. In quibus primus Charops Æschyli filius, cujus initio, quod incidit in annum primum septimæ olympiadis Roma condita est. Septimus horum Archontum Eryx decennalem unius Domini Principatum Athenis conclusit, & Resp. ad plurium administrationem, partito onere, & pristinis imperantium nominibus retentis, delata est, Regem Archontem, Polemarchum, seu Belli ducem, & Thesmotheras, seu Legislatores sex, quos Græcè novem Archontes dixere. Quo tempore principem Poëtarum Homerum, atque etiam Hesiodum vixisse censent.

§. 1. Olympiade trigesima Cypselus Corinthi tyrannidem occupavit, & post hunc Periander filius, unus ex septem Græciæ sapientibus habitus, qui cũ Thalete Milesio, & Pittaco Mitylenæo floruit, atque arbiter Mitylenæos inter & Athenienses delectus, his causam adjudicavit. Interea cum variis urbs seditionibus jactaretur, Cylon Athen. civis arcem tyrannidis occupandæ gratia invasit; sed, denique supplex à Megacle ad Minervæ aram obtruncatus. Sed cum alieno ære pressi turbas ingentes cierent; neque Draconis legi-

legibus olympiade 39. latis contineri in officio possent, quod nimio rigore,& sanguine, ut ait Demades, scriptæ viderentur. Solon olymp. 46.anno 3. Archon & legislator declaratus,novis legibus,quibus Judicum delectum ad plebis arbitrium transtulit, Remp.democraticam egregiè temperavit. Nam hoc pacto (ut ait Aristot.in 2.de rep.)potestatem civibus maximè necessariam mandandi & corrigendi senatus tribuit. Quæ potestas si populo denegetur,servum eum esse necesse est,atq; hostili odio diffidere. Magistratus verò cunctos nobilibus, & locupletibus mandari voluit,ex iis videlicet, quorum census esset quingentorum mediorũ.

§.2. Sed hæc denique moderatio Reip.qua Solon populo dominatum ademit, consilia verò judiciaque cum illis prudenter communicavit,per assentatores populi Clisthenem, Aristidem, Periclem,ac postremò etiam Demosthenem labefactari cœpit. Clisthenes enim tribuũ numerũ per servos peregrinosq; admissos auxit, ac decem constituit, & Ostracismum,hoc est, potentiorum, quibus civium libertas premi posset, decennale exilium induxit. Aristides infimæ etjam plebi magistratum indulsit. Pericles mercedem populo pro Judicibus locisque in theatro occupandis constituit, Ephialtes summam Areopagi in capitalia crimina justitiam conatus evertere, ipse gladio ultore occubuit.

§.3. Ceterum Solon quoque inter septem Græciæ sapientes jure est habitus. Quamvis prudenter nonnunquam visus desipere,quando velut insanus in forum erumpens, bellum cum Megarensibus suasit (quod ne quis auderet, ob infelices aliquod successus,lege cautum erat)suosque victores in patriam cum summa laude reduxit, postquam Pisistratus per juvenes, Matronarum cultu ornatos,Salaminen(de qua lis erat)recepisset. Sed hic illa felicitate elatus,cũ apud vulgus, Proceres sibi plerosque infensos diceret,idque,virgis à seipso fœdè laceratus,in publico cõparens,persuasisset. Ter centum sui corporis à populo custodes exoravit, frustra Solone contra nitente. His fretus in fine Olymp.53. tyrannidem occupavit,Solone idcirco exulante. Qui cum à Crœso Lydorum Rege opulentissimo liberali hospitio exceptus interrogaretur : Vidissetne quenquam se Rege feliciorem, respondisse fertur,Tellum civem pauperem Athenis, qui suo nunquam egressus prædiolo, feliciter in illo consenuisset, quod nemo ante mortem beatus posset prædicari. Quo

Solonis voces denique Cræso, jam in victoriis Cyri manibus pyraque succensa perituro ad vitam profuere. Cum identidem ingeminaret. O Solon, Solon, quàm verè monuisti, *neminem antè mortem, beatum esse.* Ut his ipse etiam Cyrus perculsus, fortasse similem aliquando exitum veritus, pepercerit obtestanti. Idem Solon, *leges telis araneorum similes* asserebat, quibus leviora tantum hærerent animalia, graviora non tenerentur. *Ab illo* asserebat *regendos homines, qui regi posset.*

§. 4. Thales, quem primum meritò censens, proximè ad Dei unius cognitionem accessisse fertur: antiquissimum enim eorum quæ sunt, Deum esse asserebat. Hunc illud esse, quod nec initio, nec fine circumscribatur: nihil illum latere, ne cogitata quidem. Immortalem esse animam. Sed & Lunæ Solisque primus magnitudinem deprehendit. In hoc deceptus, quod & mundo ceterisque inanimis animam tribueret.

§. 5. Chilo Lacedæmonius tertius fuit, cujus tria dicta Apollini Delphis consecrata memorantur (ut Plin. l. 7. c. 12.) *Nosce teipsum; nil nimium cupias: comes æris alieni, atque litis, est miseria.* Quæsitus, ecquid in cœlo faceret *Jupiter?* respondit, *excelsa humiliat, & humilia extollit.* Dum frater Chiloni quereretur, quòd non perinde, ut ipse, inter Ephoros censeretur: *nondum*, ait, *injurias, ut ego, ferrre didicisti.* Hic eum filium ex Olympicis victorem amplecteretur gaudio affluente extinctus est.

§. 6. Quartus Pittacus, & bellator, & Philosophus. Nam Lesbo Melanchium tyrannum expulit. Phrynonem Athen. Ducem Pancratiasten, & Olympionicen, ad duellum evocatum, reti, quod clam gerebat, injecto, facilè tenuit. Unde retiarii postea in certamina inducti, qui piscem in galea ferebant, ad quos illud proverbii loco jactatum; *non te capio, piscem capio.* Sed & illa eidem usitata. *Bonum esse, rem esse perdifficilem: Prudentis esse præoccupare casum, fortis, cum evenerit, ferre.*

§. 7. Quintus Bias Priænæus, hujus loci princeps, de quo illud celebre, quod cum patria ab hoste pulsus, relictis omnibus cederet, interrogatus, ubi suas reliquisset opes, *omnia*, inquit, *mea mecum porto:* veras has tantum opes ratus, quas animo magis, quàm corpore possideret. Alii hoc dictum, naufrago nudoque ex aquis emergenti tribuunt.

Tripodem aureum repertum, & post ceteros Græciæ sapientes ad se delatum, eò quod hæc tripodis esset inscriptio *detur sapienti:* Apollini, reliquis mortalibus sapientiori, dandum censuit. quod tamen factum Thaletis esse alii asserunt.

§.8. Sextus inter Sapientes numerantur, Cleobulus Lydius robore non minus corporis, quàm Philosophiæ cognitione eximius: Septimus Periander Corinthi Rex, in cujus de vita præceptis laus major, quam factorum exemplis eminet. Nam cum ad Thrasybulum Mileti destinasset consilii sumendi gratia legatum, ut intelligeret, quo pacto Remp. feliciter quieteque administrare posset? isque segetem transgrediens, summas quasque spicarum demessuisset, (ut haud multò post Tarquinio filio, inter Sabinos agenti, Tarquinius superbus pater in summis papaverum capitibus ostendit) Periander proceres Reip. sustulit, ut suo unius arbitrio subditos moderaretur. Quærenti, cur, cum sapiens haberetur, Reip. præesset, quam administrare perquam sit periculosum? respondit, cedere, multò sibi etiam fore periculosius.

CAPUT IV.

De tertia ætate Reip. Athen. sub Tyrannis, ac mox sub populo.

Athenis tyrannidem Pisistrato mortuo Hipparchus filius occupavit, quē cum post annos aliquot Harmodius & Aristogiton sustulissent, frater ejus Hippias multò severius imperium exercuit, donec Pythia à Clisthene inducta, ut Lacedæmoniis Apollinem consulentibus, Athenas, eorum opera liberandas persuaserit, quod Rex illorum Cleomenes, pulso Hippia, executus est. Ita Clisthenis arte, per æmulos Athenæ in libertatem à Pisistratidarum tyrannide sunt vindicatæ.

§.1. Sed exactis Tyrannis, Clisthenes & Isagoras cives Athe-

Athenienses inter se de principatu Urbis (ut ambitionem in aliis magis, quàm in nobismetipsis perstringimus) contenderunt, Clisthene demum victore atque urbis dominatore, qui novis Remp. institutis, tam adversus plebis insolentiam, quàm tyrannos composuit; ostracismo, ut supra monui, introducto, quo siqui potentiam opibus ac virtute in ceteris metuendi eminerent, vel æmulatione cum aliis colliderentur, populi suffragiis per decennium urbe submoverentur, salvis domi facultatibus.

§. 2. Suffragia autem populi in testula ferebantur, inscripto ejiciendi nomine. Ita integerrimi etiam civium, quos populi invidia premeret, ut Aristides, Cimon, Themistocles, Thucydides, atque ipse adeò Clisthenes sua lege multatus est. Ferunt Aristidem inter suffragatores sedentem, ab agresti juxta se homine postulatum, ut in testula sibi Aristidis nomen describeret, quærentique, an igitur Aristidem nosset, & qua in re is offendisset? respondisse; ignotum sibi quidem esse, sed quod Justus compelletur, id se minus ferre posse. Ita & Damon pulsus magister Periclis, quod prudentis titulo honoraretur. Denique tamen ostracismus sublatus arte est, postquam Alcibiades & Nicias Duo potentissimi Reipubl. cives gravissimis inter se æmulationibus dissiderent, atque idcirco indictis comitiis alter eorum submovendus esset. Repentina enim conciliatione uterque junctus, suam quisque civium factionem ad Hyperbolum notæ improbitatis hominem consignandum induxit, cujus deinde facti turpitudine confusus populus, ostracismo renuntiavit, quod virtutis scelerisque pœnam eandem jam factam esse cerneret.

§. 3. Isagoras porrò Clisthenis in Rep. dignitati invidens, Cleomenis Spartarum Regis ope, ejecto Clisthene, arce atque urbe potitus est, verùm haud multò post Isagoræ rursum migrandum fuit, Atheniensium animis armisque pro Clisthene conjuratis, qui re etiam in Eubæa adversus Chalcidenses eorumque federato Bœotos feliciter gesta, magnum potentiæ suæ addidere momentum. Post aliquot deinde annos Dardius Persarum Rex, ab Hippia Pisistrati tyranni filio exule, in Atticam patriam hostili

hostili exercitu est provocatus. cui, Lacedæmoniis cunctantibus, Athenienses sese opposuere, prælioque ad Marathonem olymp. 63. anno quarto, Miltiade Cimonis filio Duce, victoriam retulere, multorum literis celebratam. In qua cum sexcentis Persarum millibus opposuissent Græci undecim, penes hos tamen victoria, cum triginta millium & ipsius Hippiæ cæde stetit, ducentis tantum Græcorum desideratis.

§. 4. Xerxes post Darium in ultionem hujus cladis intentus, Mardonio affine stimulante, tantum per sexennium collegit exercitum, ut cum terra, millia duceret in Græciam Octingenta, mari verò decies centena navium millia, Hellespontus totus his obtegi, litora vix capere egressos homines viderentur, & hi Athon montem perfoderent, ad jungenda per Isthmum maria, integraque absorberent flumina, Xerxes ipse in contemplatione tot hominum toto orbe collectorum, admirans ex monte stetit, lacrymis interfluentibus, cum hæc animum feriret cogitatio, post centum annos, nullum ex tanto numero amplius superfuturum. Athenienses cum Lacedæmoniis terra marique se opposuere; sed numero tantò inferiores, ut vix unus centenis responderet. Quare arte magis pugnandum, quam viribus, ad angustias igitur montium Thessaliæ & Achaiæ dictas Thermopylas trecentis à Lacedæmoniis Leonida Duce, cum aliis Græcorum 6000. tanta clades Persarum facta est, ut Rex à fuga, sola nocte ingruente, atque ideo inclinato prælio, sit prohibitus. Sed alterâ luce, cum suasore & Duce Ephialte per montes traducti Persæ Græcis jam à tergo etiam circumventis instarent, fugientibus reliquis, Leonida solus cum trecentis Spartiatis in media hostium castra provolans, ingenti strage, suo suorumque funeri parentavit. Mari Persarum vis major incubuit, & Athenæ desertæ, traductis in Salaminem insulam familiis, hosti patuere. Cum tamen portubus naves excipi omnes non possent, sexcentas facilè tempestas & mare consumpsit. Pugna etiam navalis adversus Themistoclem, arte & viribus egregiè pugnantem, cum minus ex voto Persis cederet, Rex metuens, ne pons Hellesponto instratus solveretur, de reditu opportuno solicitus Mardonium con-

ficiendo

ficiendo Bello, cum triginta Persarum myriadibus, reliquit; sed hunc Atheniensium Dux Aristides, & Lacædemoniorum Pausanias in Bœotia ad Platæas centum ad decem millibus aggressi, ad internecionem delevere; ingenti Persarum præda locupletati. Quoque magis fortunam virtutemque Græcorum illustrat, Leotychides Rex Lacedæm. & Xantippus Athen. Dux eadem hora ad Mycalem in Ionia; sparsa (fictène, an seriè, nescias) Persarum ad Platæas clade, nati alterum exercitum hostium ruinâ prostravêre.

§. 5. Ergo Athenienses invitis Lacedæmoniis, eorumque æmulis, urbis muros, ante dejectos (quod oraculum jussisset diruere, ac ligneo se muro, id est navibus, tueri) rursum extollere, Piræei etiam portum fortissimum Themistoclis consilio absolvere; ut mare in urbis præsidio ac potestate esset. Quæ, an alia res, Pausaniam transversum, ad proditionem Græciæ in manus Persarum tradendæ, rapuit; qui Themistoclem jam ostracismo patriâ submotum, frustra ad idem pertrahere consilium adnixus, per servum denique; Bellerophontæis literis ad Persas mittendum, detectus est; & in æde Palladis, ad quam salutis gratia fugerat, fame enectus, matre, ut ferunt, primum lapidem in ostia collocante; quam secuti ceteri, illud occluserunt. Qua opportunitate Aristides Iustus usus, plerosque Græcorum urbes Atheniensium imperio addixit; ut verò gratiam sibi populi conciliaret Magistratum non ex patriciis tantùm, verum & plebe imposterum legendum esse, constituit.

§. 6. Porrò Cimon Miltiadis fil. summus felixque bello Atheniensium Imperator, Eiona, Syrum, Naxum cùm Persis, tùm Pelasgis sustulit; Cariæque ac Lyciæ urbibus, qua vi, qua deditione potius; gemino Persarum Duces prælio uno die fregit, maritimo Tythraustem, terrestri Teredatem. denique & Ægyptiorum Regi Inaro, adversus Regem Persarum Artaxerxem, auxilio fuit. Themistocles verò cum summa polleret apud Persarum Regem gratia; ad quem profugus accersitus fuerat; tamen cum ad bellum patriæ inferendum sollicitaretur, tauri sanguine poto vitam abrumpere, quam obsequi maluit. Cimon, ut aliquod suæ memoriæ in Rep. monumentum relinqueret. Poetarum in tragœdiis certamina instituisse memoratur. Olymp. 78. anno quarto cum Socrates Philosophus natus est.

§. 7. Non obscura interim glíscebat inter Lacedæmonios

nios & Athenienses invidia, quod neuter populus alteri vel de virtute, vel de magnitudine vellet concedere. Qua de causa, cum Lacones Cimonem adversus Ithonem auxilia offerentem rejecissent, Athenienses hac lacessiti injuria, abrupto Persarum bello, adjunctisque sibi Laconum hostibus Argivis, & Thessalis, tum deinde & Megarâ in suam fidem recepta, cum Lacedæmoniis, Corinthiis, Thebanisq; bellum suscipiunt Myronide Duce, quod cum Bœotorum, Locrensium, Phocensium, ac denique & Thessalorum subjectione finitum est: nam induciis admissis in Persas rursus arma conversa sunt, quos victos Cimon ad pacem coëgit postulandam, libertate Græcis urbibus per Asiam oblata. Sed Megarensibus ad Lacedæmonios redeuntibus, pax domi non stetit. Bellum à Pericle Athen. Duce, eo eventu gestum est, ut Bœotiæ aliquot civitatibus, post amissam ad Coroneam à Tolmide victoriam, libertatem deferret. Eubæos tamen, Samios, Byzantiosque à fide deficientes, ad obsequium cogunt, & Coloniam Sybarim, ad Thorios, in Italiam Athenienses traducunt, Amphipolim in Thracia condunt, & Potidæam à se deficientem triennii obsidione premunt.

§. 8. Federe inter hæc tricennali cum Lacedæmoniis conciliati sunt; sed cum foro ac portubus Megarenses prohiberent, illud Pericle autore ruptum, gravissimo omnium, inter has gentes bellorum, Peloponnesiaco occasionem dedit, quod cum adversus Archidamum Laconum Regem parum feliciter à Pericle gereretur, Attica spoliatâ, Athenisque pestilentia oppressis, imperium Pericli derogatum est, moxque rursum, cum pax obtineri non posset, tributum. Ita diu, alternantibus victoriis, certatum utrimque: hinc inter Periclem, Chabriam, Demosthenem, Cleontem, Niciam Duces Atheniensium; inde inter Archidamum, Thrasymedem, Brasidamque Principes Lacedæmoniorum: dum utrimque conciliatis, Argi, Thebæ, Corinthus, & Elis, sibi metuentes bellum inferrent, quo alii aliis amicitiis implicati rursum in mutuas offensiones & arma ducti sunt, postquam Alcibiades Dux Athen. Argivos in Lacedæmonios duxisset. Sed, ut nullus magnorum Ducum Athenis æmulorum diu invidiam sustinuit, ita dum ille pro Atheniensibus in Sicilia feliciter pugnaret, de conjuratione (ob eversa noctu Athenis Mercurii signa) suspectus, proscriptus-

que, ad Lacedæmonios profugit. Cujus consilio cum Attica à Rege Agide (Deceliâ adversus Athenas munita) invaditur; Sicilia, Demosthene & Nicia Ducibus interfectis, submoventur Athenienses; ut iccirco, sociis aliis deficientibus, rebusque domi turbatis, aliam Reip. moderandæ rationem instituerint. Nam Lacedæmoniis, sub Regibus duobus (quorum alius ex Proclis posteris diu præfuêre) multò res domi forisque tutior; Atheniensibus sub pluribus moderatoribus amplior quidem, sed minus secura fuit.

CAPVT V.

Quarta Reip. Atheniens. ætas sub oligarchia, seu paucorum regimine, quâ Lacedæmoniis demùm parere coacti sunt. Thebanis postremò invalescentibus.

SPerabant Athenienses fore, ut potestate domi forisque regendi ad pauciores delata, felicior quoque faciliorque esset administratio, quadringentis itaque viris illa offertur; sed mox rursum, his ad æmulationem & tyrannidem versis, Theramene autore, ac Duce aufertur. Qui autor quoque Alcibiadis recipiendi fuit, quo & Thrasybulo Duce Lacedæmonii variis terra marique præliis congressi cæduntur. Megarensibus domitis, & Hellesponti urbibus præter Abydum receptis, quæ res summæ gloriæ, Alcibiadi inprimis, fuit, ut tota venienti civitas obviam effusa sit. cum Lysandro tamen postea Lacedæmoniorum duci prælio navali congressus vincitur, moxque dum Cumes, sociæ civitatis agrum, spoliasset, tanquam Lacedæmoniorum fautor rursum imperio, in Thraciam profugus, exuitur. Sed & alio mox graviori judicio in Thrasillum, Lysiam, Calliadem, Periclem, & Aristocratem animadverterunt: damnatos, quòd in prælio navali adversus Callicratidem Lacedæm. Ducem victores, occisorum cadavera è salo non collegissent. tanta eorum

eorum erat erga mortuos religio. Thrasybulus & Conon quoque cum Aristogene, Protomacho aliisque fugerunt, vel exularunt, quod apud inconsultum populum, nulla esset erroris excusatio.

§. 1. Quare cum Lacedæmonii hoc tempore præstantissimis florerent Ducibus, inter quos Agis & Pausanias Reges, Atticam ingressi, Lysander verò, post Sestum oppidum occupatum, Piræeum Athenarum portum obsidens, felici omnia Marte administraret, Athenienses denique bello, fame, ac peste victi, Lacedæmoniis imperium cedere coacti sunt, legesque ac remp. ab illis, sub triginta virorum regimine institutam, accipere, muros ac Piræeum disturbare, navesque præter duodecim omnes tradere. Sed triginta illi, ad tyrannidem versi, optimum quemque ditissimumque, aut spoliarunt, aut oppresserunt, Alcibiadem etiam, quem præcipue suis rebus infestum metuebant, Persarum insidiis sustulerunt. Estque res illorum magis etiam afflicta, quando Thrasybulus Atheniensis apud Thebanos exul horum auxilio, post occupatam in Attica Phylam, triginta tyrannos prælio vicit, atque interfecto Critia eorum Principe, Piræeo potitus est. Nam in urbe Decemuiris creatis, non evaserant, sed tantum mutarunt tyrannidem, portuque jam ipso exuti, maris imperium amiserant.

Pausanias tamen Rex Lacedæmoniorum Lysandro hanc laudem, de Athenis subactis invidens, exercitu adducto Thrasybulum ceterosque sociorum cum urbe conciliavit, veteremque Athen. politiam restituit, quorum etiam felicitatem alter exulum Conon Persarum classi, cum magna autoritate, præfectus auxit, quando ad Piræeum classem advexit, portumque illius ac muros, ad urbem usque, magnis sumptibus instauravit, quæ res illi apud Persas tamen exitio fuit, cum redux à Teribazo Persarum Satrapa, ac gloriæ æmulo, in vincula abstractus est.

§. 2. Lacedæmonios porrò cum fortuna, secuta est comes invidia, quare Persæ Bœoti, Athenienses, Corinthii, & Argivi, illius populi dominatum non laturi, arma corripiunt; Sed Agesilaus fortissimus Laconum imperator, adversus Persas Græcosque, aliquot præliis victor, tot hostes egregia virtute sustinuit; donec tandem multitudine pressi ad Artaxerxem Antalcidam Persarum Regem Olymp. 98. pro pace legatos miserunt, quæ ea lege inter

Græcos Persasque constituta est, ut Græcorum civitates in Asia subessent Persis, reliquis sua constaret libertas. Sed cum, alterna post Olympiade, Lacedæmonii sibi Græciæ Principatum rursus vendicarent, Cadmea etiam Thebanum arce occupata, Athenienses ceterique sociorum armis sumptis ab illis defecerunt, & Demophoonte quidem Athen. Duce Thebanos in arcem libertatemque reducunt, Chabria verò ductore, Agesilaum terrâ, Farum etiam Polimque Laconum Duces navali prælio magna clade profligant, ut hoc uno Atheniensium fortuna in pristinum gradum, Thebanorum quoque non mediocriter aucta, Lacedæmoniorum magnopere inclinata, videretur. Artaxerxes tamen qui unius in Græcia dominatum populi suo Regno judicaret esse metuendum, pacem rursum suasit, ut divisa in multos potentia, æmulatio inter illos, sibi constaret securitas.

§. 3. Sed Lacedæmonii, qui oligarchiam sui amantibus faverent, contra Athenienses democratiam foventes rarò quieti, bello (quod Demosthenes vocat secundum, post liberatam nempe à Tyrannis urbem) ad Corcyram collisi sunt olymp. 101. quod tamen per Xerxem brevi compositum est. Verùm cum in hac pace Thebani comprehensi non essent, contra hos in Bœotiam arma Lacones transtulerunt. Illi tamen nihil territi Epominandâ Duce iis ad Leutra occurrerunt, prælioque tam memorabili Regem Lacedæm. Cleombrotum fuderunt; ut attritæ Lacedæmoniorum vires opesque ad pristinam exinde sortem erigi nunquam potuerint, è diverso Thebani Arcadibus sibi junctis, universæ Græciæ essent formidandi; adeò, ut versis cum fortuna velis Athenienses Lacedæmoniis ea se lege conjungerent, ut hi terra, illi mari principatum obtinerent. Sed Thebani, hortatore Epaminonda, de maritimo imperio sibi vindicando solliciti, Orchomenum in potestatem redigunt. Epaminondas tamen contra Lacedæmonios pugnans, licet victor, occubuit. Timotheus verò Atheniensis adversus illos Potidæam occupat, & Eubæenses profligat olymp. 104. quo tempore Demosthenes Orator in forum grogressus; tutores suos de tutela malè administrata est prosecutus.

CAPUT

CAPUT VI.

Quinta ætas Reip. Atheniensis sub dominatu Macedonum in Græcia, tempore Demosthenis, Oratorum Principis.

VEnimus ad illam denique Græcorum ætatem, in qua rebus ipsorum inclinatis Macedonum sensim jugum adire visi sunt, Demosthene Oratore potentissimo frustra omnibus eloquentiæ viribus Philippi Macedonum Regis, Patris Alexandri artibus potentiæque obnitente. Minus enim tum Pallas inermis, quàm armata valuit. Mars & Plutus Apollini catenas injecerunt, quanquam eloquentiâ plus Demosthenes, quam quisquam Græcorum armis præstiterit, effeceritque, ut penè soli essent Athenienses, quos Philippus timeret. Principium dissidii cum Atheniensibus inde natum, quod Argæum, misso contra Philippum exercitu, Regem in Macedonia promotum vellent, quod quamvis irrito successu armorum factum, tamen Philippus, ut cum illis pacem coleret, Amphipolim Thraciæ concessit, dum maturis viribus de ultione cogitaret; Interea Pæonas ipse primùm, & Illyrios subegit, cumque Athenienses Euboico bello ac deinde Phocensi contra Bœotos, implexos cerneret, Amphipolim sibi rursum vendicavit, Pidnamque ac Potidæam auctarii loco adjecit. Porrò Demosthenes in foro occupatus accusationem Androtionis scripsit, Diodoro illam causidico declamante: ac Orationem contra Leptinem habuit, pro immunitate quorundam civium; cum is legem Proceribus duram tulisset, ne quis in urbe immunis esset, denique & ad populum de Symmoriis dixit, hortatus Athenienses, ut cum Rege Persarum Philippi consiliis adversante pacem ne violarent, quanquam alii in urbe Oratorum Philippi Regis partes tuerentur.

§. 1. Progressi itaque Athenienses, non quidem in Philippum pugnare inimicitiis, sed aliis bello partis se adversus illum firmare, & quidem Sestum ab illis Duce Charete expugnatum, in Chersonesum etiam deductæ Coloniæ, Chersoblepte Thracum Rege dissimulante. Phocenses quoque illorum Socii Onomarcho magnamino Duce, post Orchomenum & Coroneam in Græcia occupatas, Thessalis sibi junctis Philippum prælio fregere. Qui licet oculo etiam ad Methonem amisso læsus, animo tamen integer altero in Thessalia prælio Onamarcho victoriam vitamque eripuit. Post quem Phayllus Phocensium militiæ præfectus, infelicibus aliquot adversus Bœotos præliis rursum amisit, quidquid glorioso Marte partum fuerat. Lacedæmonii post Leutricam cladem rursum erecti Arcadibus bellum intulerunt, ex quibus cum Megalopolitani subsidium ab Atheniensibus peterent, Demosthenes his subveniendum esse oratione suasit, accusationem etiam Timocratis scripsit à Diodoro recitatam.

§. 2. Philippus Græcis inter se, perpetuâ bellorum conflictione dissidentibus, penetrare in Græciam nisus, cum ab Atheniensibus ad Thermopylarum angustias exclusus esset; in Locros arma vertit olymp. 107. Demosthenes verò ad concionem progressus, exercitum peregrinum pro defensione Græciæ comparandum suasit oratione quæ Philippica prima dicta est. Ita Rhodiis, à Mausolo Cariæ Hipparcho pressis, Demosthenes auxilia submittenda suasit, quamvis ad illum contra Athenienses in bello sociali confugissent, habituri pro defensore Dominum. Interea cum Philippus Chalcidensibus jam in Thracia subactis Olynthum obsidione premeret, Demosthenes tres Olynthiacas de auxilio Olynthiis præstando dixit; Mediamque, à quo pugnū choragus in Dionysiis acceperat, in concione accusavit. At Philippus Olyntho, Micyberna, & Torone potitus, & non minus ferreis, quàm argenteis hastis pugnans, à Bœotis denique contra Phocenses bello sacro, pro templo Delphico suscepto, auxiliarius admittitur, ac brevi Phocenses quamvis Lacedæmoniis fretos sociis, sine prælio in deditionem accepit. Demosthenes initio quidem hujus belli pacem cum Philippo suasit; hoc finito, Philip-

Philippum etiam victorem loco Phocensium in Amphyctionum concilium cooptandum duxit, quod & factum est; sed postquam Olymp.109. jam sibi Thessaliam quoque adjunxisset, pro concione suspectam esse Philippi pacem, & per hanc suæ denique libertati insidias ab eo parari docuit; alterâ oratione Philippum ad reddendam Halonesum tradidit obligari; tertia suadet, ne peregrinæ copiæ, quæ in Chersoneso sub Diopithe erant, dimitterentur; quartâ Philippum pace soluta, bellum re ipsa inferre; cumque jam ille Byzantium in Thracia obsideret, ut Byzantinis auxilium mitterent, persuasit.

§.3. Sed mox pace rursum compositi Athenienses, dum Philippus ingenti parato exercitu, superatis insperato Thermopylis Elatiam occuparet, hac re consternati, ad bellum per Demosthenem animantur, qui Thebanos legatione obita in societatem traxit, verum cum Charete & Lysicle Ducibus Philippo occurrerēt, ad Chæroneam in Bœotia memorabili prælio olymp.110. anno tertio fusi sunt, in quo Demosthenes, non sine multorum exprobratione, fugit, linguâ, quàm gladio promptior. qui tamen hoc se dicto purgare solitus est. ἀνὴρ ὁ φεύγων καὶ πάλιν μαχήσεται. *Vir fugiens, iterum pugnabit.* Reversus, muros urbis egregio opere studioque perfecit, ideoque Ctesiphon decretum scripsit, ut corona in populo donaretur; sed Æschines, quem de falsa legatione ante annos aliquot accusaverat, gravissimus illius æmulus, eo nomine a Ctesiphonte mulctam, publica disertissimaque oratione, exegit; cui omnibus eloquentiæ viribus Demosthenes, pro Ctesiphonte suoque honore, decertans, sese opposuit. Pace verò inter Græcos & Philippum compositâ, hic in concilio Græcorum ad Corinthum, summus belli Imperator adversus Persas delectus est, certo cuique populorum numero militum imperato. Sed Philippum, post tantam bellorum felicitatem ad Macedones revertentem, domi Pausanias ex insidiis sustulit, cui Alexander filius patre major successit.

§.4. Illius fato Athenienses per Demosthenem ad res novas moliendas erecti erant, nisi cautus Alexander consilium intervertisset, ac Thebanos etiam è Cad-

mea arce Macedonum praesidium deturbare ausos, subitò oppressisset, atque eversa funditus urbe multasset. Demosthenem ceterosque Rhetores suae infestos causae sibi dedi postulavit, extorsissetque, nisi, Demadis legati intercessione, eos populo roganti donasset. Imperator itque Graecorum adversus Persas loco Patris declaratus, illa brevi tempore bellandi virtute claruit, quâ totum orbem; ut victoriis, sic nominis sui gloriâ, longè lateque complevit. Alexandro ad bellum profecto, Aristoteles ejus per octennium praeceptor, Athenis in Lyceo docere coepit.

§. 5 Posthaec verò Demosthenes eodem anno olymp. 114. primo, quo post Medos, Persas, Indosque debellatos Alexander veneno à suis sublatus creditur, exulare coactus est, quod Atheniensium causam adversus Antipatrum Macedonem cum Polyeucto acrius defendisset. Sed mox à populo magna est gloria in urbem revocatus, suosque, cum aliis Graeciae urbibus ad libertatem contra Antipatrum capessendam erexit, quod bellum laetis quidem initiis, fuso obsessoque in Thessalia Rege Antipatro, sunt auspicati, sed Cratero denique adjutore Athenae Macedonum servitutem, Munychia arce tradita, & oligarchia admissa, tolerare sunt coacti. Demosthenes atque Hyperides oratores fuga salutem quaesierunt; hunc tamen Antipatri satellites oppresserunt, ille in Calauria insula, haustâ cicutâ, mortem praeoccupavit. In cujus fato hic lubet quiescere, atque ad Sigonium aliosque rerum Atticarum Scriptores plura desiderantem remittere.

CAPUT VII.

Illustrium in Graecia Poetarum vita paucis exposita.

PRaestantissimorum olim ingeniorum fecunda Graecia in omni disciplina & arte excellentes Magistros dedit. Atque, ut de paucis nonnulla memoratu digna scripturo ad manum sint, à liberalibus disciplinis, & antiquissimis penè omnium Poëtis ordiar.

1. *Homerus* Poetarum & aetate & ingenio princeps, Belli Troiani (post quod annis vixisse 200. creditur) & errorum Ulyssis descriptor, gemino opere Iliade & Odyssea, tanta eloquentiae vi ac gloria, ut *Smyrna, Rhodus, Colophon, Salamin, Chius, Argos, Athenae*, de illius natali sole contenderint. In vita ut multi asserunt coecus, neglectusque, post mortem claruit. Alexander magnus tanti illius scripta fecit, ut scrinium pretiosissimum inter Darii opes repertum, cum de illius usu discreparunt aulici, ipse nullum se thesaurum illo digniorem quam Homeri libros habere assereret. Quantum laudis Homerus, tantum ignominiae invidiosus mordaxq; scriptor Zoilus promeritus est, quod Homeromastix factus, oppositis scriptis ejus libros perstrinxerit. Quos cum Ptolomaeo Aegypti Regi obtulisset, atque aliquod postularet facti donum. miror, inquit Rex, quemadmodum egere tu possis, cum Homero sis doctior, qui tot modo pascit doctorum millia. nec multo post parricidii reum suffixit cruci. Homerum ex moerore nonnulli confectum ajunt, quod Piscatorum aenigma soluere non posset. qui interrogati: nunquid ex captura haberent? responderunt; habere se quaecunque non cepissent; quae verò cepissent, non habere. Intelligentes de pediculis quibus capiendis operam per otium dabant. Hujus aenigmatis difficultate victum, morbum mortemque contraxisse asserunt.

2. *Hesiodus* post hunc non ignobilis vates, ovium in Boeotia juxta Ascram custos, agriculturam versibus illustravit. Qui cum dormiens se Poetam factum somniaret, vigilans scribendo sibi aliisque somnii fidem fecit. Hic in summa jam aetate (ut *Hesiodi senecta*, etiam proverbio locum fecerit) tanquam conscius violatae ab amico Virginis, ab ejus fratribus peremptus est, atque in mare projectus; sed delphini humeris excepto deportatoque ad Rhium cadavere, innocentiae bono seni testimonium dederunt.

Utrumque Poetam Virgilius, Latinorum primus vatum, in pretio habuit, suisque versibus, non perfunctoriâ imitatione, expressit.

3. *Hipponax* Ephesius Poeta versibus potens, sed turpissima atque ad risum spectatoribus ciendum facie natus. Quare cum illum pictor scitè expressum ad ludibrium proposuit, indignabundus Hipponax, ira spiritum inflam-

mante, jambos in hominem tam mordaces strinxit, ut is calumniarum & ludibrii impatiens, laqueo sibi gulam fregerit. Quo in genere scribendi ante illum *Archilochus* Parius vates excelluit, nam Lycamben socerum, cum Neobolon filiam sibi promissam locasset alteri, jambis non minus spurcis quàm virulentis ad restim compulit; ipse verò exilio à Spartanis multatus est, sibi non minus iniquus, quàm alteri. Hujus adhuc quædam poemata visuntur.

4. *Simonides* vetus etiam Poëta est: non ille quidem, qui ab Hierone Syracusano rogatus, quid esset Deus, post unius diei moram, ac deinde bidui quatriduique respondit denique, *se quo plura de Deo cogitaret, animadvertere semper tanto restare plura*; sed alter Ceus, qui artem memoriæ reperisse dicitur. Nam ludenti apud Scopam Thessalum, cum absoluto carmine, Scopas pacti tantum pretii dimidiam mercedem penderet, alterum dimidium laudatos in Poemate Deos Castorem & Pollucem soluturos asseruit. Nec fefellit; infelix sibi vates: Etenim Simonide à duobus adolescentibus evocato, domus collapsa, Scopam reliquosque convivas ita oppressit, ut nullus à suis dignosci posset. quos tamen deinde Simonides ex observato accumbentiū ordine distinxit, primumque artificialis memoriæ præsidium aperuit.

5. *Terpander* ex Lesbo Poeta Lyricus, qui primus in lyra heptachordum invenisse creditur. Hunc Lacedæmonii oraculi monitu ad gravem seditionem molli carmine sedandam, felici adhibuisse eventu, memorantur. ut *cantus* exinde suavis, *lesbius* dictus sit. Nihil ab illo relictum possidemus.

6. *Tyrtæus* Poeta Athen. elegiarum scriptor ac tibicen egregius fuit, quem Lacedæmonii adversus Messenios pugnaturi, oraculo suadente, sibi delegerunt ducem. Hic suis carminibus tibiaque ita pugnantium animos accendit, ut facilem ab hoste victoriam reportarint. Versus ab illo nulli extant.

7. *Aratus* antiquissimus etiam Poet. Olymp. 14. Phœnomena, Hymnos, aliaque scripsit, plus doctrinæ, quàm affectuum complexa.

8. *Pindarus* Thebanus Lyricorum apud Græcos Princeps,

ceps, tanta scribendi copia elegantiaque pollet, ut eum Horatius l. 4. od. 4. non imitabilem dicat. Lacedæmonii hujus gratia Thebis pepercêre. Alexander cum eas everteret, illius ædibus posteritatique pepercit.

9. *Alcæus* Mytelenæus lyricus in scribendo gravis admodum, brevisque, & acer; ut non paucos suo persecutus carmine solum vertere coegerit. *Alcman* etiam Lyra valuit olymp. 37. amatorii repertor carminis, utriusque quædam adhuc poemata supersunt.

10. *Anacreon* Lyricus Teius insigni scribendi suavitate Polycrati Samiorum tyranno acceptus fuit. Sed fœdis plerique amoribus corrupti.

11. *Erinna* Poetria, Teia etiam Dionis Syracusani tempore elegans poema scripsit, quod ad Homericam majestatem assurgeret.

12. *Sappho* Lesbia, Alcæi, & *Stesichori* (acris etiam Lyrici Siculi) temporibus floruit, & Lyricorum libros novem singulari gratia scripsit; carminis, quod Sapphicum ab illa dicitur, prima inventrix. Hæc Cercylæ viro opulento nupta filiam ex illo susceptam Musæ nomine Clio appellavit. Quanquam alii aliam Virginem poetriam fuisse memorent, quæ Phaonem juvenem pulcherrimum deperiens, cum sperneretur, in mare se dederit præcipitem. Tam Erinnæ quam Sapphus adhuc versus leguntur. *Phocylides* Milesius Olymp. 58. floruit, elegiis quibusdam & sententiis ad vitæ institutionem notus.

13. *Æschylus* Athen. Tragicus primus in theatrum introduxisse tragœdias memoratur, de quo Horat. *Hic docuit, magnumque loqui, nitique cothurno.* Mors ejus memorabilis, cum enim se ex oraculo ruina quarundam rerum opprimendum didicisset, domos ac tecta vitabat, sub dio morari plerumque solitus. Evenit igitur, ut, cum calvo esset vertice, prætervolans aquila raptam testudinem in caput ipsius (quod acutum esse saxum credidit) frangendam dimiserit, quo ipse casu attritus periit.

14. *Sophocles* Athen. ætate suppar, Euripidis Poetæ æqualis Tragœdorum princeps olymp. 77. floruit, hic certamina in theatris Tragica inter Poetas instituit, ter & vigesies aliorũ victor, cumq; ultima ipsi ex insperato obtigisset, historia,

præ-

præ gaudio illum ferunt exſpiraſſe. *ut Valer. Max.* Collega Periclis in Prætura fuit. Ceterum cum filii illum jam in ſenio, ut delirantem, à rei domeſticæ adminiſtratoine ſubmoviſſent, Tragœdia in publicum data, ſe judicibus minimè delirum probavit, & reſtitutus eſt. Apis attica, ob ſermonis ſuavitatem dictus.

15. *Euripides*, Sophoclis æmulus, ſolo ſententiarum pondere viciſſe judicatus eſt, ceteris inferior, natus eo die, quo Xerxes ab Athen. fugatus eſt. Olitricis in urbe filius, Socratis diſcipulus, ſeptem & 50. fabulas ſcripſit, in quinque victor habitus. Archelao Macedonum Regi gratiſſimus; ſed ab ipſius denique canibus, ab invido homine in Poetam concitatis, diſcerptus. Ita nihil in aulis magnorum Regum tutum eſt. Collega idem Periclis in magiſtratu cum eſſet, laudaretque prætereuntis pueri formam, Pericles dignum ſapiente monitum ſubiecit: *Magiſtratum non tantum manus, ſed & oculos decere continentes*; ea tamen continentiæ laude floruit, ut vulgò μισογύνης mulierum oſor, diceretur. Olympius etiam appellatus eſt, quod dictione tanquam fulmine audientium animas ſterneret, neque theatrum ante ingreſſus fertur, quam Deos precatus eſſet, ne quid ſibi inconveniens effluere ſinerent.

16. *Ariſtophanes* Rhodius, Comœdiarum ſcriptor, tetrametri & octometri repertor, acerrimus vitiorum reprehenſor, & morum cenſor; qui nec Socrati pepercit. Olymp. 82. maximè floruit, Cratinum Athen. Comicum æmulum habuit, ſed gulæ atquæ ebrietati turpiſſimè obnoxium.

Eupolis quoque, ac Poetriæ duæ, Teleſilla & Praxilla, paribus ſtudiis intente vixerunt. Ex quibus ille infelix ſponſus, prima nuptiarum nocte, cum uxore, ruina lecti, periit.

17. *Menander* Athen. Comicus Olymp. 115. magna eloquentiæ laude, inter Græcos Ægyptioſque excelluit, tam egregiis vitæ documentis affluens, moreſque ſcite exprimens, ut palmam reliquis in hoc genere præriperet, ab Ægypti Regibus magnis opibus honoribuſque invitatus; ſed quem libido ac turpitudo vitæ infamaret.

18. *Ibycus* lyricus inter Græcos Poeta, verſibus quàm pudore celebratior, illius exitus, ut infauſtus, ita memorandus eſt; cum enim à latronibus ſpe prædæ in ſolitudine jugulare-

gularetur, prætervolantes fortè grues obtestatus est, ne suam mortem inultam ferrent. Cumque aliquo post tempore in foro homicidæ conspectis gruibus sibi per jocum dicerent: en Ibici ultores, fuerunt, qui ex percepto hoc dicto¹, cædis suspectos haberent, atque ad judicium tormentaque vocatos, etiam deprehenderent.

19. *Callimachus* Cyreneus Batti filius discipulus Harmocratis, apud Ptolemæum Philadelphum Ægypti Regem in honore atque æstimatione vixit, regiæ ipsius bibliothecæ (qua nobiliorem orbis non habuit) præfectus. In omni ille carminum genere, atque inprimis elegia celebratus est. Adversarium quendam suum sub nomine *Ibis* acerbissimo poemate est insectatus.

20. *Apollonius* hujus discipulus ex Rhodo scripsit argonautica, pari labore celebris est *Orpheus* Crotoniata, qui apud Pisistratum tyrannum in honore vixit.

21. *Lycophron* Chalcidensis à rebus Trojanis, ad Alexandrum usque, obscuris versibus, excurrit, cujus alter coætaneus *Chœrilus* Samius Olymp. 75. floruit, atque Atheniensium victoriam contra Xerxem est prosecutus, ea lege, ut in singulos versus, singulos acciperet stateres aureos. *ita Plutar.* Qui cum Alexandri magni gesta versibus complecteretur, totidem Philippeis donatus est, quot versus exaravit, ut lib. 2. Epist. Horat. *Chœrilus incultis proversibus & malè natis, Rettulit acceptos, regale numisma, Philippos.* Alii tamen memorant, ea lege promissos, ut si boni judicarentur: cumque vix septem tales reperti fuissent, in ludibrium totidem colaphis, quot malis versibus luserat, multatum. Certe contemptus Horatio scriptor est.

22. Præter hos alii quoque inter Poetas memorandi, quorum adhuc versus extant, ut in Hexametris *Bion, Dionysius, Nicander, Coluthus, Musæus, Cointhus*, tum *Theocritus* & *Moschus* Syracusani, quorum Idyllia, seu carmina bucolica, in primis celebrantur. In ceteris verò carminibus Simmias qui varias figuras, ut ovi, alæ, securis, &c. versibus diversis formavit *Bacchylides, Hybrias, Telestes, Menalippides, Pratinus, Timocreon &c.* qui universi duobus tomis collecti in Gallia prodierunt: Mihi satis fuit præcipuorum studia vitamque attigisse.

23. Auctarii loco his *Æsopum* fabularum, sive apologorum

rum ingeniosum artificem apponere. Hic servus è Phrygia deformitate monstrosus, triobolo venditus, à Xantho demum Philosopho emptus, atque ob ingenium in libertem assertus, Samiis oraculi vice fuit. Quibus cum tributum à Cræso postulatum, tanquam servitutis autoramentum, dissuasisset, Rex ut vindictam sumeret, Æsopum sibi dedi voluit, qui ultro adfuit, nec modò facti veniam, sed & gratiam sapientiæ præsens tulit, Apologorum libello oblato. Tandem invidorum opera de saxo apud Delphos præcipitatus, pestem bellumque, ulciscente nefas Apolline, in sceleris autores vicinamque Græciam convertit.

Diversus hic ab illo Æsopo est, qui Ciceroni familiaris tantas histrionica arte opes congessit, ut in unam ipse patinam centies sestertium impenderet, filius verò etiam uniones aceto maceratos epulis adhiberet. De quo in Romanis antiq. actum est.

CAPUT VIII.

Excellentium in Græcia Oratorum vita breviter exposita.

INjuriam Græcis faciamus Orationibus, nisi de illis hic pauca observatione digna inseramus. Primus ferè illic *Solon* legis lator, cum *Pisistrato* ad tyrannidem sua potissimum eloquentiam provecto, de palma dicendi contendit; cum uterque ad sua populum consilia, ille gravi minimeque fucato, hic molliori atque ad insidias animorum magis idoneo orationis cultu inflecteret, & in suam traduceret potestatem. Unde illi exilium; huic obtigit imperium.

1. Cum deinde quantum in eloquentia virium esset intelligerent, ad hanc plures omnem operam contulerunt, ut *Gorgias*, *Thrasymachus*, *Chalcedonius*, *Protagoras*, *Prodicus*, *Hippias*, *aliique*, eminuitque ante omnes principio Gorgias Leontinus, de quo Cicero lib. 2. de fin. in princ.

Primus

Primus, inquit, *ausus est in conventu poscere quæstionem; id est, jubere dicere, qua de re quis vellet audire. Audax negotium, dicerem impudens, nisi hoc institutum postea translatum ad Philosophos nostros esset.* Quare illam de se vulgi admirationem concitavit, ut Delphis raro exemplo, non inaurata ut plures alii, sed aurea statua donatus sit, Genere orationis minus quidem admodum numeroso, illustri tamen suisque egregiè nervis vibrato usus est. Periclis atque Isocratis oratorum institutor fuit.

2. *Antiphon* ætate par, vix tamen arte & ingenio quanquam tanta illius in dicendo vis fuit ac copia (quam potissimum ad aliorum persanandas acerbitates contulit) ut sui seculi Nestor diceretur. Hippocratem Medicorum Principem ausus provocando lacessere, ac se medicum animorum profiteri. quin & eductis Corinthi in foro ædibus vestibulo hanc epigraphen præfixit. *Doloris hic & mæstitiæ medicum esse.* Verùm cum illius artis professione res minus domi proficerent, ad forum se contulit, non ignobilis causarum Patronus, ad persuasionem, cum rerum inventarum dispositione, tum flectendi vi atque industria accommodatus. Dionysii Siculi tyranni offensionem dicendi libertate incurrit. Interrogatus enim, quod æs optimum putaret, illud, inquit, ex quibus Tyrannicidæ Harmodii & Aristogitonis statuæ (qui Hipparchum sustulerant) confectæ sunt. Sed hæc ipsi libertas exitio fuit, cum suam Patrisque carpi tyrannidem Dionysius sensisset.

3. *Themistocles* quoque & *Pericles*, oratores inter Græcos eximii, armata tamen Pallade, quàm inermi illustriores. Et ille quidem jam tum puer ad forum atque illas oratorias concertationes anhelabat; verùm ubi Miltiadis deinde partam bello gloriam, & erecta victori tropæa cogitare cœpit, ad militarem disciplinam adjecit animum, interrogatusque à nonnemine; Homerusne, an Achilles fieri mallet? reposuit. Tu verò quem te malles, Olympicum victorem, an victoris præconem? Ad Andrios missus legatus, sic exorsus fertur. *Vestram, hodie, in urbem, Andrienses, appuli, duorum Numinum comitatu stipatus, Suada, ac Violentia: quam vultis, eligite.* Tanta fuit,

viri

viri memoriâ, ut Simonidi, artem ejus sibi pollicenti respondeirit; *malle se artem oblivionis* (ut Cic.l.2.de fin.) *quòd eorum quæ nollet, etiam meminisset.*

Pericles etiam principio ad causas sese forenses, tanta ingenii dicendique vi ac facultate, applicabat, ut tonare verbis, fulminare sententiis, permiscere omnia dictione videretur, æmulum nactus Thucydidem, nobilissimum quoque suæ ætatis oratorem. Extat una Periclis, apud Thucydidem, alibi inter historicos à nobis cum Herodoto laudatum, oratio lib.11. Ceterùm tantus inter Græcos Athenis fuit, ut illius Reip. summum imperium per annos 40. cum laude administraverit, multis domi forisque præclarè gestis celebratus.

4. *Lysias* Athenis natus anno secundo Olymp. 82. varia per vitam fortuna jactatus, oratio tamen, cùm facilitate, tum efficaci, ac perspicua brevitate, insignis; qua ita audientium animos perculit; ut, in ducentis triginta orationibus, bis tantùm victus dicatur. Plus tamen opinor gratiæ viriumque auditus habuit, quam lectus adferat. In Epitaphio Corinthiorum est quod admireris & ames, minus in ceterum.

5. *Isocrates* Lysia ætate minor, virtute eloquentiæ superior, natus Olymp. 86. scribendo magis valuit, quàm dicendo; quòd, & vox illi à natura gracilis, & timidius ingenium, obtigisset. Quare ad panegyricas, civilesque orationes studium transtulit, & ludum ipse in Chio primum aperuit, paternis bonis bello contra Lacedæmonios exutus, cumque à discipulis didactrum acciperet, flens dicebat: jam intelligo me his esse venditum. Tantùm verò & lucri brevi fecit, & æstimationis sibi apud Chios collegit, ut suis ipse sumptibus triremes instrueret, & magistratum in Chio ad reip. Atheniensis formam constitueret. Cicero Eloquentiæ partem appellare audet. equum fuisse, dicit, Troianum ex quo optimi in Græciam oratores prodierint; in quibus Theopompum, Isæum, Hyperidem, Lycurgum, atque ipsum Demosthenem esse volunt, quem memorant mille drachmis solvendis imparem (tanti enim docebat Isocrates) obtulisse ducentas, ut quintam artis partem disceret, sed respondisse Isocratem. *Nos*, ô Demosthenes, *bonos pisces integros vendimus.* Oratio illius numeris, antithetis, & isocolis, culta, elaborata, & verborum & sententiarum collo-

cations

catione illustris, ob nimiam quibusdam curam affectationemque aliquam desipit; quod & leviculæ quandoque antitheses, & abundantia nonnunquam, pro numerorum complemento, verba; adscita magis, quam loco nata, videantur. Sed orationis placidæ, & à fori contentionibus remotæ genus, quod digno splendescere cultu æquum est, excusationem meretur. Intellecta Atheniensium ad Cheronæam clade, jam centum propemodum annorum senex, vitæque satur, quatridui inedia sese confecit. Apud Cynosarges illustre sepulchrum habuit, cui septem cubitorum siren, suavissimæ illius eloquentiæ monumentum, est imposita.

6. *Isæus* Chalcidensis Lysiæ discipulus, præceptor Demosthenis, quem bis mille drachmarum mercede instituit. Magistri Lysiæ stylum artemque ita expressit, ut ægre utrumq; distinguas. Ex orationibus ipsius 64. adhuc decem supersunt, concisa & evidenti dictione laudatæ.

7. *Demosthenes* Athen. opulenti fabri filius, inter plures id temporis oratores *Æschinem, Hyperidem, Lycurgum, Demadem, Pythiam, Phocionem*, dicendi facultate eminebat; qui patre jam mortuo; sub iniqua tutorum cura relictus, dicendi studio flagrare cœpit, postquam Callistratum summo populi applausu perorantem audivisset. Sed principium illi arduum, non tam ex scribendi, quam pronuntiandi difficultate natum; nam cum fractim atque inconcinne, hærente lingua, spirituq; orationem eluctaretur; risu omnium sæpe exceptus, despondisset animum, nisi Satyrus, seu ut Plut. Neoptolemus, histrio desperantem sustinuisset; & quibusdam ad recitandum imperatis versibus obniti vitiis docuisset. Quare cum errores corrigi posse animadverteret; nonnunquam antrum subiisse ferunt, rasa capitis parte media, ne subito hinc se eripere ad conspectum vulgi auderet, atque illic declamando & linguam fregisse hærentem ad R. litteram, insertis etiam ori calculis, & vocem illustrasse sono, & latera exercitationi firmasse. Ut vero continuato verba spiritu duceret, vel contra undarum strepitus detonuisse; vel in adversum enitendo montem simul declamasse, vel uno etiam longas periodos dicendi tractu evolvisse, deniq; cum immoderata humerorum jactatione offenderet, ad speculum corporis gestus actionemque formasse, ac suspensis hinc atque hinc gladiis subjecisse humeros, ut timore læsionis contineret. Unde memorant interrogatum,

quid in arte oratoria primum, quid secundum, quid tertium esset? respondisse identidem, actionem, quam videlicet tanto sibi opere comparaverat. Quas deinde orationes, & quo tempore præcipue dixerit, supra vidimus. Summum vero eloquentiæ inter Græcos principem alibi ex Quintiliano, ac Cic. tradidimus. In uno omnia, Lysiæ subtilitas, suavitas Isocratis, acumen Hyperidis, sonus ac lenitas Æschinis.

8 Postulatus nonnunquam à populo tumultuante ad quendam accusandum, cum innocentem crederet, *consultorem*, ait, *me vel inviti habebitis, calumniatorem nunquam.* Aliàs, cum ipsum populus pro concione audire detrectaret, fabulam duorum de Asini umbra, meridiani æstus vitandi gratia contendentium, exponere cœpit, ad quam dum erecti stetissent, atque ut fabulam pertexeret, orassent, *Ergo*, ait, *de asini umbra audire licet, de rebus seriis non lubet?*

9. Extemporalis orator non erat, sed elaborata in medium adferebat. Unde cum adversus illum Pytheas cavillaretur, quod argumenta eius lucernam redolerent: respondit: *non earundem rerum lucernam Pythea & Demosthenis, sibi consciam esse*, ipsius levitatem perstringens. Æreo vero à furtis notato, idemque sibi de lucerna, (quam nunquam ab eo extinctam ferunt) exprobranti, dixit. *Sentio meam tibi lucernam permolestam esse*, atque ad populum conversus; *Non mirum*, ait, *tot hodie furta committi, quando luteos habemus parietes & fures æreos.* Et Demadi vulgatæ libidinis oratori, sed insigni apud Regem Antipatrum gratia claro, cum is de adversante Demosthene cõtemptim dixisset. *Demosth. me?* (doceat) *sus Minervam?* Salse reposuit: *At hæc Minerva nuper in adulterio deprehensa est*, cum tamen Minervam continentia deceat. Sunt tamen, qui judicarint in Demade ac Phocione, præstantiorem dicendi vim eminuisse, orationis solum genus fuisse contractius. Ut Aristo Philosophus suum judicium rogatus dixerit; *Vrbe est dignus Demosthenes, sed Demades urbe præstantior.*

10. Cæterum Demosthenes eloquentia, quam armis melior, diu Græcorum adversus Philippum Macedonum Regem vires sustentarat, sed ad Cheronæam cum illis victus, rejecto clypeo, cui aureis inscriptum litteris, *quod felix faustumque*, effugit. Rebus tantisper pace compositis, cum Alexander

lexander deinde, Thebanis subjugatis, Athenienses pacem orantes, suos dedere oratores jussisset, Demosthenes fabula de ovibus inducta, quibus lupi pacem obtulissent, modo canes, quos secum in custodia haberent, dederent, facile dissuasit. Per Phocionem tamen submissum Alexander compositus populo intercedenti Oratores donavit.

11. Postremo Demostheni cupiditas dedecori fuit, nam postquam Harpalus ex Asia, ab Alexandro, cum ingenti pecunia, mille quadringentis & quinquaginta talentis, profugus Athenas peteret, principio, ne reciperetur Demosthenes obstitit, sed cum opes Harpali sub hæc lustraret, ingentem demiratus ex auro craterem; quantumque caperet interrogans, respondente Harpalo, tibi viginti talenta, Demosthenes captus, die insequenti pro concione dicturus; obligato fasciis collo, apparuit, non obscurè quibusdam dictantibus, non *angina illum sed argentangina* laborare. Denique re ut erat comperta, Harpalus amandatus, Demosthenes exilio damnatus est, qui frustra defensionem meditatus, cum hoc probro à quibusdam ironico rejectus est: *non illum audietis, viri Athenienses, qui aurum habet?* Plutarchus ait, Demosthenem triginta talentis inductum, ut dissimulatione sua, Harpalo jam captivo fugæ occasionem aperiret, neque deinde à Pythea, Hyperide, aliisque accusatum, suæ satis causæ fidisse, aut quintuplum ex more potuisse solvere, cum 30. talenta accepisset, ideoque prætulisse exilium. quod tamen molli animo, in Ægina sæpe lacrymis perfusus sustinuisse fertur. Versum quandoque ad urbem exclamasse ferunt. O Minerva, urbis tutelaris, ut tribus pessimis gaudes belluis, ulula, dracone, & populo! Contra Philippum quoque Regis Persarum auro conductus putabatur, ac tribus Daricorum donatus millibus. Jactanti aliquando Polo histrioni, bidui certamine talentum sese esse promeritum; respondit: ego unius diei silentium quinque talentis vendidi. Reliqua ex supradictis hauries. Athenis post mortem statuam meruit, cum carmine, quod ipse jam in Catalauria moriturus scripsisse in tabella fertur.

Εἴπερ ἴσην ῥώμην γνώμῃ Δημόσθενες εἶχες,
Οὔποτ' ἂν Ἑλλήνων ἦρξεν Ἄρης Μακεδών.
Si tibi vis animo, Demosthenes, æqua fuisset;
Non ferret Macedum Græcia victa jugum.

 12. *Æschi-*

12. *Æschines*, si quis inter Oratores Græciæ Demostheni conferendus, unus fuit, ut vel sola, quę adversus Ctesiphontem de corona Demostheni male collata extat, oratio testatur, qua licet victus exularit, ignominiæ impatiens, tamen optimi oratoris monumentum reliquit. Timarcho etiam scortationis dicam impegit, tanta dicendi vi, ut hic defensione neglecta, desperatam laqueo gulam fregerit, à Demosthene de legatione pro pace ad Philippum obita accusatus, quod Phocidem deinde Rex Æschinis opera aggressus, occupasset, facultate qua pollebat dicendi, & triginta suffragiis absolutus evasit. Primo vitæ tempore in theatro scholisque versatus, ad has exul rediisse in Rhodo dicitur, in Samo denique mortuus. Plena ipsius oratio grandiorque, plus quidem carnis, sed minus lacertorum, ut Quint. ait, obtinet.

13 *Lycurgus* Athen. in schola Platonis formatus orator, elatus gravisq;, ac magna in dicendo libertate usus, urbi in diversis officiis cum laude integritatis præfuit. Inter illos unus Rhetores, quos sibi adversantes frustra Alexander dedi postulabat. Poetarum honori favit, atque iccirco Æschilo, Sophocli, atque Euripedi æreas imagines collocavit, Sæpius accusatus, nunquam causa cecidit, vitæ innocentia, eloquentiaque sua defensus. Plures accusatione sua valide perstrinxit, obruitque. Reprehendenti quod filios Sophistis erudiendos traderet, cum ipse orator esset: respondit. *si quis promitteret se filios ipso meliores redditurum, huic sese bonorum dimidium persoluturum esse.* Major natu Prytanæo Athenis dignus judicatus est.

14. *Hyperides* Athen. cum Lycurgo, & remp. laudabiliter administravit, & dicendi gloria contendit. Judicatus in ea vicisse ipsum etiam non raro Demosthenem, quippe incredibilis in eo, cum dictionis lepor, atque urbanitas, tum vis ac suavitas mores omnes exprimendi, at minoribus causis aptior, dulcedine orationis influebat, tenebat acumine ad miserationem quam indignationem concitandã promptior. Sed ut oratio, sic vita in luxum mollior, cætera integer, quanquam à Persica gaza intactus non crederetur. Harpalus tamen illum, cum non corripuisset, in Demosthenem, licet antea amicum, & seipsum concitavit. Macedonum Regibus infestus, ac deniqne Antipatro, quem cum

nonnemo legatorum, ut bonum laudaret dominum: *nobis* respondit, *tam bonis Dominus nihil opus est.* Sed coactus demum fugere cum ad pœnam deposceretur, ac deprehensus præmorsa lingua cavit, ne quid inter tormenta silendum proderet.

15. *Demades* Athen. ex nauta orator factus nauticos ad eloquentiam exornandam sales transtulit Atticorum, ut ajunt, facetissimus. Hic rempublicam Atheniensium Philippo magna pecunia prodidisse est creditus. Illis certe carus Regibus, sed alio nomine, quam Phocion, cum Antipater diceret ex duobus quos Athenis haberet amicis. Demade ac Phocione, illum donis expleri non posse, hunc non adduci, ut dona capesseret. Unde illi res domi copiosa, huic perquam tenuis. Quare & Demades, cum lautissimas filio nuptias instruxisset. *Me quidem*, ait, *O fili, matrem tuam ducentem, ne vicinus quidem sensit, tuis nuptiis Reges & Principes suppeditant,* Cum in senio etiamnum luxuriosè viveret, scite in ipsum dixit Antipater, *linguam tantum in illo ac ventrem, veluti consumpta, cæteris partibus, hostia superesse.*

16. *Phocionis* Athen. minus celebris oratio, quam vita fuit. Matura tamen illa gravisque ab omni copia aliena. Cum in re nulla, nec opibus quidem, supra necessitatem quicquam ferret. Cum nonnemo secum meditantem his vocibus interpellaret. Cogitabundus incedis, ô Phocion: Ita, inquit, est, meditor enim quo pacto dicendis aliquid possim detrahere. Alexandrum una legatione adeo tenuit, ut & salutem reliquis impetraret oratoribus, & bellum ipsi à Græcis in Persas vertendum persuaderet; ut iccirco Alexander deinde nullam, nisi Antipatro & Phocioni, salutem nuntiaret. Submitteret etiam per legatos è Persia centum talenta. Recusanti vero quærentique, cur id uni sibi, in tot Atheniensibus, munus destinaret? cum legatus diceret, quod ipsum præ cæteris bonum virum judicasset: *ergo* inquit, *me talem deinde videri atque esse patiatur.* Quo Rex cognito, cum moneret, *se amicos non putare illos, qui amicitia regia frui nolint.* tamen obstinata animi integritas, etiam in domestica rerum necessitate, frangi non potuit. Uxor enim & farinam subigere comperta; nec, nisi unius ancillæ ministerio uti; licet præcipuos Phocion urbis gereret magistratus. Harpalus eidem 700 talenta nequicquam obtrusit,

rogatusque, ut filio Phoco, aliquantum profusiori, ea indulgeret. Meus, respondit Phocus, si temperantiam amet, paterna illi bona sufficient; sin ut cœpit, pergat, nihil ei satis futurum est.

17 Uxor, cum Ionia hospita mundum suum jactanter ostentaret: *Mihi*, ait, *omnis ornatus loco Phocion est.* Cum histrio in theatro impetuosius pro Regina pedissequas posceret & Melanthius, ludorum præfectus, reponeret, *ne Phocionis quidem uxor, nisi cum una pedissequa, cernitur*: dictum hoc gravissimo populi applausu exceptum est.

18. Erat enim sua integritate acceptus universis, quanquam nō raro propalam se populo adversantem objiceret, ut Demosthenes aliquando his verbis monuerit, *Occident te Phocion, ubi insanient. at te* respondit ille, *cum sapient.* Et cum Delphico jactaretur oraculo pronuntiatum esse: *unum esse qui sentiret contra omnes.* Surgens libere sese illum esse professus est. Assentiente nonnunquam universe populo, ad amicos versus, *an quidquam*, ait, *imprudens male dixi?*

19. Nec minus bello fortis. Nam Eubœam contra Philippum, Atticam contra Antipatrum victoriis illustravit. Perpetua tamen, ut vix Græcorum cuipiam, sic nec Phocioni, fortuna fuit, nam cum, à morte Antipatri, Nicanoris partes adversus Polysperchontem tueretur, atque ille Piræum occupasset, Phocion cum amicis ad carcerem mortemque damnatus, non alio quam ad domum vultu incessit, rogatusque quid Phoco ultimum denuntiaret, *ne*, inquit, *injuriæ ab Atheniensibus accepta memoriam servet.* Cicutam ubi bibisset cum amicis innoxiam, negaretque lictor sibi aliam nisi 12. drachmis emendam superesse, soluto pretio, *ne mori quidem*, inquit *Athenis nobis gratis licet*, Sed versis mox populi studiis, in ejus necis autores desævierunt, & quem vivum oderant, mortuum requirebant Statua etiam eius honori decreta est.

Hæc ex Plutar. de viris Illust & decem Oratoribus, cum Suida, Dionys. Halicar. aliisq.

* *

*

CAPUT

CAPVT IX.

Illustrium Philosophorum secta, vitaque strictim explicata.

PHilosophi ac Sophistæ veteres,quorum & vitæ institutum,& argute sapienterque dicta,in doctissimas quasque dissertationes incurrunt, ac Tullianis in scriptis obvia sunt,hic paucis ex Laertio,Plutarcho,Suida aliisque nobis cognoscendi sunt;ut aliena nobis oratio clarior,propria ornatior esse possit. Omnia tamen decurrere molestum, pauca delibare haud ingratum fuerit.

1. Geminam principio Philosophorum sectam, Anaximandro,& Pythagora ducibus Laertius exponit.Illius Philosophiæ genus *Ionicum*;a Thalete Sapiente Ione seu Milesio appellat:huius *Italicum*,quod in Italia Pythagoras florere primum cœperit,quanquam jam ante Pherecydes Syrus Pythagoræ Magister,cum Anacharsi Scytha, Mysone Græco,& Epimenide Cretensi, à sapientiæ professione, sed minus exculta,noti fuerint.

2. Et *Anacharsis* quidem raro exemplo *inter Scythas*,ut proverbii locum fecerit,egregia sapientiæ & continentiæ laude eminuit,terra illi lectus,cibus vilis rarusque, ac nudipes mundi fastum calcabat, libera illius atque ad omnem severitatem composita oratio, alteri dedit parœmiæ locum,ut ad reprehensionem acrius stricta,*Scythica* diceretur *oratio*. Juveni ebrio convitianti,hoc dicto occurrit,*Si tu juvenis cum sis,vinum non fers, cum senueris aquam feres*, vel tenuitatis, vel podagræ ipsi periculum non vanè præsagiens.

3. In Græcis mirari se dicebat, quod principio convivii scyphis minoribus uterentur sitientes,jam vero saturi grandioribus.Poterat & in Germanis similem perversitatem admirari.Tres vitem ferre uvas dictitabat, primam necessitatis(seu ut alii voluptatis)alteram lætitiæ, tertiam insaniæ.

De continentia, cum multa vivus perorasset, mortuus, hoc in statua elogium est meritus, *lingua, ventre, & Venere abstinendum.*

4. Scythas tamen legibus à Solonis disciplinæ haustis formare non potuit, sed peregrina consectantem frater ipse sagitta confecisse dicitur. Tam difficile est radicatam semel morum malitiam convellere.

5. *Myso* regia, ut creditur, stirpe oriundus, cum agrestem, atque ab aula & sceleribus magis remotam sectaretur vitam, inter sapientes est habitus. Quin hunc ferunt Anacharsi oraculum consulenti: (nũquis se in orbe sapientior?) demonstratum ad stivam esse. Sed osorem hominum, ideoque solitariam vitam, laboresque captantem Ridens compertus interrogatusque, ut *quid ita rideret, quia,* inquit, *solus sum.*

6. Par illi vita moribusque alter *Timon* Athen qui nullius hominis consvetudinem, præterquam Alcibiadis, ferre potuit, ideoque & μισάνθρωπος vulgo appellatus. Postquã multa Atheniensibus mala vaticinatus erat, in maris sibi litore sepulchrum hac inscriptione condidit. *Dii lector te male perdant.* Ita conceptum in vita humani generis odium secum ad inferos transtulit.

7. *Epimenides* à Patre ad amissam forte ovem requirendam missus, jamque ex via defessus, ad speluncam quietis somnique captandi gratia digressus, per 57. annos dormisse fertur. A somno, cum mutata deprehenderet passim omnia ac fratrem domi senem comperisset: magno Athenis, recognita, in honore esse cæpit, præsertim cum atris albisq; ovibus, certo ritu mactatis immolatisque, gravi urbem peste liberasset.

8. Talentum auri sibi oblatum respuit; sed tenui inter oves convictu contentus, ad 299. ætatis annos pervenisse creditur An vero idem ille fuerit, cuius anima specie corvi evolasse dicta, de quo Plin. l 7. c. 52. incertum est.

9. *Pherecides* sine Magistro, ut ait Suidas, litteras assecutus est, quanquam Laertius *Pittaci* faciat auditorem Hunc futura sapienter prævidisse memorant, terræmotum imminentem prædixisse: navibus in pelago mergendis denuntiasse exitium, Messanæ urbis excidium præsensisse. Denique aliis sapiens, sibi stultus, de rupe se præcipitem dedisse fertur.

10. *Anaxi-*

10. *Anaximander* discipulus, ut supra monui, adhuc superstitibus aliquot Græciæ sapientibus olymp.52. floruit: Hic primus terræ marisque ambitum in sphæra constructa exhibuit, Mathematicasque disciplinas tradidit, horologii ac gnomonis repertor. Sed, ut Polyd. lib. 1. delirus hominum Deorumque censor, namque illos ex aqua terraque per solem eductos excoctosque primum, ut ranas, credidit, hos & mori, & suis rursum intervallis ad vitam se recipere. Huius discipulus.

11. *Anaximenes* Principium rerum omnium, quin ipsum esse *Deum* voluit aërem, ex quo condensato sol, luna, terra, cæteraque omnia prodiissent.

12. Præter quem alius esse Anaximenes videtur, de quo Pausan l 6. qui cum Alexander jurasset, se nihil eorum quæ postulaturus esset, facturum; rogavit, ut suam everteret funditus patriam, quare juramenti religione territus, pepercit terræ ad exitium destinatæ.

13. *Anaxogoras* huius, & discipulus & successor, aliquanto ad veritatem propius accessit, cum *Deum* infinitam esse mentem docuit, quam tamen ex minimis quæque atomis censuit educere ac componere. Solem candenti ferro comparabat Peloponeso grandiorem. Cum deserta patria interrogaretur, nullane illi superesset *patria cura*? Imo *maxima*; inquit, *digito in cœlos intento*. Primus solis lunæque defectus prænovisse fertur, ac territum ea re in expeditione Sicula Niciam Græcorum Ducem sustinuisse, ne cœptum desereret, ut Plut refert.

14. Cum Pericli suo quondam discipulo in Reip. administratione fuisset adversatus, mors ipsi denuntiata est, ad quam interritus cum Liberis se offerens, *Iam diu*, inquit, *mortis in me latam novi sententiam*. Ad filios quod attinet: *scio me genuisse mortales*. *Archelaum* discipulum habuit, nullo celebrem nomine, nisi quod Socratem instruxerit.

15. *Socrates Athen.* natus olymp. 77. Oratoriæ primum facultati deditus; sed ob gesticulationes in dicendo neglectus, à triginta hanc quoque tyrannis exercere vetitus est. Deinde ad Philosophiam versus introduxit Ethicam, qua mores hominum formaret. Mirari, se ajebat, quosdam tantum operæ ponere, ut lapidem sculperent homini similem, seipsos vero lapidibus similes negligerent,

 16. *Alci-*

16. Alcibiade perquam usus familiariter est, quem nonnunquam de natalibus opibusque paternis gloriantem, ad geographicam deduxit tabulam, *ostende hic*, inquit, *paternæ domus vestigia*, aut si nequis, quantilla sint animadvertis.

17. Multi ad illum ob viri integritatem discendi gratia confluebant, atque in cæteris Æschines, qui, quod tenuis illi res domi esset, *cum nihil*, ait, O Socrates, *habeam meipsum tibi dedo.* Gratum munus accepit Socrates, ego vero operam dabo, ut *teipsum, sed meliorem, tibi restituam.* Juvenes ad suam receptos disciplinam ad speculum evocabat, & si formosi essent, jubebat illa se oris gratia moribus præstare dignos; si deformes, pensare animi pulchritudine quod corpore natura denegasset. Genium, seu Dæmonium familiare, habuit, ex quo disceret futura.

18. Doctrina ipsius principio obscurior Pausonis equo comparata fuit, qui ut Ælian. l 14. jussus in versum pingere, rectum obtulit; cumque ea re paciscens quereretur, sibi minimè satisfactum. verte, inquit, tabulam, & inversus, ut exigis, equus in dorso volutabitur. Ita Socratis institutio prima fronte occultabat latentem sapientiam. Ab oraculo illud dictum jactabatur, *unus mortalium Socrates vere sapit.* Interea nudipes, ac neglector sui; *nihil sese*, dictitabat, *scire, præter hoc unum, quod sciret nihil.*

19. Ubi plurima in foro intueretur venalia, *quam multis*, exclamat, *non egeo!* cum hospites invitasset, & mensæ tenuitatem Xantippe obtenderet, *hospites*, ait, *frugi contenti erunt; intemperantes nolo.* De se dicere solitus, *ut vivam edo, non ut edam vivo.*

20. Patientiæ omninò exercitatæ vir fuit, cum à quodam gravius calcibus impeteretur, atque immotum adhæc alii, pro ultione, interpellarent, *quid*, inquit, *agerem, si asinus me calce feriret, num icciręo diem dicerem?* importunissimam atque ad omne convitium projectam uxorem Xantippen nactus, admiranda injuriatum tolerantia sustinuit, atque ab hac se domi ad patientiam erudiri, per jocum asserebat, ut foris nosset. Hæc cum, post exaggerata probra immutatum Socratem, aliquando sordida perfunderet. *Præsentiebam*, inquit, *pluiturum brevi, postquam ita tonuisset.* Quærenti amico, ut hæc ferre posset? ut tu, ait anseres obstrepentes domi?

21. Tan-

21. Tandem, ut Athenis nullius virtutis alienam diu invidiam sustinuit, falso per Melitum delatus, tanquam corruptor disciplinæ ac juventutis, quippe Deos esse negaret, morti adjudicatus est, triduo postquam illam sibi imminere Æschini prædixerat, cumque uxor quereretur, quod injuste mortem subiret; an, inquit, malles ut juste? Bibit igitur oblatam cicutam, velut porrectam ad salutem medicinam. Nec quisquam ejus morte magis doluit, quam qui intulissent, correcto serius errore, quando statuam illi ad immortalem memoriam, Melito accusatori supplicium decreverunt. Magna ipsius apud omnes veteres sctiptores encomia relicta sunt.

22. A morte Socratis Ionica disciplina variis institutis dissecta est, Nam Plato discipulorum illius facile princeps, Veteris Academiæ (hoc loci nomen erat) institutum tenuit, quæ per affirmationes solebat instruere. Arcesilaus Pritaneus Mediæ, quæ per affirmationes simul & negationes procederet. Nec multo post discipulus Platonis Aristoteles Philosophorum omnium antesignanus Peripateticæ Scholæ nomen dedit, atque inter obambulandum, stricta docendi ratione, principia huius disciplinæ complexus est Stoicæ preterea sectæ (à στοὰ porticu ubi morabantur sic dictæ) autor Zeno Criticus, quæ in virtute summum bonum collocabat; Epicureæ vero, quæ idem bonum in voluptate contendebat esse, Epicurus, Cynicæ denique Anthistenes Rhetor Athen. quæ quidem secta indigentiam rerum omnium ad studium virtutis requirebat, atq: aliorum more impudenti quadam dicendi libertate perstringebat, ut iccirco à canibus quoslibet viatores allatrare solitis, cynici dicti videantur, Hæ sectarum non quidem omnes sed præcipuæ, de quarum cultoribus nonnulla subjiciam.

(‡)

CAPUT

CAPVT X.

Veteres Academici.

PLato Athen. inter Oratorum simul ac Philosophorum habendus princeps Vir in omni disciplinarum genere exercitatus, quem divinum Cicero aliique hominem appellant, natus olymp. 88. in labris infantis sessitare apes compertæ, futuræ dedere omen eloquentiæ. Plato nomen, prius Aristocles dictus, à latis humeris traxit, cum apud palæstritam Aristonem sese exerceret, cætera egregio corporis habitu spectandus. Luctæ igitur juvenis, eloquentiæ, poësi, picturæ, ac denique & Philosophiæ operam dedit, quam tanto studio complexus est, ut Græcia sua non contentus Italiam & Ægyptum perlustrarit &

1. Athenis quidem, cum Socrates illum excepturus in suam disciplinam esset, visus sibi per somnum est oloris pullum suo gremio plumescentem excipere ac fovere. Sed & Heracliti deinde, ac Democriti sectatores, & inter se, & ab aliis dissidentes audivit. Postea in Italia non perfunctorio labore Pythagoricis se dedidit, ac 100. minas hoc est facultates pene omnes, in unius Philolai Crotoniatæ librum convertit, ex quo in Timæum suum non pauca transtulit.

2. Ad Gymnosophistas demum apud Indos, & Magos in Ægypto audiendos aspirans, cum impar sumptibus esset, empto ad negotiationem lucrosam oleo, itineris studiorumque impensas sustinuit, atque hic etiam libros Moysis legisse creditur. In Siciliam quoque Ætnæ flagrantis visendæ gratia descendisse, apud Apuleium legitur, reversus vero, juxta Æginam à piratis captus, & 30. minis venditus est Dionysio seniori, donec à Nicete Cyrenæo redimeretur.

3. Postremo instituendis discipulis se impendit, inter quos Aristoteles, ille humanorum ingeniorum phœnix, & Xenocrates, tardo, sed laudato ob integritatem morum, inge-

ingenio, de quibus Plato dicere solitus; hunc calcaribus, illum fræno regendum.

4. Ipse Plato cœlibis integræque compertus vitæ, affectus magis frangere, quam divitias honestatemq; aspernari est solitus. Unde cum Diogenes stragulas ipsius pretiosiores pedibus contereret, diceretque *Platonis fastum calco*, Plato recte subjecit, *sed majore fastu*. Servorum cuipiam offensior, *vapulares*, inquit, *nisi iratus essem*. Aleator ab eodem reprehensus, ad Platonem versus *Remne*, ait, *tam parvam culpas? Parva* vero, reposuit ille, *nulla prava consuetudo est*. Anno jam ætatis 81. pediculari morbo extinctus fertur.

5. *Xenophon* Socratis quoque discipulus, ejusdem instituti tenax fuit, æmulatione quadam Platonis gloriam conatus, vel æquare, vel vincere. Raro formæ exemplo celebratus; post Herodotum Thucydidemque historiarum nobilis scriptor, quibus belli Peloponesiaci gesta complexus est, cumque Cyro Regi ob disciplinam moresque perquam carus esset, sub ipsius nomine, egregia institutione, boni Principis educationem vitamque dedit, scriptum omnibus laudibus ornatum.

6. Magna animi moderatione filii sui Grylli fortissimi militis fatum excepit, cum ad aram coronatus sacrificaret. Et principio quidem, ubi mortem exponi audiret, coronam deposuit, ubi vero intelligeret, fortiter pugnando cecidisse, reposita ad sacrificium peragendum corona, *mortalem*, inquit, *genueram*. His *Speusippus* & *Xenocrates* accenseri potest, de quo infra in novis Academicis agemus.

CAPUT

CAPVT XI.

Cyreniaci voluptuarii.

ARistippus Cyreniacus ejusdem cum Xenophonte ætatis, inter Socratem atque Epicurum mediam viam sectatus magna frequentia docuit, ut Æschines plerisq; ad Aristippum & Platonem confluentibus, jam ex Oratore Philosophus, discipulos sibi pecunia oblata comparasse dicatur, cum Aristippus etiam acciperet.

1. Voluptatis hic tamen quæ à sensibus percipitur, luxusque omnis patronus, exquisitis semet epulis pascebat, aliquando 50 drachmis perdicem visus emere. Has vero *lautitias* nonnemini exprobranti Si, inquit, *hæ malæ, cur in Deorum celebritatibus adhibentur?*

2. Ceterum adulator tyranni Dionysii illius aulam sectatus est, quod cum Diogenes nonnunquam suum lavans olus prætereunti objiceret, diceretque, si olera scires lavare, tyranno non servires: & tu, inquit Aristippus, *si cum hominibus scires agere, olera non lavares.* Sed supplex ad pedes Dionysii repertus, cum philosopho indigna facere dictaretur. *Rex*, ait, *in causa est, qui aures habet in pedibus.*

3. Diogenem ad suam frustra disciplinam instruens, sputo ab illo consputcatus patienter ignominiam tulit, addiditque. *Piscatores ut gobium capiant, maris fluctus perferunt; ego ut balænam teneam, non patiar sputū?* Ab alio convitiante se subducens, ait: *si tu convitiandi habes potestatem, ego habeo non audiendi.*

4. Cum in naufragii periculo timorem non occultaret: ac nonnemo objiceret: mirum esse, trepidare *Philosophos*, ubi *ineruditi* sibi constarent: *non de eadem*, respondit; *anima utrisq; metus incumbit.*

5. Dionysius Rex Aristippo pecuniam roganti: *sapientem*, ait, *me docuisti minime egere.* Ubi dederis, inquit Philosophus, respondebo: moxque accepto auro, ostensoque. *Vidimi*

dem ait, *me non indigere*? Alias quærenti Dionysio, ut quid se conventum vellet? *ut*, inquit, *quæ habeo impertiar, quæ non habeo, accipiam*.

6. Statuit hic felicitatem hominis in quadam ad sensus emanante voluptate; cum in sola mentis voluptate, & malorum externorum privatione, collocarent Epicurei cæteri. Unde ejus sectatores dicti Cyreniaci.

CAPUT XII.

Cynici.

Diogenes ejusdem Platonis coævus, ab *Antisthene* Rhetore Cynicorum primo autore institutus est. Antisthenes enim contemptis opibus, & voluptate, solo tectus palliolo, ad improborum mores castigandos se primum converterat, hoc usus symbolo. *Insania potius, quam voluptate afficiar.*

1. Reprehensus à Platone, *regium*, ait est, *cum bene feceris, male audire*. Cum plures illum laudarent, *quid*, inquit, *mali feci*? Nonnemini, quod inter improbos versaretur, reprehendenti. *Medici*, ait, *inter ægrotos versantur*.

2. Diogenes igitur cum huius disciplinam probaret, pecunia sui patris fœneratoris adulterata; ut vel reditum sibi huius facinoris conscientia præcluderet, vel certe illius officii vanitatem argueret, Antistheni, quamvis inflicto etiam baculo repellenti, se adjunxit: cum dicto, *cede ut lubet, baculum non reperies tam durum, qui à te arcere me possit*.

3. Pallio itaque tectus, atque extremam rerum secutus indigentiam, nec tecto quidem usus est, sed vel in porticu, vel in dolio acquievit, cumque puerum vidisset, cava manu haurientem, in siti, aquam; abjecta, quam habebat, cotyla: nec hac, inquit, mihi jam opus esse intelligo. *Puer me utilitate vicit.* Nuditatem solam aspernatus pudoris causa est; ideoque cum apud Megarenses, pueros videret investes vagari, *arietem hic*, inquit, *esse præstat quam filium*.

4. Cum

4. Cum in diem mendicato viveret ἡμερόβιος dictus est. Præter hæc, ultroneas etiam afflictiones carnis, ad patientiæ exercitium, est consectatus. Hyeme niveas complexus statuas, æstate fervidis arenis volutatus est. Alexander cum illum rerum omnium contemptorem Philosophum suo in dolio hærentem invisisset, ac demum aliquid postulare à se juberet, hoc postulo respondit, *ne hunc mihi, quem dare non potes, Solem è conspectu auferas.* Cupiens illum ab ostio vasis removeri Porro Rex dixisse fertur, *nisi Alexander essem, vellem esse Diogenes.*

5. Multa illius apophtegmata extant, in diversorum mores hominum acute vibrata. Grammaticos arguebat, quod *Vlyssis errores discerent, suos negligerent:* Musicos, quod *Lyra chordas rectè disponerēt, animi affectus distorquerent:* Mathematicos, *quod sidera contēplarentur, juxta se posita ignorarent:* Oratores, quod *rectè dicenda spectarent, agenda præterirent.* Media die accensa, per tabernas & forum lucerna, *inter medios clamabat homines se quærere homines*, pecorum cæteros ritu vivere dictitans.

6. In domum omni ornatu excultam ingressus, pituitam ore collectā ejecturus, in domini barbam exspuit, caussatus, turpiorem sibi locum nullum occurrisse. Cumque in alterius Spadonis limine hanc legeret epigraphen, *nulli mali subeunto:* quærit à propinquis: *qua, ergo via dominus ingreditur?*

7. In scholam Platonis ingressus postquam ille hominem definiisset, *animal, implume bipes.* Gallo deplumato ad discipulos immisso. *En*, ait, *homo Platonicus:* adjecit igitur Plato definitioni: *latis unguibus.* Interroganti: qua hora prandendum? respondit, *Dives cum esurit prandeat, pauper cum habet.*

8. Rogare aliquando statuam compertus, & quo illæ preces spectarent, quæsitus? *ut discam*, ait, *non impetrare cum postulo.* In gelida hærentem pluvia, cum spectatores miserarentur, Plato illius vanam gloriam perstringens dixit, *si vultis misereri, abite.* Hæc enim sine spectatore non pateretur. Pueri cum illum tāquam canem provocarent, ut morderet: *canis*, ait, *betis non vescitur*: cum ossa tanquam cani objicerent, lotio eosdem perfundebat, dicens hoc canum esse officium. Divitem indoctum, *ovem aurei velleris* vocabat.

Sordidum ingressus balneum: *ubi quærit, lavantur denique, qui hic se lavant?* Cum furem unius phialæ à Magistratu ad supplicium duci videret; *magni*, inquit, *fures minorem ducunt*. Cum ad olivam mulieres aliquas suspendi deprehendisset. *Utinam*, ait, *reliquæ arbores fructus ferrent similes*. Interrogatus, quid *pro* infligendo *colapho* postularet? *aream* respondit *galeam*, ut sustineam.

10. Cum servus Manes ab illo subterfugisset, jussus eum quærere ac revocare. Nequaquam, inquit, nam *si Manes absque Diogene potest vivere, cur non queat Diogenes absq; Mane?* Exprobranti, quod monetam aliquando adulterasset, *Tempus*, ait, *fuit, quando talis eram, qualis tu modo es*. Alteri quod in foro ederet objectanti, *in foro*, inquit, *esurio*. Minitanti cuipiam, quod Sinopei illum exilio damnaturi essent; reposuit, & *ego* vicissim *illos mansione damnabo*; ignobilis eosdem patriæ esse arguens, quæ pro exilio haberi possit.

11. Captus ac venditus Xeniadæ Domino; at, *scias*, inquit, *non servum te emere, qui velit obsequi, sed Dominum, cui obsequendum sit*: indicans se nihil facturum, nisi quod ex ratione faciendum duxerit adhibitus tamen filiorum instructioni; perquam sua se probavit integritate omnibus. moriens pronum se, terræ mandari voluit, ut velut osculo matrem omnium exciperet.

12. Sectatores nonnullos habuit, ut *Monimum*, qui stultitia apud Dominum simulata, libertatem dolo obtinuit, seque ad Diogenis transtulit disciplinam. *Cratem* quoque *Thebanum* opulentissimum, qui ducentorum Talentorum possessor, ea pro liberis apud Trapezitam hac lege deposuit; ut si filii idiotæ manerent, in illos ex æquo partiretur; sin Philosophi essent, plebi illam largiretur.

13. *Menippus* item *Phœnix*, & *Menedemus Lampsacenus* Cynici ambo, quanquam instituto ad suos mores inflexos, ille enim ad improbitatem usque intentus usuris; pecunia demum per dolum fraudatus, laqueo gulam fregit: hic assumpto furiæ habitu; ut terrore inflicto á vitiis avocaret homines, ab inferis sese in orbem emissum finxit,

14. Quorundam vero Cynicorum hæc fuit impudentia, ut publica promiscuaque uterētur Venere, tanquam natura nullas verecundiæ in his factis leges præscriberet, quo nomine detestanda honestis omnibus hæc secta fuit. Fieri

enim vix poterat, quin sub illa virtutis spectatæ larvâ, suis Dæmon flagitiis luderet cæcisque illuderet mortalibus. Ut etiamnum sua illum ludibria hæresibus, pietatis nonnunquam colore utentibus miscere deprehendimus.

CAPUT XII.

Peripatetici.

ARistoteles stagirites Patre Nicomacho Medico natus, Platonis discipulus Peripateticorum Princeps, exili gibbosoq; corpore, lingua etiam balbutiente; sed ingenio, prope ex universis, qui scriptis inclaruere, nobilissimo. Ad Philippum Macedonum Regem Olymp. 109 profectus, Alexandrum instruxit Magnum Cui adeo carus fuit, ut, reliquis circa terris destructis, uni ipsius patriæ pepercerit, quodque in ea dirutum instaurarit, ejus laudes Quintil. brevi elogio complexus. *Quem, ait, dubito, an scientia rerum an scriptorum copia, an eloquendi suavitate, an inventionum acumine, an varietate operum clariorem putem. Omnem enim liberalem disciplinam propemodum suis principiis, atq; arte ita complexus est, ut nemo ante illum melius, ac post illum subtilius veriusque.* Bibliothecam primus instituisse, ac libros ipse 400. scripsisse memoratur Poëtici, Rhetorici, Philosophici, Ethici, Politici aliique ipsius libri, in manibus Doctorum omnium sunt, autoremque commendant. Labor studiorū indefessus, utque non nisi delibaret somnum, ita se ad hunc composuisse fertur, ut apposita pelvi ænea, sphœraque in manus sumpta, ad huius cadentis illisæque ad pelvim strepitu, quietem abrumperet.

1. Ab Alexandro Athenas reversus in Lyceo 13. annis, eo tempore quo & Xenocrates, (de quo postea) docuit. Postremo tanquam minus sana de Diis traderet, ab invidis accusatus, cessit in Chalcidem, Olymp. 114. ibidem extremum diem clausit, eo tempore quo Demosthenes in Apulia.

2. Sunt qui ad littus maris sedentem reciprocasque maris æstus humanis nequicquam rationibus metientem, sese

in illud denique egisse præcipitem asserant, cum dicto, *quia Aristoteles mare non capit, mare capiat Aristotelem*: alii unius Numinis vocatione his vocibus; *Ens Entium miserere mei*, finiisse vitam.

3. Ceterum, ut scripta, ita casti laudatique mores, qui huius ævi Christianos queant confundere ad opprobria ingesta, cum immotus duraret, & convitiator denique fassus quæreret, *num satis temet obtudi? Hercle*, inquit, *animum non adverti*. Interrogatus *quid docti ab indoctis differrent?* *quod* ait, *viventes à mortuis*.

4. *Theophrastus Lesbius* fullonis filius, cujus ingenium cum alterius discipuli Callisthenis comparatum, ita Aristoteles efferebat, ut hunc diceret calcaribus, illum freno indigere, ut quondam, Plato de ipso ac Xenocrate. Nomen illi, ob admirabilem viri eloquentiam Theophrasti imposuit, cum Tyrtamus diceretur Alexandro quoque jam assueverat juvenis, bello, ut apparet, socius.

5. Qui, cum Alexander inter pocula jussisset nonnunquam laudare Macedones; tam illud diserte copioseque præstitit, ut coronis illi oblatis applauderent universi: At subjecit Alexander, non est difficile in tam copiosa laudum materia existere eloquentem: age, tuam in iisdem reprehendendis facultatem exsere, neque cunctatus, tanta in illos dicendi vi atque acerbitate invectus est; ut concitata omnium indignatione, abrumpenda fuerit oratio.

6. Quare cum impetus sæpe magis, quam ratio dicentem regeret, Aristoteles dixit (ut refert Plut.) *magnus orator, sed absque mente*. Sed ubi hanc denique eloquentiam Philosophica maturitate excoluit, summum Athenis nomen adeptus, facile 2000. discipulorum numeravit. Quibus scholis cum aliquando per Sophoclē in judicio ejectus esset; lege lata, ne quis scholis nisi decreto Senatus præesset? Athenienses, rescisso post annum judicio decretoque, atque ipso etiam Sophocle quinque talentis multato; Theophrastum ab exilio revocatum pristinæ dignitati restituère. Varia scripsit, nihil tamen præterquam de plantis aliaque paucula hodie reperiuntur, *Stratoni Lampsaceno* viro etiam eloquentissimo, Magistro:

7. Ptolomæi Philadelphici scholam reliquit, sed is abs Rege 80. talentis donatus accersitusque est. Unde *Lycon Troadensis* suavissimæ vir eloquentiæ, atque icciirco Gly-

con, hoc est, dulcis appellatus, successit adolescentibus formandis aptissimus.

8. *Demetrius Phalereus* Theophrasti discipulus, tanta & dicendi facultate, raraque suavitate, & agendi sapientia polluit, ut Atheniensi reip. per annos facile decem administrandæ præfectus, ab illis 360, æreis statuis, in honorem ipsius, inaudito exemplo, erectis, ornatus fuerit. Libros ille quamplurimos edidisse fertur, quibus omnes Peripateticos superaverit.

9. A Ptolomæo Ægypti Rege, Lagi filio, impetravit, ut illius subsidio Atheniensibus Democratia redderetur, fuitque nobilissimæ illius bibliothecæ instituendæ autor, utq; sacra biblia ex Hebræo transferrentur in linguam Græcam. Joseph. lib. 12. c. 2.

10. Sed ut invidia Athenis summa imis confundebat, ita Demetrius gratia excidit, statuæque omnes in opprobrium deturbatæ, ad quæ ille inconcussus dixit: *virtutem*, ob quam posuissent, *deturbari statione sua non posse*. Ubi denique Philadelphum, contra quam Regi suaserat, ad regnum vocari intellexit, pertæsus vitæ, aspidis hanc venenato morsu abrupit. Hæc enim priscorum fuit sapientum stultitia, ut in dolore animi, vitam sibi auferre, inter virtutes censerent.

11. *Heraclides Ponticus* ex iisdem scholis, vani nominis laudisque cupidissimus, ob superbum vestium apparatum, nonnihil inflexis litteris dictus *pompicus*. Is, Heracleotis ad mala avertenda Apollinis oraculum consulentibus, Pythiam donis corruptam edicere jussit: forte, ut remedium malis adferatur, si Heraclidem vivum aurea donent corona, mortuũ pro heróe colant. Sed Heraclides in theatrum coronæ gratia proditurus, tanquã sideratus obstupuit, Pythia vero Draconis morsu afflicta periit Nihilo tamen Heraclides hac correptione melior, Draconem à teneris educare cœpit, sub lecto suo abditum, qui cum mortui Heraclidis cadaver efferretur, simul è latebris prodiit, proditque affectatæ divinitatis ambitionem, ut icciico omnibus vilesceret. Hi Aristotelis successores: nunc coætaneos, Xenocratem & Epicurum adeamus.

CAPUT

CAPUT XIII.

Medii ac novi Academici, denique sceptici.

XEnocrates Chalcedonius Platonis Magistri sui institutum tenuit, quanquam viam successoribus ad mediam ac deinde novam Academiam aperuerit Ante hunc in veteri Academia *Speusippus* Platonis ex sorore nepos octo annis docuisse fertur, iracundiæ ac voluptatum tenax, dissimilis in hoc avunculo nepos.

5. Xenocrates voluptatum etiam ultro ablatarum spretor egregius extitit, cujus rarissimum illud argumentum & christiana virtute dignum, quod Phrynen formę levitatisq; compertæ mulierem in hospitali sibi lecto appositam tam constanter aspernatus sit, ut illa se *ad statuam non hominem venisse* testata sit. Gravitati vero fideique illius tantum Athenis tributum est, ut cum injurati nullius testimonium admitterent, huic *soli injurato crederent*. Ad Philippum Regem Maced. legatus, cum solus in reliquis negligeretur, *gaudeo*, inquit, *quod sua me Philippus erga Athenienses perfidia nolit habere testem*.

2. Ab Alexandro tamen filio 30. talentorum munere honoratus, aurum remisit, illud magis necessarium esse Regi dictitans, qui se lõge familiam copiosiorem nutriret, vel, ut Suidas *regibus, non Philosophis pecunia opus esse*. Legatione etiam functus ad Antipatrum, ut Athenienses bello Lamiaco captos reciperet; noluit ante cibum admittere, quam libertatem impetrasset.

3. Integerrimæ vitæ Philosophus, unam quotidie horam, meditationi solitariæ addixerat, in qua vitam moresque juxta honestatis leges, ex præscripto rationis formaret. Unus omnib⁹ natus ad omnia, pluribus scriptis clarus; sed ut nulla magnorum Athenis fortuna perpetua, ita & Xenocrates denique ab ingratis civibus in servitutem venditus, à Demetrio tamen Phaleræo est redemptus.

4. *Polemonem* hic discipulum successoremque habuit.

Juvenem principio corruptissimum; sed ubi coronatus in Xenocratis scholam irrupisset,ut disciplinæ illuderet, adeo disertum potentemque ille de continentia sermonem instituit,ut repente mutatus omnem vitæ levitatem philosophica moderatione adstrinxerit, tantus deinde affectuum suorum dominus,ut cum à furioso nõnunquam cane lacerarentur suræ,ceteris exclamantibus,ipse immotus quæreret; quid est,quod tánto clamore dignum agitur? Familiarem ex eadem schola *Crantorem* habuit,quem ex demissione,cum suis quandoque discipulis ,auditor conveniebat. *Cratem* vero Athen ex sua habuit disciplina successorem tam Magistri amantem , ut in eodem moriens sepulchro condi voluerit.

5. *Bion Boristhenites* ex Cratis disciplina successit. Hic levi sorte natus,à patre Oratori venditus,cum suo se illi ingenio probasset,bonorum omnium hæres scribitur; at his neglectis sophistica arte delectatus est, qua multos deinde alios insigni calliditate tenuit.Hos *maxime in orbe* dicebat *inquietos,qui hic quietem in felicitate quærerent*. *Magnum,* ajebat,*malum,ferre malum nullum posse* , *Divites plerosque non possidere opes,sed ab opibus possideri*.

6. Ad invidum conversus,*nescio,* inquit, *malumne tibi, an alteri evenerit bonum?* Adolescentem dissolutum jussus sua disciplina corrigere:*Mollis*,ait,*caseus hamo non trahitur*. Ad bonorum suorũ decoctorem inquit. *Amphiaraum terra,tu terram absorbes* Ceterum,à natalibus suis minime degenerans,levitatis cynicæ,ex impio *Theodori athei* hominis instituto,sectator fuit. Mortis itaque imminentis horrore, cum frustra à magicis artibus opem exspectasset, denique ad Deos,quos in vita non agnoverat , moriens conversus sese eos professurum contestatus est , modo adjuvarent.

7. *Arcesilaus* olymp.120 ex eadem schola successor,ingenio singulari,atque eloquendi facultate tam eximia præditus,ut quidvis persuadere dicendo posse judicatus sit. Sed cum in utramque partem disceptando nihil definiret , verum suspensa auditores sententia destitueret, ad Epicureos non pauci defluxerunt.De quibus ille dicebat, *non mirum esse,si ex viris Galli fiant*(erant hi Cybeles sacerdotes emasculati,sive eunuchi)*ex Gallis viri nequeant*.

8. Hu-

8. Huius vestigiis *Lacydes* inhærens olymp.124.qui propalam,*nihil omnino scire posse*, professus, novæ scholæ autor existimatus est. *Carneades* eundem consectatus, tanti homo studii contentionisque in discendo, ut cum nihil sciri posse crederet,omnia velle scire videretur, nec tondendis quidem crinibus unguibusque tempus cederet, studiis periturum. Hoc Romam cum legatis ceteris ingresso,M.Cato(ut habet Gell.l.26.)Senatum monuit,cautè audiendum Carneadem,quod sua facile eloquentia quidvis persuasurus crederetur. Sed hi plerique ejusdem cum Bione levitatis,Cynicis ac Scepticis,quam Socraticis propiores fuerunt.

Sceptici.

9. Cum parum ab his distent Sceptici, qui nihil definiendo decernebant, sed alios solum oppugnarent,ut eos arguerent ignorantiæ,in his præcipuus *Pyrrho* Eleus σκεπτικὸς seu considerator, fuit, qui nihil sciri comprehendique posse,nihil justum aut injustum,turpe aut inhonestum esse sensit:imo nec videri quicquam vel audiri statuit, ideoque ab auditoribus etiam desertus sermonem pertexebat. Adversa prosperaque eodem vultu animoque perferebat.Unde à popularibus summus sacrorum Pontifex creatus est. *Timon* Apolloniates ejusdem Pyrrhonii dogmatis assertor,juxtaque acutus Poëta extitit. Ptolomæo Philadelpho in primis charus.De quorum sectatoribus Laertium in vita Phil.consule.

CAPUT

CAPVT XIV.

Stoici, & Epicurei.

Zeno Citticus ex Cypro, princeps Stoicorum, homo gracilis, procerus ac fuscus erat, ideoque palmes dictus Ægyptiacus: Primum ille mercator, cum ex Phœnicia adveheret purpuram, naufragio ad Piræeum facto per Cratem Philosophum ad Sapientiæ studium adductus est, ut hanc suam deinde felicitatem interpretatus, dicere consueverit: *secundis ventis navigavi quando, juxta Athenas, naufragium feci.*

1. Parcus illi gravisque, sed efficax sermo, in conviviis tam lætus hilarisque gravitate submota. Cuius aliquando causam rogatus *Lupini*, ait, *quamvis amari, aqua tamen perfusi dulcescunt.* Ceterum frugali habitu victuque, ut nunquam morbis vexatus sit. Summæ Athenis venerationis, fideique apud omnes, ut huic in ceteris urbis claves crederentur, corona ab iisdem donatus aurea.

2. Adolescentem multa garrientem his verbis increpuit: *Duas nobis aures natura, os unum largita est, ut multa audiamus, loquamur pauca.* Discipulum arrogantem verberibus verbisque corripiens, *non*, ait, *qui magnus, bonus est, sed qui bonus, magnus.* Etiam cum doceret, discere apud Polemonem non erubuit, ex occulto audiens, cui aliquando Polemon: *non lates nos Zeno, qui nostra furaris dogmata.* Schola egressus cum lapsu offenderet, infregissetque digitum, terram manu feriens; *venio*, ait, *quid me vocas?* simulque ingressus domum laqueo gulam fregit. Rex Antigonus ejus morte indolens, *quale* inquiebat, *spectaculum perdidi!* Quale inquam. *Multa*; ait, *magnaque in illum dona contuli, sed nullis potuit inflecti illius constantia.*

3. *Cleanthes* eius discipulus, robusti corporis pugil, sed ingenio tardior, improbo tarditatem labore pensavit, noctu pro mercede ad lucernam hauriebat aquas, ut inopiæ consuleret, unde & φρεάντλης, puteos hauriens, dictus est, & alter

terà diurno nocturnoque labore sustinendo Hercules; quanquam alii Asinum compellarent, quibus ille, *Zenonis sese Asinum esse*, nec invitum ejus ferre sarcinam, cuius dicta cum charta non suppeteret, in testa ossibus boum exarare consueverat. Nec inutile studium; cum in cæteris dignior visus sit, qui Zenoni succederet Dii laboribus omnia vendunt.

4. Gratus fuit Atheniensibus: adeo, ut cum Sositheus Poeta illum in theatro velut insanum traduceret, ipso præsente atque ad ludibria immoto, populus indignatus Poetam ejecerit. At parcite, inquit, nam *& Herculi à Poetis illuditur*. Ipsius industria proverbio locum fecit: ut elaborata, ad *Cleanthis lucernam* referantur

5. *Chrysippus* Tarsensis ex Zenonis & Cleanthis disciplina successor peracri acutoque ingenio, ut *Chrysippeum acumen* in proverbium venerit Quare Stoicis laudem præcipuè æternitatemque conciliavit, septem facile ac septingentis voluminibus ex hac disciplina conscriptis, non paucis etiam ad suam mutatis sententiam. *D*ialecticen tanta claritate pertractasse ferunt, ut si illius apud Deos usus foret, non posset illustrius.

6. Carneades tantum se ex viri scriptis sapientiæ hausisse sensit, ut assereret: *nisi esset Chrysippus, ego talis non essem* Mortuum alii ex dulci mero largius sumpto dicunt: alii ex oborti risus immoderatione, dum appositos domi ficus asinum comedentem reperisset, adjecissetque, haustum vini eidem porrigendum esse.

7. Post hos *Seneca* Cordubensis ex Hispania, & *Epictetus* Phryx, stoicæ uterque disciplinæ nobilissimus assertor, sub Nerone Imper. floruerunt. Et uterque quidem præceptis, Christiano dignis homine de virtute disseruit, ille aliquot scriptorum voluminibus, hic parvò enchridio, multis libris æquando. Ille Neronis magister, magno cultus operę auctusque ante Tyrannidem divitiis, mox ubi degener Imper. Pisonione Senecam conjurationis habuisset suspectum, veneno sublatus est.

8. Hic Epictetus Epaphradito Neronis familiari servus, ad Domitiani pervenit tempora, cujus non ferens dominatum Hierapolim transiit, tanta brevi veneratione acceptus, ut à morte in omniū adhuc memoria vixerit, & solam Epi-

cteti lucernam Lucianus Syrus tribus drachmarum millibus emerit.

Epicurei.

9. *Epicurus* Athen. auditor Xenocratis, tum quando Aristoteles docebat in Chalcide Hic quamvis omnium voluptatis sectatorum princeps feratur, non tamen illa præcipue sensuum voluptate; in qua Aristippus; sed alia quæ sola mente percipitur, atque in doloris omnis consistit absentia, summum bonum constituebat. Homo igitur frugi laudatęque temperantiæ habitus, in tanto apud suos honore, ut plures vivo statuæ erectæ sint. Deorum quidem ille venerator, sed quorum ab humanis providentiam tolleret.

10. Tanti illum fecit Lucretius, ut hunc solem Philosophorum inter ceteros tanquam minora suspiciat sidera. Chrysippum & librorum multitudine, & rerum doctrina vicisse dicitur. Solum voluptatis usurpatum nomen ipsius gloriæ detraxit, quod ex posteritate multi ad corporis voluptates, Philosophi illius autoritate cohonestandas, transtulere, sed plerique nulla digni scriptorum memoria. Redeo nunc ad superiorum ætatum Philosophos.

CAPUT XV.

Pythagorici.

Pythagoras ex Samo Insula Pherecidis auditor, Anaximandri æqualis circa Olymp. 60. maximè floruit. Hic postquam in Ægypto Gymnosophistas, in Persia Babylonios, & Chaldæos audiisset, novæ ipsius Philosophiæ professor in Samo primum, deinde, Polycrate illic Tyranno invalescente, Crotone in Italia factus est.

1. Harmoniam quandam musicam, in collisione cælestium inter se corporum esse sensit, animamque cæli esse particulam atq; ab æterno aliis aliisque corporibus extitisse ratus est, sua ex natura immortalem, ideoque duratura semper

semper metempsychosi, seu transmigratione, aliis aliisque in hominibus victuram. Ita se primum Æthalidem Mercurii fuisse filium, hoc mortuo Ephorbum, deinde Hermotimum, Pyrrhum denique, ac postea *Delium* piscatorem postremo factum esse Pythagoram memorabat, atque exinde antiquitatis magnam sibi adhuc superesse memoriam dictitabat.

2. Nihil quod vitam motumque haberet, edendum censuit. Unde parca frugalisque Pythagoreorum mensa fuit. Porro apud Crotoniatas, hac novitate, & viri moribus captos, tanta autoritate vixit, ut ab eo leges acceperint; totamque reip administrationem in illius discipulorumq; (quos 300 habebat) manibus esse passi sint, felicem illam rati, quam sapientes regerent. Mors illius incerta est.

3. *Empedocles* Pythagoræ, ut videtur, auditor, Agrigentinus Poeta & Philosophus, floruit olymp. 84. Nonnulla Pythagoricæ disciplinæ adjecit mutavitque. Et concordi elementorum compositione constare omnia, ex eorundem discordia rursum omnia dissolutum iri sensit. Duos orbes dimidiatos, alterum igneum, qui ferret diem; alterum aereum, qui noctem daret, circa terram credidit gyrari. Solem repercussum ex igne lucem in crystallino esse corpore sensit: lunam constrictum ex aere, velut congelato corpus à sole illustrari. Mentem illic maxime vigere in homine statuit, ubi plurimus est sanguis, nec in capite, aut pectore sedem habere potissimam.

4. Pertinacissima ab aliis æmulatione dissidebat. Insignis arrogantiæ mortalis, ut qui ventis sese etiam imperare posse jactaret, eosque credebatur excoriatis bobus aliquot eorumque ex pelle utribus per montes dispositis, continuisse. Denique ut Dii immortalis, ab hominibus ad cœlos transgressi, sibi honores vendicaret, in Ætnam se præcipitem egit, verum crepidæ ipsius ferreæ per incendium rejectæ vanissimam hominis ambitionem prodidere.

5. *Archytas* Tarentinus tempore Platonis vixit inter Pythagoreos nobilis. Hic Princeps Tarentinorum atque exercituum ductor, sæpius cum hoste congressus, nunquam superatus est. Invidiæ denique coactus cedere

secum

secum fortunam & victoriam à Tarentinis transtulit.

6. Primus hic in mathematica arte reliquorum mortalium ingenia transcendit, ac ligneam columbam tam affabre effinxit libravitque, ut vivæ motum volatumque imitaretur, cubi quoque repertor, & puerilis crepitaculi, quo illos à ceteris ludis noxiis avocaret. Unde in loquaculos illud fluxit Proverbium, *Archytæ crepitaculum*. Præter hunc alii minus celebres Pythagorei, ut *Epicharmus, Almæon, Philolaus*, aliique quos brevitatis studio negligimus.

CAPUT XVI.

Incertæ sectæ Philosophi.

HEraclitus Ephesius olymp. 69. inclaruit, à plerisque sine magistro ad Philosophiæ cognitionem sese applicasse fertur. Juvenis nihil se professus scire, senex nihil ignorare, in scriptis tamen, de industria, obscurus, ne vulgo sapientiam proderet, ideoque, σκοτεινός, tenebricosus dictus est. Ex igne constare universa atque in eundem resolvi tradidit.

1. Ad principatum, & remp. administrandam à suis vocatus civibus, ad pueros lusum concessit, dicens illic se utilius operam impendere, quod perquam sit difficile, adultos in malitia ad frugem reducere. Neque ignorabat Hermodorum Principem jam ante à suis expulsum, lege lata; ne quis inter eos excelleret. Ob quam legem omnes Ephesios dignos morte censebat, ut lib. 5. Tusc. q. de eo Cicero. Cum in publicum prodiret, sæpe mundi vanitatem deflere conspectus est, uti eandem postea risit *Democritus*.

2. Postremo, exosus humanam consuetudinem, vixit in solitudine; donec aqua intercute laboraret, Medicosque curationi accerseret, qui cum desperarent, ipse boum fimo corpus oblitum, (Suidas sevo bubulo memorat) dum in sole forte dormiens, exsiccaret, à canibus fertur esse dilaniatus.

3. Xeno-

3. *Xenophanes* Colophonius Heraclito synchronos, Homerum atque Hesiodum, tanquam improbe de Diis sentientes perstrinxit. Ipse Dei substantiam rotundam esse docuit, totamque cernere, atque audire, non tamen respirare; esse totam mentem, prudentiam, ipsam æternitatem; cætera omnia quæ fiunt, corruptioni esse obnoxia: infinitos esse mundos, atque universa in his incomprehensibilia constituit.

4. *Parmenides* Eleates ejus discipulus olymp. 99. floruit qui primus terram globosam rotundamque docuit, Hominem à sole generatum sensit, elementa præter ignem & aquam, nulla agnovit, solemque simul caloris frigorisque esse principium statuit. *Melissus* ex ejusdem disciplina, magis etiam stulte persuasus est; universum esse immutabile atque infinitum, motum vero non esse, sed tantum videri.

5. *Zeno* Eleates Philosophicæ disciplinæ magnus assertor, dialectica per se primum reperta, tum vero fortissimus maximusque patriæ libertatis vindex. Nam cum Nearchum tyrannum per conjuratam juventutem constituisset tollere, in ipso conatu deprehensus tormentisque admotus intimos quosque tyranni, tanquam conscios facinoris insimulavit, quibus sublatis, cum Nearchus percunctaretur, quisquamne reus superesset? Tu, inquit, reip. pernicies superes, simulque ad circumstantes versus; quæ vestra, ait, cives ignavia est, ut ejusmodi tyranni jugum perferatis? simul præcisam dentibus linguam, ne quem deinde ex conjuratis indicaret, in faciem Nearchi expuit (alii ferunt illum dixisse, habere quod clam in aurem Regi diceret, ac mox arreptam mordicus inclinantis aurem, à capite divulsisse) quo facto animatos cives concursu facto raptisque lapidibus Nearchum obruisse.

6. *Democritus* Abderites olymp. 77. cum Socrate innotuit. Hic ditissimus, ut cuius parens integrum Xerxis exercitum suis hospitali in mensa excepit sumptibus, plerasque in studium sapientiæ opes, hoc est centum talenta impendit, ut Ægyptios, Persidis, atque Indorum Sapientes audiret. Domum reducē tenui victu in horti angulo à fratre Damaso nutritum ferunt, soli contemplationi rerum intentū, ac stulta mundi studia per contemptum ridere solitum.

7. In-

Intereà rerum multarum prædictione innotuit, tam sagax naturæ explorator, ut Hippocrati lac capellæ ostendenti, & primi illam partus, & nigram esse persenserit, quin & puellam illius comitem pridie virginem, postridie ubi corrupta fuisset, mulierem salutarit. Hic omnia ex atomis conflari existimabat, atque infinitos esse mundos, eosq; corruptioni obnoxios.

8. Denique ne quid mentem à sapientiæ studio distraheret, fertur æneæ pelvis, in sole, fulgore oculorum lumen extinxisse. Tanto apud suos in pretio, ut cum ob consumptam hæreditatem ex more patrio sepulchri honore privandus esset, etiam 500. talentis ac statuis publicis honoratus sit. Moriturus, ut instans propediem Cereris festum dignis votis prosequeretur; triduo vitam produxit, calido identidem pane naribus admoto.

9. *Diagoras* Athen. à Democrito redemptus in libertatem servus dissimilis Magistro Philosophus fuit, nam Deos (ut quos esse negaret) eorumq; cultum derisit. ab Atheniensibus iccirco pulsus ac talento ipsius interfectori constituto. Qui cum in navi aliquando tempestate gravius concussâ veheretur (ut Cic. de nat. Deor.) & ceteri Deos sibi iratos ob Diagoram, ea vectum, quererentur, ad proximas ille naves digitum intendens, inquit: nunquid in illis etiam feruntur Diagoræ.

10. *Protagoras* ejusdem Democriti discipulus, cum nec Deos negare, nec adstruere vellet, ab eisdem Athen. pulsus est, libris flamma abolitis. Oratorum idem induxit certamina. Ejus arrogantiam Plato graviter perstrinxit.

11. *Anaxarchus* Abderites olymp. 110. floruit, Alexandro Magno in paucis charus. Ab hoc quodam inter epulas instructissimas interrogatus: nunquid ad hunc apparatum addi posse judicaret? respondit, nihil, nisi caput unius Satrapæ; Nicocreontem Cypri tyrannum mensæ assidentem intuens, innuensque. Qua hic libertate perstrictus, gravem animo iram excoquens in ultionem fuit intentus, ac denique opportune comprehēsum, in saxo excavato, lenta supplicii mora contudit, Anaxarcho inclamante, *tunde, tunde Anaxarchi vasculum, Anaxarchum non tanges*, cumque iccirco præputari linguam juberet, sponte præmorsam in tyrannum expuit. Sed de his aliisque Philosophis consule

pro-

præter Plut. & Suid. Laertium in vita Philosoph. cum brevitatis studio magis tantum illustria complecti, fas mihi fuerit.

CAPVT XVII.

Illustrium Medicorum ortus progressusque superioribus seculis.

MEdicinæ studium maxime apud Græcos, celeberrimis hac in arte Medicis, effloruit. Sed alii aliis curationum viis morbos expugnare aggressi sunt, quisque ut humanum fert ingenium, suam habuit potiorem Clinicen alii sectati sunt, quæ aut victu & diæta pharmacis humano corpori medetur: alii Pharmaceuticen, quæ tantum medicamentis curat; Empiricen alii, quæ experimentis potissimum nititur, hominum morbum, naturas minus intuetur. Denique & Jatrolepticen, quæ curat unguentis. Nunc ex omnibus præsidia huic arti quærunt, licet uni præcipue methodo plerique addicantur.

1. *Chiron*, Achillis instructor, primum vires herbarum ad idoneum medicinæ usum adhibuisse dicitur, ac Phœnici Amyntoris filio visum reddidisse, cujus discipulus *Æsculapius*, Hippolytum & Androgeum ob sanitatem redditam, vitæ restituisse à Poëtis dictus est, atque iccirco etiam à Jove fulminatus, quod Ditis imperium invasisset. Filii illius *Machaon* & *Padalarius* ab Homero Græcis, in Trojana obsidione, egregiam præstitisse medendo operam feruntur, & ille quidem, chirurgica præstans, Philoctetem venenata Herculis sagitta ictum curasse, hic internorum morborum cognitione valuisse dicitur.

2. Postea illustris nulla extat Medicæ artis memoria, donec ut Plinius lib. 29. c. 1. circa olymp. 80. *Hippocrates Cous* in Græcia clinicen, & *Acron Agrigentinus* in Sicilia Empiricen illustrare cœpit. Et ille quidem in Coo, Æsculapio consecrata, ista quæ dabantur eo affluentibus passim

ægris

ægris oracula , suis deinde convalescentium testimoniis probata, atque ex more ad simulachrum deposita, primum collegit; quibus, cum ingenio atque experientia artis plurimum adjecisset, summum primumque Medicinæ principatum est assecutus.

3. Multa is servasse à pestilentia ingravescente oppida memoratur, ut victus in Prytaneo Athenis illi decretus sit, libris LX. universam primus Medicinam complexus est. Artaxerxi Regi Persarum charissimus, cuius tamen favorem opesque patriæ terræ posthabuit. Vitam ad quartum & centesimum annum propagavit.

4. *Prodicus*, Selymbriæ natus, discipulus Hippoc. ut & suo se usum ingenio probaret , Jatralepticen præ Clinice probavit. Sed *Chrysippus* Philosophorum acutissimus, magna hæc non magis subtilitate, quā garrulitate, omnia subvertere conatus est, cuius vestigiis illius discipulus *Erasistratus* Aristotelis filia genitus inhæsit, quē ob Antiochum Regem à morbo liberatum, talentis 50. à filio Rege Ptolomæo donatum accepimus. His successit.

5 *Herophilus*, qui prioribus scholis damnatis, in musicos pedes venarū pulsu descripto singulos ætatum gradus docuit observari Sed cum hæc paucis tantum doctorum tradi possent, ea secta brevi evanuit. Inter hos etiam *Menecrates* Syracus. tanta Medicæ scientiæ arrogantiæ notus fuit, ut gratis curaret , modo *Iovis* illum titulo ægri honorarent. Unde Agesilao Lacedæm. Regi, suis ad illum literis, inscribere ausus est, *Iupiter Menecrates Agesilao salutem* : cui ille respondit hac epigraphe *Agesilaus Menecrati sanitatem*.

6, Prodiit deinde sub Attalo Rege *Asclepiades* Prusiensis Cn. Pompei familiaris, frustraque à Mithridate Ponti Rege sollicitatus, quædam tamen ad illum volumina præscripsit, qui balneis, vino aliisq; medicinę blandimentis curabat ægros, eis sopiendis agitabiles lectos composuerat, atq; in cibi potusque abstinentia præcipuam collocabat morborum curam, de quo plura Plin. l. 7. & 26. c 3. Ab hoc magna cœpit esse Romæ Medicorum autoritas, censusque annuus constitutus est 250. H.S.

7. Donec *Thessalus* Trallis in Lydia natus, sub Nerone Romæ insigni quadam rabie, & superbia laceravit majorū placita. Post quem *Crinas* Massiliensis , ut [illegible]utior religiosiorque

fiorque ex ephemeride mathematica cibos dando horasque observando, autoritate illum præcessit, ac præter alia H. S. centies reliquit, muris patriæ reficiendis. Subinde ex eadem Massilia *Charmis* emersit, qui majori etiam licentia prioribus Medicorum placitis eliminatis, calidisque balneis proscriptis, frigidâ, hibernis etiam algoribus, lavari persuasit. Ita omnes famam aliquam ingenii hac novitate captantes, tantò à veritate constat abfuisse longius, quanto à seipsis gravius dissidebant. Hactenus *diversis locis Plinius.*

8. *Galenus* denique Pergamus paulò post *Cornelium Celsum* Medicorum Ciceronem tempore Marci & Commodi Imper. summo vir ingenio floruit, qui an. ætatis 17. eloquentiam, Philosophiam, & Mathesin assecutus (ut Gesnerus in ejus vita) Medicinæ se dedit, Hippocrati, in quem multa conscripsit; palmam erepturus. qui tantæ in victu temperantiæ fuisse dicitur, ut nunquam satur mensâ abierit; opum sortisque humanæ tam insignis spretor, ut nunquam ex quacunque fortuna affligi visus sit, vitamque hac moderatione ad 140. annos produxerit.

9. Postremò circa an. 1149. eodem penè tempore *Averroës* Mahumetanus Cordubæ in Hispania, & *Avicenna* Arabs in Persia extitit, summi uterque ingenii: & ille quidem speculatione præstans; hic etiam praxi. Ille ab abysso scientiarum & subtilitatis nomen sortitus, ac proinde eos Medictorum dictus: hic anno 18. ætatis jam Philosophus, Medicus, Magus, & Alchimista eximius, universam medicinam tanto ordine tradidit; ut methodica ratione, præter Galenum, universos superarit. Intemperanti tamen Venere medicamentis nequicquam sustentatam vitam, inconsultius profligavit. ut *Nicol. Massa in ejus vita.*

Quæ de variis Græcorum artificibus, ut de Phidia & Polycleto statuariis, Zeuzide, Parrhasio, Apelle, & Protogone pictoribus aliisque magnifica prædicantur, omnium scriptis nota sunt, neque ad nostrum propositum spectant, ut icciirco hic lubeat acquiescere.

CAPUT XVIII.

De antiquitate Urbis Romanæ.

QVicumque ad aliquam inter Romanos eloquentiæ facultatem adſpirat, hunc veterem Romanæ Vrbis hiſtoriam, originem, mores, inſtituta hujus gentis, diſciplinam in toga ſagoque uſitatam tenere, neceſſe eſt. Neque enim, citra hanc cognitionem, priſcos Rom. eloquentiæ aſſertores. Ciceronem, Livium, Plinium, Terentium, alioſque, ſatis quiſquam, vel legendo aſſequatur, vel imitetur ſcribendo. Paſſim ſeſe illa in omnem ſermonem inferunt; ut nec hodie cultum quippiam; ſine his ornamentis reperias. gaudet enim Oratio diverſo, quàm corporis habitus, ornatu: hic novitate gratus eſt, ille vetuſtate ſplendeſcit.

Quocirca breviſſimè florem tantùm antiquitatis delibabo, ut rudi juventuti, & aliorum autorum præſidio deſtitutæ, maximè neceſſaria cognitu ſuppeditem, facemque ad ulteriora tendenti accendam. Ceterùm in his fuſius verſari *Dion. Halicarnaſſeum, Livium, Polybium, Vegetium, Ælianum, Gellium, Macrobium, Alexandrum ab Alexandro, Macrobium, Lilium Gyraldum, Roſinum & Dempſterum, Marlianum, tum Iuſtum Lipſium, Scottum & Bulingerum & Sigonium* comperier.

§. 1. Romani primam ſuæ gentis originem ab Ænea Trojanorum Duce, Virgiliano carmine celebrato, ducunt: nam Sylvius illius ex Lavinia poſthumus cum aliis undecim ex ſua poſteritate Albanorum Regibus, in quibus Amulius debitum fratri Numitori regnum præripuit, filium eius Ægeſtum dolo ſuſtulit, natamque ex illo Iliam (alii Rheam aut Sylviam nuncupant) veſtalium, innuptè viventium, collegio addixit; ne quis in ſe ſuoſque ex Numitoris genere vindex eſſet. Sed Ilia, ex Marte (ſic, Patre ignorato, fingere placuit) gravida, Romulum Remúmque uno dedit partu, qui juſſu Amulii ad montem Palatinum expoſiti,

positi, Lupam habuêre nutritiam, dum Faustulus Pastor repertos uxori suæ Accæ Laurentiæ educandos tradidit. Adulti, re & genere comperto, juncti Avo Numitori Amulium regno vitâque exuunt, ipsi Coloniam eô loci ducunt, ubi expositis Lupa præbuerat ubera. Ductâ urbe, auspiciis de principatu fratres contendunt, in quibus cum vultures XII. contra senos adduxissent Romulo, contentione obortâ, Remus fratris ferro occubuit.

§. 2. Vrbs ab autore nomen sortita; principio parva, montem Capitolinum & Palatinum cum suis inclusit vallibus, verum Sabinis deinde, Albanisque devictis, ac Romam translatis, Tullus montem Cælium adjecit, Ancus montem quoque Aventinum Latinis traductis concessit, trajectoque ponte sublicio Tiberi, Ianiculum addidit; quibus cum Servius Tullius, Rex sextus Romanorum, tres alios, Quirinalem, Viminalem, & Esquilinum junxisset, muroque atque aggere cinxisset, ad majorem quàm nunc extat, amplitudinem provexit. Siquidem illi hodie muri, quos Hadrianus I. Pont. Max. cententis aureorum millibus eduxisse fertur, Transtiberina regione & Burgo juncto ad quindecim excurrere tantum passuum millia feruntur; cùm veterem murorum ambitum ad 50. vel, ut minimum, 28. extendant. Portæ olim triginta, nunc una & viginti numerantur. Montes plerique jam deserti, Palatinus hinc veterum ædificiorum rudera sustinet, inde vinetis cultus est. Capitolinus Iovis olim capitolio, & 60. facilè sacellis, totque triumphantium pompis celeberrimus honorem penè omnem exuit. Cælius templum S. Ioannis & Pauli, Esquilinus S. Mariæ Majores & S. Petri ad vincula, Viminalis S. Laurentii, Quirinalis S. Saturnini, Aventinus S. Sabinæ, Ianiculus S. Petri in Montorio & Domum S. Spiritus, complectitur. Vnus Vaticanus, haud procul à Tiberi, hac ætate nobilissimè excultus, D. Petri Basilicam, instructissimam bibliothecam, & Palatium Pontificis Max. inclusus à Leone IV. mœnibus, possidet. In Pincio quoque Templum SS. Trinit. à Galliæ Regibus extructum, & Palatium Magni Ducis Hetruriæ, cum horto, egregia antiquitatis specie exculto, eminet, ut distinctius infra [illegible]bitur.

§. 3. Divisa [illegible] olim in regiones tres, Ramensium, Tatiensium, & Lucerum, quas tribus dixit. Servius Tullius quatuor instituit, at quatuordecim Augustus: quot etiam-

num cum transtiberina consentur, sub suis quæque insignibus, à quibus & ferè nomen sortiuntur: ut Regio montium tres habet montes, columnæ columnam, Trejo tres enses, S. Eustachii Salvatorem inter duo cornua, Pontis pontem, Regola cervum, Ripæ rotam, Capitolii caput Draconis, Parionis gryphem, Pineæ conum fractum pinus. Campii Martii Lunam, S. Angeli Angelum, Burgi Leonem thoraci incubantem. Regio quæ templum S. Petri in vinculis complectitur, olim à navium carinis (quas ædes referebant) nomen duxerat. Nos præcipua antiquitatis vestigia decurramus.

§. 4. *De Capitolino Monte & regionibus adjacentibus.* *Capitolinus* mons sic dictus à capite humano in Capitolini templi fundamentis locandis reperto, Saturninus quoque appellatus est, ab oppido Saturnia, quondam vicino. Tarpeius quoque à Virgine Tarpeia, quæ proditionem arcis (ex quâ descenderat aquatum) Sabinis obsidentibus, pro armillis pacta, scutis ex brachio suspensis, (tanquam præmio) oppressa, loco nomen fecit. Templum Capitolinum octo complexum in circuitu jugera, à Tarquinio Prisco cœptum à Superbo absolutum, sed, per Mariana consumptum bella, à Victore Sylla rursus excitatum, arsit iterum Vitellio imperante, & à Vespasiano Cæs. instaurari cœpit, à Domitiano verò nobiliori, quàm unquam opere, absolutum XII. millibus talent. impensis. Tria in illo sacella eminebant, Iovis Feretrii in medio, Minervæ à dexteris, & à sinistris Iunonis. Aquilâ unâ superiori in fornice omnes obumbrante. Quotannis huc, ad dexterum Minervæ latus, clavus à Prætore pangi solitus, ex quo annorum numerus, apud rudes etiamnum literarum populos constitit. Ex hoc templo per fistulas subterraneas aqua ceteris Deorum templis, tanquam à Iove, suppeditabatur. Summani Dei simulacrum in templi fastigio collocatum, cœlo ictum, & nullibi postea repertum caput (ut Cicero) amisit. Terminus hic etiam Deus in rudi lapidis forma cultus est, qui Tarquinio superbo Deos ceteros à Iove submovente, solus cedere noluit, bono omine, quod imperium Romanæ urbis Terminum orbis habiturum crederetur.

§. 5. Iuxta eundem clivum templum [illegible] Iovi Feretrio dedicatum, quem sic à ferenda ope dixêre, [illegible]m Iove invocato hostes ingruentes stitissent: ubi nunc templum est P. Franciscanorum, *Ara cæli*, nuncupatum. Cui oppositum olim aliud

liud Væjovis templum, Iovi non juvanti addictum, qui instructus sagittis tantum minabatur; ut qui censerent etiam iratum Numen plectensque nocentes colendum esse. quo nunc loco *Palatium conservatorum* cernitur.

Sed & Iovi Tonanti erexit Augustus Basilicam, postquam, servo juxta se fulminato, ipsius etiam lectica illie perstricta fuisset. Ita & Iovi Sponsori ædem Tarq. Superbus statuit, & Pistori quod per somnum moniti, ut omne frumentum pinserent, & panes in castra Gallorum obsidentium devolverent, quo facto illi abundare Romanos rati, cessêre desperata arce.

§. 6. Iunoni Monetæ, postquam monuisset Romanos de Gallorum insidiis, eò loci ædes excitata, ubi, Manlius de saxo ex arce turbatus est.

Iunoni Reginæ ibidem C. Flammineus contra Ligures Victor basilicam erexit, Misericordiæ quoque templum, Asylum dictum, Romulus in luco inter Capitolium & arcem instruxit, quo ingentem scelleratorum multitudinem & servorum traxit ad armorum societatem, Ita Fidei, Bono Eventui; Fortunæ, Victoriæ, Menti, Iustitiæ, item Marti, Nemesi, seu Rhamnusiæ aut Adrasteæ, Deæ superborum ultrici, Herculi, Castori & Polluci, Iano bifronti & quadrifronti cum Saturno templa illic constituta sunt. Iani custodis ædes fuit ubi custodia scelleratorum est. Veneri etiam Calvæ educta sedes, quod capta à Gallis urbe, mulieres capillos, deficiente lino, ad bellicas machinas instruendas obtulerint.

§. 7. Tabulæ legis in Capitolinæ ædis custodia erant. Locus hic etiam sacer, verbena ferax fuit, ex qua feciales, & Pater Patratus coronati ad sanciēda veniebant federa, vel bellum indicebant. ibidemque juraturi per Iovem lapidem, his se verbis obstringebant, arrepto manibus lapide, *si sciens*, ajebant, *fallo, tum me Diespiter, salvâ urbe & arce, bonis ejiciat, ut ego hunc lapidem;* quem simul evibrabant. Q. Catulus tegulas Capitolii æreas auro obduxisse fertur.

§. 8. Descendentibus versus Rom. forum, offertur L. Septimii Severi arcus triumphalis ad radices Capitolii, marmoreus atque etiamnum integer, bellicisque ipsius, terrâ marique expeditionibus insculptus, luçulenta utrimque Imperatori facta inscriptio.

Columnæ illic 8. ex Concordiæ templo adhuc ingentes visuntur. Camillus illud vovit statuitque, cum plebem Patribus

conciliasset. Variorum illic Deorum simulacra, Iovis, Iunonis, Minervæ, Latonæ, Appollinis, Dianæ, Bacchi, Martis, Mercurii, & Victoriæ. In hoc frequenter Senatus, & conciones habitæ.

§. 9. Ad sinistram clivi Capitolini carcer est ab Anco Marcio cœptus, à Servio Tullio pars adjecta subterranea, quæ Tullianum appellatur, in qua de conjuratis Catilinæ sumptum est supplicium, nunc *S. Petri in carcere* dicitur, quanquam Eudoxia condito in Esquiliis templo *D. Petri ad vincula.* eò festivam memoriam transtulerit. Martii olim ultori templum illic ab Augusto post bellum in Pharsalia Philippense extructum fuit, ubi nunc *S. Martina* colitur.

§. 10. In Saturni æde, qui nunc S. *Hadriani* est, ærarium pop. Romani fuit, in quo Scipionis Æmiliani tempore reperta xi. millia librarum auri puri, 92. millia argenti, & infinitus prope cusæ pecuniæ numerus. In hoc Appius Claudius Cento semel 5000. auri & 1000. argenti pondo intulisse fertur. Hic & tabulæ elephātinæ 35. civitatis tribus complexæ; acta publica & senatus consulta; devictarum provinciarum spolia, & signa militaria; quorum duo erant genera Romanis usitata, cœruleum pro equitatu, pro peditatu purpureum.

§ 11. Veneri hic olim genetrici templum, nunc *Mariæ Liberatrici* rectius, inscribitur. Columna illic (preter tres striatas, fragmenta porticus Liviæ) quæ auream olim habuit Domitiani contra Germanos triumphantis statuam, cum Rheni fluvii statua ad pedes procumbente, quæ hinc ad carcerem Tullianum, seu radices capitolii, translata, *Marforii* nomen tulit, obelisci pilā supernè impositam sustinentis. Hic ab argutis cavillis affigi solitis, quibus *Pasquini* statuæ gladiatoris, in extremo vico Parionis, respondet, celebris est.

§. 12. In capite fori Rom. ad ædem Saturni memorabilis columna, miliarium aureum dicta extitit, Vespasiani Imp. opus, à quâ ad portas singulas mensuræ regionem urbis ducebantur, quæque incisas definitasque omnes per Italiam vias exhibebat.

§. 13. Templum Pacis, unum ex tribus urbis templis nobilissimis (ut quod præter se, Capitolium & Pantheon haberet eximium) à Claudio Cæs. inchoatū, à Vespasiano absolutū, juxta ædem *S. Mariæ Novæ*, insigni adhuc striati operis columna, quæ omnium Romanæ urbis habetur maxima, atque altis-

altissima, superstes visitur. In hortis Mariæ Novæ duorum adhuc templorum alti rotundique eminent fornices, qui Solis ac Lunæ, seu, ut alii, Isidis & Serapidis, fuisse memorantur. Vulcano item & Æsculapio suæ hic quondam ædes. Castoris & Pollucis rotundum duobus ædificiis templum, nunc *SS. Cosmæ & Damiano* consecratum.

§. 14. Vicina his & Pacis delubro Curia est Hostilia, ab autore Tul. Hostilio dicta, quo Senatus de rebus arduis acturus conveniebat. Incensa per insolentiam plebis est, cum P. Clodii, à T. An. Milone cæsi, corpus rogo absumerent. Hic Rostra vetera sita erant, nova haud procul à radicibus Palatini visebantur, suisque etiamnum in parietinis extant, Nomen à rostris navium illic appendi solitis traxerunt. Ceterum causis agendis ferendisque legibus, ac concionibus ad populum habendis usurpata. Vnde Ciceronis toties pro rostris vox audita est.

§. 15. Nec procul hinc via sacra, quæ à foro Romano per arcum T. Vespasiani ad amphitheatrum, vulgo Colosseum, vergit. Sic dicta, quod augures illâ, ad peragenda sacra, in capitolium procederent. Titi verò arcus cum triumphali eius curru adhuc spectabilis, hac inscriptione, eminet: *Senatus pop. q. Rom. D. Tito D. Vespasiani filio, Vespasiano Augusto*, Erectus illi post captam eversamque Hierosolymam. Victoria & triumphi species insculpta refert arcam federis, candelabrum septiceps, mensam propositionis, Decalogi tabulas, & aurea sacrorum vasa.

§. 16. Plura fora ad unum ferè Romanum concurrunt, hoc à Capitolio ad S. Mariam Novam excurrit, nobilissimum jam à Tarq. superbi tempore, tabernis & porticibus, templis deinde etiam ac basilicis, ut Roma Strabone teste hic sola eminerer. Comitium illi jungitur, ad quo S.P.Q.R. de Reip. Commodis deliberaturus coire solebat. Forum aliud Iulii Cæsaris à Faustinæ porticu usque ad *S. Martinam* excurrit, breve, sed magnifici operis. In medio Paulus Æmilius, oblata sibi à Cæsare, ad favorem illi tribuendum, pecunia mille & 500. talent. basilicam rara eduxit elegantia. In solum fori pavimentum expendit Cæsar H.S. millies. Forum Augusti Cæs. eidem ferè connexum juxta Marforii statuam est, ubi de bellis triumphisq; senatusconsulta instituta

 sunt,

sunt, ex quo Provinciæ aditæ victoriam ad illud relata insignia. In hoc Faustinæ porticus & Antonini, præclaris columnis juxta ædem *D. Laurentii in miranda*, etiamnum visuntur. Forum Nervæ Cæs. (hodie transitorium, à transitu ad forum Augusti & Romanum dicitur) juxta ædem *S. Hadriani* est, cui nobiles porticus, arca Nervæ, nunc corrupte arca Noe appellata, jungitur: quanquam suis tandum ruderibus extet, ad dextram quoque reliquiæ duorum arcuum, Palatiique Nervæ sumptuosissimi, spectantur: in medio ingens ex ære columna aurichalco tecta, & variis simulacris exculta.

§.17. Forum denique Trajani inter Capitolium, collem Quirinalem, & Nervæ forum, porticu, magnisque epistiliis & variis statuis spectatissimum, ut Constans Imper. in ejus admiratione hæserit. Columna illic Trajano contra Persas absenti erecta est, ad quam 150. gradibus (quot & pedum ferè erat) conscendebatur, sed hanc contra Persas absens, atque in via moriens, non tenuit nisi in apice sepultus. Spectatur hodiedum haud procul à templo *S. Mariæ de Laureto*. Cetera Romanorum locis aliis instituta fora, ut Piscarium, Olitorium, Boarium, Suarium, sua se produnt appellatione, necessitati reperta, non gloriæ. Fuere & alia, ut Salustii, Archimonii, Diocletiani, Palladii, Ænobarbi, Esquilitium, Rusticum, & Cupidinis, quorum duo priora, illud juxta ædem S. Susannæ ad portam Salariam, hoc juxta S. Nicolaum Archimonii superest, reliquis sua etiam interiere Romæ nomina.

CAPUT XIX.

De Palatino & adjacentibus.

Palatinus à Palante Evandri Regis proavo sic dictus, cultusque jam ante à Roma Ascanii nepte, nunc hortis tantum Farnesianis & D. Nicolai ædicula notus, qui olim Imperatorum ac Regũ sedes fuit, ut superbissimis etiamnum fragmentis testatur. Caligula ingens hujus montis Palatium ad forum usq; promoverat, ut tota penè urbs ipsius & Neronis domo cincta videretur. Hic, post illustres multorũ Rom. Victorias, nulla adversa bellorum fortunâ corruptas, *Victoriæ* Virgini templum statuerê. *Febri* quoque dicatum

tum fanum, ne quod sibi, ut putabant, Numen paterentur adversarium. *Viriplaca* quoque, coram qua dissidentes conjuges in juratam redirent concordiam.

§. 1. Sed & *Fidei*, ac *Libertatis* templum excitatum est, illud jam olim ab Æneæ posteris conditum; hoc à Pub. Clodio in parte domus Ciceronis (quam hic à Crasso 50. mill. ducatorum acceperat) erectum: ut exulanti spem redeundi ad domum pristinam eriperet. Heliogabalus ibidem Deo Heliogabalo basilicam eduxit, ad quam nobilissima quæque antiquitatis monumenta transtulit; ut Palladium, quod erat simulacrum Palladis, olim de cœlo in arcem Trojanam illapsum, cum oraculi voce non perituram urbem dum illud servaretur, quo fato etiam ancile, seu scutum breve Rom. de cœlo Numæ tempore in urbem lapsum memoratur. Sed illud ab Vlysse prius Troiæ, quàm caperetur, subtractum per cloacas est: hoc multis admixtum similibus, ut falleret inquirentes, ab eodem Heliogabalo custoditum est. Matris Deûm quoque iconem huc transtulit, quàm Publ. Cornelius ex Asia advexerat, postquam ex libris Sibyllinis compertum esset, hac in urbem admissa, externum ab Italia hostem arcendum esse. Vestæ quoque ignem perpetuum, quem inviolatæ pudicitiæ Virgines alebant, illic voluit asservari.

§. 2. Hic & sacra Apollini bibliotheca græcis latinisque autoribus instructissima, & locus auguriis captandis illic sacer, ubi projecta à Romulo post augurationem ex Aventino in Palatinum montem hasta, fronduisse, atque in arborem excrevisse fertur. Ibidem & laurus una cum Augusto Cæsare nata creditur, ex qua deinde triumphantibus corona texi solita. Domus verò Augusti nobiles etiam ruinæ versus circum maximum spectantur, uti quoque ex templo Apollinis reliquiæ spirant, cuius in apice aureus solis currus conspicuus eminebat, & ipsi collocata memoratur statua L. pedum magnitudine, opus Scopæ artificis egregium.

§. 3. Haud procul à Titi Vesp. arcu *Græcostasis*, palatium erat amplissimum, quo variarum gentium legati excipiebantur. Hinc usque ad *arcum* alterum *Constantini* magni, quem de victo ad Miluium Maxentio erexerat, *velia* protendebantur, sic dicta; quòd olim, reperto nondum tonden-

di usu, ovium illic lanæ à cute vellerentur. unde & avulsis lanis vellerum nomen fluxit. Scauri quoque Palatium ingens ad arcum Titi, cujus atrium altissimis columnis XL. supra ipsa epistylia pedum, & Xystus columnis marmoreis pedum XXIV. suspensus erat.

§.4. Ad columnas porticus Liviæ *Templum* est rotundum *S.Theodosio* dicatum. prius à Romulo *Iovi*, ut aiunt, *Statori*, conditum, cum fugientem Rom. exercitum adversus Sabinos stitisset. quanquam alii eminentia illa rudera jam veteri insersta Curiæ, Statori deputent. Quod si hinc à foro Boario ad Circum maximum contendas, invenies humiliori loco, juxta aquas manantes, fornicatum opus sub ipsis ductum montibus, partem cloacæ magnæ. à Tarquinio instructæ, ut, receptaculum totius urbis sordium, easdem in Tiberim deveheret. Cui lacus adiacebat Curtius, ex qua dum pestilentes nebulæ tota urbe luem spargerent, Curtius pro patria, Diis sese iratis hostiam devovens, in eam se voraginem immisit, pestemque sua morte sustulit.

§. 5. Haud procul & lucus Numæ Pompilii, in qua sibi familiarem Nympham Deamque Egeriam sacrorum instituta ritusque tradere professus est, ut Romanorum prompta ad hæc voluntate uteretur. Busta ibidem Gallica, ubi nunc Ecclesia S.Andreæ, de Portugallo traducta voce, fuisse memorantur: quòd Gallorum Senonum, illic magna clade à Camillo urbis liberatore prostratorum, cineres conditi fuerint.

§. 6. Relicto ad lævam Palatino, ad dextram Aventino, Templum illic Numa quondam Iano Bicipiti, juxta Marcelli theatrum, collocatum accepimus, portis geminis, belli semper tempore patentibus, ter solum omni Romanorum ætate clausis (ut in Pace constitutũ) videlicet, à Numa pacifico primum, deinde à T.Manlio Cons. denique ab Augusto Cæsare nascente Christo, quando Pax toto orbe celebrata.

§.8. Templum quoq; *Pietatis* ad forum Olitorium, nunc S. Nicolao in carcere nuncupatum, raro filiæ erga Patrem captiuum pietatis exemplo originẽ habuit. Hic enim, ut inedia conficeretur inclusus, filiæ sæpius adeuntis, ac diligenter, ne quid ferret, excussæ, lacte diu nutritus, est: donec, re comperta, vitam, cum æterno huius facti monumento, obtinuit. *Carmente* ibidem fanum & ara, sic dicta, quòd Carminibus oracula funderet. Hoc mulieres collatis sumptibus erexe-

erexerant, postquam adempta sibi prius vehicula ex Senatus C. recepissent.

§. 8. In foro Boario (quod à Caci bobus, ab Hercule immolatis, sic dictum fertur) templum *Herculis Victoris* rotundum erat, in quo ipsius expressa facinora in simulacris vivebant. In hoc nec muscæ, nec canes unquam dephrehensi. quod Herculem memorent, ingressum, hic Magirum Deum Muscarum placasse victima, ut à sacrificiis muscas averteret, simulque clavam juxta ostium in terrorem canum depositam reliquisse, quæ deinde horrorem illic fatalem canibus incusserit. Sacris hisce servis libertisque interdictum. Vti ad aram, quæ illic Herculis erat, maximam, mulieribus veritum erat accedere, neque quicquam ex oblatis, aut gustare, aut tangere; licet ceteri affluerent catervatim accolæ, seque beatè victuros crederent, si, collatis hunc Deum decimis, essent venerati.

§. 9. *Pudicitia* ibidem *patricia* (ut in vico longo *plebeia*) ædem habuit, & hæc quidem à plebeia Virgine excitata. Magnus enim apud Romanos Virginitatis honor, ut si qua Vestalis illam violasse deprehensa esset, defoderetur viva. Lucretiæ etiam castè mori, quàm inceste vivere malentis, summus illa in urbe honos; ut Tarquiniorum, regnum suum. Venere inquinantium, execratio. Certè Bruto vindicante, violata pudicitia Romanos Reges urbe proscripsit.

§. 10. Varia & hîc, & alibi per urbem *Fortunæ templa*, à Servio Tullo erecta; quòd Fortunam domi sibi forisque semper expertus propitiam, ancilla Matre genitus, ad summum Romæ imperium evectus sit. Vnde Fortunæ Matutæ sive Matutinæ, quod maturè ab illa fotus sit, Masculæ seu Virili, Primogeniæ, Parvæ, Prosperæ, Convertenti, Bene speranti sua templa excitavit, raro exemplo omnium rerum eventus ad supremi Numinis potentiam favoremque referens. Iuxta Fortunam Prosperàm oleæ arborem subnatam asserunt, melle aliquando fluentem, ex qua deinde Aruspices arcam sortium conficere soliti, quæ innocentis pueri manu misceri educique consueverant. tanta erat vitæ innocuæ æstimatio.

§. 11. In vico Thusco *Vertumni ædes*, qui rebus emendis

dis vendendisque, tum humanis animis vertendis, præesse creditur. quadrifrons templum atque iccirco à nonnullis Iani esse creditum, in singulis frontibus fenestræ duodecim, ostium unicum, quo anni, in suos menses distributi, quandam referebat imaginem. A fine huius vici ad Marcelli theatrum excurrit Argiletus, in quo vico opificum & bibliopolarum tabernæ. Nomen illi, vel argillosa eius loci terra, vel certe Argus illic hospes ab Evandro Rege susceptus & proditionis compertus, cæde merita plexus, & immerito sepulcro conditus reliquit. Martialis Epigrammatis notus est.

Murtia (quondam myrthea Venus, à myrtho illi sacra.) quæ murceos, sive enervatos, reddebat homines, juxta Aventinum montem culta est.

§. 12. *Circus maximus*, inter Palatinum & Aventinum, spatium occupat studiorum facile trium, & plusquam 150. hominum capit millia, *Consuales* hic primo *ludi*, à Romulo, post raptum Sabinarum, exhibiti Deo Conso, qui Consiliis occultis præfectus erat; ideoque sub tecto simulacrum habuit, quòd consilia recta esse oporteret. Tarquinius Priscus Circo locum designavit. Superbus *Circensibus ludis* Neptuno sacris instruxit, Augustus Cæsar ornavit, Cajus amplificavit, metas carceresque (sic à coercendis equis dictos) habuit, superbis circum porticibus instructum, ut ipse locus ad spectaculum raperet. Heliogabalus palatium ex porphyro lapide stravit, arenam verò Chrysocolla, ut aqua ex Tiberi pro naumachia admissa, rursumque, cum liberet, dimissa, locum ad reliquos ludos opportunum relinqueret. Ita urbs una ad omnes spectaculorum delicias instructa est, ut in illa tanquam mari, navalibus etiam certaminibus concurrerent. Duo in hoc Circo obelisci (qui integri sunt lapides ex uno monte excisi) quorum alter pedum est 88. alter 132. hunc Sixtus V. Pontif. in Vaticanum transtulit, ille in agro sessoriano S. Cruci dicatus erectusque est.

§. 13. Ad Viam Appiam à Circo transitur, ubi quondam Septizonium Imp. Severi Septimii, ingenti per quadrum mole, assurgebat, quod septem columnarum ordinibus, singulis supra ordines singulos, velut per Zonas nixis ambientibusque cinctum, tantaque evectum altitudine eminebat; ut in Africam navigantes (unde ipse oriundus erat) demor-

demortui illic cineres in apice collocatos intueri sua in urna atque adorare possent. Tres columnarum ordines, nostro seculo reliquos, Sixtus V. ad alia ædificia, repugnante, licet populo, transtulit.

§. 14. Via hæc Appia, ab arcu Constantini Imp. per septizonium & portam Capenam, ducta est, primum ab Appio Cæco Capuam usque durissimo strata est lapide, à Cæsare ac Traiano Imper. instaurata, nunc quibusdam tantùm locis conspicua. Via nova, ea parte dicta est, qua à Thermis Antonianis ad postam capenam, per Antonium Caracallam, novo lapide strata fuit. Haud procul à porta *Honoris ac Virtutis templum*, ea ratione à Marcello conditum, ut per hoc ad illud pateret aditus. Thermæ Antonianæ, Caracalla autore, eleganti magnoque opere, ut etiamnum ruinæ docent, instructæ sunt, columnæ illic ex Ophite lapide, & labra marmorea capacissima, sellas habuit mille sexcentas ex polito marmore. In his aliisque Thermis omnia ad voluptatem instructa, ingentia erant atria, porticus, & adiuncta etiam nemora. Populus sæpe cum Principibus lavabat. Nec minus noctu, quàm interdiu, quem in usum Alexander Imp. perpetuum sufficit luminibus oleum. Commodus Imp. uno quandoque die visus lavare septies. Hadrianus etiam fricantibus donaria constituit. Tanta Romanorum ad omnem luxum liberalitas.

§. 15. Multa extra urbem Appiam sepulchra, ut in Miloniana Ciceronis facilè cognoscas. Cethegorum etiamnum, in mole alta quadrataque visitur. Scipionum creditur altum illud rotundumque ad dextram ædificium. Sinistra parte ab Appia digredientibus Sacellum offertur, dictum: *Domine quo vadis?* ubi D. Petro tyrannidem Neronis declinanti Christus occurrens, ista quærenti, respondit: *Vado Romam Crucifigi.* Ædificium huic proquinquum, cellulis subter fornice pro urnis mortuorum instructum, Lucullis tribuitur.

§. 16. Haud procul deinde caverna se pandit subterranea, fornicibus artificiosè contecta, sub quibus reconditoria veterum Christianorum, lampadumque perpetuo lumine succensarum vestigia remanent. Quo se etiam adversus tyrannidem persequentium Imper. fideles olim recipere soliti, quando tutior illorum cum mortuis, quàm vivis erat

socie-

societas. Plura eiusmodi in Roma subterranea eorum hac ætate detecta receptacula, sacellis etiam ad mutuum occultumque sacrorum usum instructa. In *templo S. Sebastiani* per gradus ad hæc spelæa, quæ *Catacumba* quondam, nunc *Cæmeterium Calixti*, dicta sunt, cum facibus descenditur, ac labyrinthi quædam species deprehenditur; ut non nisi peritis sit ducibus utendum. Illic ex loci inscriptione constat ad 174. Christianorum millia, pro fide mortem oppetentium, condita, Pontifices in iis haud minus XL.

§. 17. Templo D. Sebastiani adiacet templum ingens, centum columnis marmoreis fultum, Marti olim à Sulla erectum, in quo legati hostium, speculandi fortasse gratia adventantium, audiebantur. Feruntque eius partem maximam S. Stephani Pont. corruisse precibus, cùm hic à Gallieno Imp. jussus esset Marti offerre sacrificium. Hic olim Manalis lapis, quem pluviæ impetrandæ gratia solenni in urbem pompa deferebant. Ita & Romanis ex petra sterili aquæ fluunt.

§. 18. Iuxta eandem Appiam progressus, mœnia quadrati oppidi figuram referentia invenias, fortè olim Prætorianorum stationem. Sepulchrorum ac pyramidum sunt illic moles variæ, partim lateritio, partim Taburtino lapide structæ; Metellorum fuisse, una ex quadrato candidoque extans marmore, & Cæciliæ Metellæ inscripta, monstrat. Hæc superiori aperta parte cælum admittit, muros 24. pedum crassitie solidos complectitur, ad collis, ex quo eminet, radices *Echo* recitatum Poëtæ versum octies inconfusè, confusè sæpius, refundit, raro naturæ exemplo.

§. 19. Tertio ab urbe lapide Circi pro hippodromis destinati, in quo milites, cursu, equitatione, agitatione curruum exercebantur, suis adhuc ruinis distinguuntur. Templum illic quadratum cum porticu columnisque etiamnum extat, quod *Ridiculo* olim Deo consecratum existimant, postquam Hannibal à Cannensi victoria, copiis victricibus ad urbem properans, atque illic castra figens, risu cachinnoque prodigiosè oborto territus, in Campaniam revertisset, ubi solutus deliciis, pristinum militiæ robur enervavit.

CAPVT

CAPVT. XX.

Caelius cum adiunctis.

AD urbem revertimur, à via Appia, ubi, si ad portam Latinam, ac deinde Gabinam deflexeris, ad *Caelium* (Querquetulanum quoque, à suis dictum quercubus) montem devenies; cui adiunctus collis *Caelioli* nomen obtinet. In hoc aedes S. *Ioannis Evangelistae*, olim *Dianae* sacra, in illo rotunda olim basilica *Fauno*, futurarum rerum oraculis celebri, dedicata nunc D. *Stephano* cessit. In ultima Caelii montis parte templum nunc est S. *Crucis in Ierusalem*, unum è septem Ecclesiis maximè frequentari solitis, *Veneri* olim & *Cupidini* sacrum: ubi modo & Crucis Dominicae pars aliqua, & eiusdem coronae spina. Hic & sacellum subterraneum ab Helena Constantini Matre conditum, ad quod 20. Martii, semel quotannis, mulieribus accessus patet. Quondam illic Amphitheatrum Statilii Tauri eminuit; nunc suis reliquiis ad instaurandum ibidem Monasterium, à Paulo III. Pont. adhibitum.

§. 1. Inter portam Gabinam, & Caelimontanam (quae nunc S. Ioannis) Constantini adhuc palatii illustria in ruinis vestigia, & templum S. Ioannis in Laterano eminet, Pontificium quondam Rom. Sedes, quorum ornatissima etiamnum sepulchra, affabréque ex marmore elaboratae arae, primùm sese ingredientibus offerunt. Ad sinistrum summae arae latus tabula aenea, priscis characteribus, leges & senatus consulta sub Vespasiano Augusto complectitur: juxta quam ad fores sacrarii Laurentii Vallae, Canonici hujus aedis, sepulchrum est. Vicinum templo Caenaculum, olim Rotae, ut aiunt, amplissimum; quod tres portas marmoreas ex Ierosolymitano praetorio advectas continebat, ubi Lateranensia olim celabrata concilia, priusquã illic Sixtus V. Palatium à fundamentis novum excitaret. *Scala sancta*, per quas in Pilati domo Christus virgis laceratus ad populi spectaculum eductus est, ad viciniam ab eodem Pontifice

tifice translatæ sunt. His populus rependo, osculandoque (neque enim venerationis causa, pedibus calcat) infunditur, magnoque pietatis sensu colitur, alia via descensurus.

§. 2. Ad dextram basilicæ sacella sunt, quorum parietes marmore incrustati, Columnæ Ierosolymis Romam translatæ; ad sinistram columnæ marmoris flavi sunt, quæ manibus tritæ, gratum spirant violarum odorem. Sacellum aliud *Sancta Sanctorum* nuncupatum, quod mulieribus subire nefas est, in quo arca federis, & Virga Aaronis, Manna, Cœnæ Dominicæ mensa, sanguinis Christi Phiala, spinæ aliquot ex corona, clauus quo Christus Cruci affixus integer, frenum Constantini magni, ex duobus confectum clavis, aliæque reliquiæ sacræ asservantur.

Porta Nævia, quæ & maior dicitur, & S. Crucis in arcu triumphali structa creditur, ut amplitudo operis satis declarat. Ceterum arcus qui per hanc portam & dorsum Cælij montis ad Aventinum excurrunt, sunt aquæ ductus illius, quem Claudius Imp. per XL. milliaria, in urbem, raro opere impensisque, deduxit. Vnde nomen aquæ Claudiæ mansit, sed obstructis deinde meatibus Pius V. aliam deduci aquam fecit, quam Saloniam nuncupant. Prope ductum aquæ Claudiæ Cælium versus Xenodochium urbis nobilissimum S. Ioannis est à Medicis Pharmacisque probè instructum. In cuius area labra balneorum marmorea, priscis incisa figuris, ubi & Amazonum pugnæ & Meleagri venatio: prætet alia sepulchrorum monumenta visuntur.

§. 3. Templum S. Clementis haud procul, diversis vestitum marmoribus, antiquis inscriptionibus figurisque sacrorum instrumentorum (quibus Augures sacerdotesque in sacrificiis usi sunt) insignitur.

Inter Cælium & Esquilias, ingens sese *Amphitheatri* moles, Tiburtinis lapidibus structa, aperit, Colosseum volgò dicunt, à Colossi illic erecti statua per Neronem 120. pedibus elata. Amphitheatrum tamen à Vespasiano cœptum, à Tito dedicatum est, cum quinque millium ferarum diversarum cæde. Nam ad venationes & ludos gladiatorios hæc loca destinata erant. *Meta sudans* haud procul, ab aquis qua spectatores reficiebantur, sic dicta.

§. 5. *Domus Neronis* inter Palatium Cæliumque montem,

tem, ad ultimam Esquilini partem excurrebat (ante quam dictus ille colossus, & Mecœnatis horti cultissimi) urbis potius, quam domus speciem referens, intra se agros, silvas lacus, porticumque triplicem, mille passus in longitudine complexam, una cum varia animalium copia, & ædificiorũ genere continebat. Palatium auro erat pretiosisque gemmis excultum, incognito hactenus luxu; ut iccirco aurea Neronis domus nuncupata sit. Hanc vero ut ad suam libidinem amplificaret, incendiario fomite magnam urbis partem inflammavit, culpa in Christianos translata; ne uno se scelere flagitiosissimus mortalium inquinaret. at sub Trajano Imp. par illam incendium sustulit, domum non uno tantum nomine illustrem.

Arcus triumphalis Constantino Magno post devictum Maxentium erectus ad Palatini radices etiamnum suis integer statuis, victoriis, atque inscriptis votis extat.

CAPUT XXI.

Aventinus cum adjunctis.

A Frequentia avium, sub vesperam ad montem divertẽtium, *Aventinus* dictus est. hic quondam ab urbe seclusus navibus petebatur, postea ab Anco Martio urbi additus. *Dianæ* illic in vertice templum fuit, ubi nunc *D. Sabina* est, *Bonæ Deæ*, etiam alibi (ubi *D. Maria Aventina* ædes est) in honorem Fatuæ Fauni sororis castissimæ Virginis, à Claudia vestali condita; cuius sacris nulli virorum interesse licuit. Unde hujus legis violator Clodius, qui libidine inflammatus, muliebri illam veste subiit, gravissimis à Cicerone verbis perstringitur.

§.1. Caci spelunca in Aventino furtis illius celebris, quæ cum Hercules felici indagatione comperisset; victoq; triumpharet homine, Bobus Evandro Regi hospiti suo restitutis, (quos Cacus retrorsum in antrum coegerat, ne ex vestigiis furtum pateret) Jovi *inventori* hic aram statuisse memoratur. Omnem victoriam Deo deberi professus. *Gemoniæ* hoc in monte *Scalæ*, locus erat præceps, per quem facinorosi tracti excarnificabantur.

§. 2. *Testaceus mons* inter Aventinum & Tiberim, ex fictilium vasorum fragmentis congestus, quorum tantus olim usus, ut sub Numa septē omnino fuerint figulorū collegia Sed opulentia Romanos denique ad ærea atq; aurea etiam vasa convertit. Mirum est hunc montem bis mille pedes in ambitu centum LX in altitudine comprehendisse.

§. 3.

Mons Esquilinus cum adjunctis.

Esquiliæ, duo montes, ab incolis olim, ut videtur, Ducibus, *Cespius* atque *Oppius* dicti, à Tullo exculti sunt. In his lucus Martis, Junonis laciniæ, & Larium ædificia erant in modum carinarum exstructa, quæ in templo Telluris visebantur, unde & dicta sunt Carinæ.

§. 4. In loco Esquiliarum altissimo, ubi nunc D. Antonii ædes. Nero *Fortunæ* ædem ex lapide phengite construxerat, quæ clausa intus claritatem diei retinebat. Hic & Virgilii Maronis olim domus, haud procul à Mecœnatis, Patroni & cultoris Poetarum studiosissimi, ædibus *felicitatis* ibidem templum, in auream Neronis domum inclusum, quod tamen ipse exussit. Nec defuit *Fortunæ malæ* ædes, quod aversum etiam Numen adorandum Romani sentirent.

§. 5. *Rogi* ibidem mortuorum corporibus incinerandis destinati, quæ res ante Syllam Romæ incomperta, ab illo suo primum decreta cœptaque in funere, ne suis (ut ipse Marii) reliquiis post mortem inimici illuderent; atque ab illo ad solennem usum tempore traducta est.

§. 6. Sequitur *Clivus Saburranus* à Saburra nomen sortitus, cui arcus Galieni Imp. triumphantis annexus ex tiburtino lapide est. Nunc S. Viti à templo vicino dicitur. Haud procul in via Prænestina gemina ex marmore tropæa in mole eminent, C. Mario in Cimbrico erecta triumpho, quæ à Sylla Marii æmulo, & bello civili victore, dejecta, à Cæsare reparata, posteris tanti viri virtutem testantur

§. 7. Domus Gordianorum in via Palæstina ducentis columnis, Thermisque juxta exquisitis, celeberrima fuit.

Præter-

Præter murorum spondas, vix quicquam reliquum. Aqua haud procul martia saluberrimi frigoris, ut Plinius meminit, comperta, ideoque soli potui destinata est. Sed eam Nero corporum natatu infecit, ne quid in tota rep. intaminatum relinqueret.

§. 8. S. Mariæ Majoris hic ædes est, auro marmoribusque ornata, Isidi olim sacra, hunc imagine Deiparæ à S. Luca Evangelista depicta celebris, uti juxta ædes D. Praxedis columna illa, quam Christus virgis concisus, suo imbuit sanguine, veneranda est.

CAPUT XXII.

Collis Viminalis.

Viminalis à viminibus innatis nomen traxit, portæque vicinę idem tribuit, quæ & Nomentana, quod Nomentum ducat, appellata, nunc *S. Agnetis*, à templo, olim Baccho consecrato, dicta. In quo templo vastissima ex porphyro lapide spectatur area, cui vindemiatores insculpti pueri; nomen fecere; ut Bacchi sepulchrum nuncupetur.

§. 1. In huius dorsi collis Thermæ Diocletianæ præ ceteris magna vetustate cognitæ, cuius etiamnum admirādi operis pulchra manent vestigia. In his instruendis 40. Christianorum millia annis quatuordecim servire coacta. Prius tamen vitam, quam opus Diocletianus absolvit, & Constantino hanc laudem reliquit. Hic celebris illa fuit bibliotheca Ulpia, in qua elephantini libri asservabantur, qua se Vopiscus usum asserit. Campus proximus aquæ vivæ puteo nobilis.

§. 2. Ad dexteram Thermarum fuere horti Cardinalis Bellaii, amœnissimi, atq; omni genere fructuum abundantes, pluribus per ambulacra veterum Deorū signis distincti. Ad alteram Thermarū partem templū S. Susan. olim Quirino, seu Romulo dicatum, ubi in via Quirinali horti sunt Rudolph. Cardinal Carpens. filii Alberti Pii Carporum Prin-

cipis, antiquitatis studiosissimi; qua mirifice hortum excoluit. Fons hic rarissimi artificii vincit cætera.

CAPVT XXIII.

Quirinalis Collis.

QVirinalis à Quiritibus nomen habet (ut qui Curibus ex urbe Sabinorum, cum Tatio Rege suo, ad hunc traducti sunt) nunc à Caballis, sive equis geminis, raro opere ex marmore, contra suos rectores obluctantibus compellatur, Basi statuarium inscriptum: Opus Phidiæ & Praxitelis. Tiridates Armeniorum Rex, Neronem Romæ salutaturus, advexisse memoratur; qui vicissim summo ludorum apparatu in theatro Pompei peregrinum Regem excipiens, triduo ipsum quoq; theatrum laminis aureis constratum exhibuit.

§. 1. In monte horti sunt cultissimi Cardinalis Ferrariensis, arborum illa varietas & species; & ut Labyrintheæ cujusdam silvæ artificium expleant.

Prope est domus Religiosorum S. Benedicti, qui ædis D. Pauli curam sustinent, oppositum his Palatium à Sixto V. ædificatum, cui etiamnum vicinæ testudines altissimæ ad Neronianæ olim domus appendicem spectantes, unde urbis olim succensæ jucundum captabat spectaculum.

§. 2. Qua Saburram Quirinalis spectat; tessellati hodiedum ex conchiliis operis sacellum visitur, variorum figuris piscium affabre exornatum, quod Neptuno olim sacrum, nunc Bartholinorum horti includunt.

Palatium Comitum haud procul ex balneorum Pauli Æmilii ruinis erectum est, cui Innocentius III. ex hac familia Pontifex turrim addidit. In hac parte Quirinalis celebris quoque domus Corneliorum, unde templum S. Salvatoris olim Saturno & Baccho dedicatum, agnomentum ducit. Salustiorum quoque domus hortusque olim nobilissimus, illic, ubi nunc Divæ Susannæ ædes, inter por-

tam

tam Salariam Pincianamque, excurrebat, suis utrimque vallibus colliculisque ornatus.

§. 3. In valle Quirinali Archimonium forum erat, qui locus post pila tiburtina dictus, ubi Martialis habitavit, & Circus Floræ, ad floralia, in fœdæ mulieris honorem celebranda destinatus fuit. Flora enim elegantis, sed prostitutæ amatoribus opulentis formæ, cum ingentem meretricando vim coegisset pecuniæ, Romanos ea lege heredes scripserat, ut natalem suum quotannis festis ludis recolerent. Qui, ut facti deinde turpitudinem honesto velarent titulo, Deam hanc finxere præfectam Floribus, nomine etiam ad hanc fraudem opportuno.

§ 4. *Collis Hortulorum, Pincius* à Senatore incola dictus, ab æde D. Silvestri ad collinam seu Pincianam portam, secundum urbis mœnia, extenditur. Hic cum Campo Martio, priscis temporibus, urbis pomœrio exclusus erat. In colle, ex templo Solis arcus etiamnum superest, obeliscus eidem dedicatus concidit.

§. 5 *Campus*, seu *via scelerata* à porta Collina ad salarium procurrens, à Virginibus vestalibus stupro violatis nomen accepit quod illic flagitii compertæ, vivæ terra obruerentur. Ad lævam salariæ ruinæ sese offerunt templi Veneris Erycinæ, quam Verticordiam dixere, quod illius ope virorum aversorum corda conciliari rursum nuptis dicerent. Unde Augusto mense, celebri mulierum festivitate culta est Ludi Agonales ad hanc portam frequentari soliti, eidem nomen suum tribuere.

§ 6. Tertio ab urbe Lapide *Anieni* fluvio pons impositus jam olim, Narsetis adhuc nomen præfert, infra quem *Tiberi* illic miscetur, ubi fama est gigantem Gallum à Torquato (cui torques aureus è collo hostis detractus nomen reliquit) superatum. Memorãdum sane, Anienem ob aquas nitro commixtas, infusasque Tiberi hujus undas, longo incorruptas, suaves, salubresq; tempore, ad usum mortalium reddere. Unde & hi, qui supra Anienis ostia Tiberim accolunt, utriusque adversus corruptionem aquas temperant. Idem Anio inter arenas amygdalorum, anisi & feniculi miscet figuras, ut non raro bellaria inter & tragemata Rom ad jucundam hospitum ludificationem, apponantur lapidea hæc fercula. Titus Celsus annis superioribus humanum ca-

daver Anieni mersum in lapidem obduruisse memorat, cujus ipse se testem oculatum affirmat,

CAPVT XXIV.

Vrbs plana.

PRiusquam ad Janiculum montem & regionem Transtiberinam transeamus, relicta in urbe plana antiquitatis vestigia percurrenda sunt.

Theatrum Marcelli versatile, opus maximum pulcherrimumque, capax 80. millium spectatorum, inter Capitolium & Tiberim illic fuit, ubi nunc Palatium familiæ Sabellicæ, a Cæsare inceptum, ab Augusto, sub nomine Marcelli nepotis ex sorore Octavia, finitum est suis etiamnum ruderibus notatur, Bibliotheca Octaviæ eidem juncta fuerat.

§ 1. *Circus Flaminius* ludicris & venationibus aptus, illic fuit, ubi nunc templum Catharinæ, haud procul à Capitolio In hoc, præter Neptuni ædem etiam *Vulcanus* suam habuit *Basilicam*, in quo canes sacrilegis infesti, pro Æditius sacrorum custodes erant. Hinc non procul ante portam Carmentalem incedendo, *columna* sese offerebat *bellica*, juxtam quam Romani, finibus jam Imperii latius propagatis, in eam torquere partem jacereq; hastam soliti, in quam bellum destinabant, quod angustioribus quondam terminis, jacta in hostilem agrum hasta, indicebant. Herculis magni tanquam patroni custodisque ædes Circo apposita, alteraque addita Herculis (opinor Gallici eloquentiæ Principis aureaque ex ore profluentis catena celebris) quæ illi cum Musis communis erat, qua robur eloquentiæ ad flectendos hominum animos Romani venerati sunt;

§. 2. *Theatrum Pompeii* inter tria Romanorum theatra (quorum alterum Marcelli & tertium Cornelii Balbi) facile erat nobilissimum, in Campo Floræ Circo Flaminio contiguum fuit, ubi nunc familiæ Ursinorum Palatium est.

§. 3 *Thea-*

§. 3. *Thermæ Agrippinæ* haud procul remotæ, quas Agrippa novo opere eduxerat; ita ut arcus & pavimentum ex vitro essent. Has tamen Thermæ Neronianæ, aliæque, quas Alexandrinas juxta ab Alexandro Severo Imp. dixerunt, magnitudine & raritate operis longe superarunt, quarum ruinæ juxta templum S. Eucharii hodiedum visuntur. De illis non inscite Martialis. Quid Nerone pejus? Thermis quid melius Neronianis?

§. 4 *Pantheon* templum Marti olim Deûm *Diisq*; ceteris dedicatum, raro spectandum opere, nunc optata metamorphosi in templum veri Dei Matris translatum S. *Maria rotunda* dicitur. Nempe rotundum figura, septuaginta septem, & in altum assurgit, & latitudinem excurrit cubitis, laqueata artificiose testudine, quæ sola in vertice repando lumen admittit, argenteis olim laminis tecta ædes; sed cum has Constantinus Heraclii Nepos, ceterasque Romæ opes depeculatus esset, plumbo instrata est.

§. 5. *Campus Martius* inter varios urbis campos, quorum P. Victor octo recitat, inter Quirinalem & Tiberim erat celeberrimus. Dedicatus is Marti est, post Tarquinium superbum regno pulsum, ibi & militum delectus habiti, & rudimenta militiæ variis exercitamentis juventuti inprimis tradita. Huc etiam per tribus ad comitia; novis Magistratibus creandis destinata, ventum est, eo loci, ubi *septa* vicina monti Citorio plebi incudendæ constituta erant. Pons ibidem, per quem illi qui suffragia tulerant, ne laturis immiscerentur, transibant. Unde Sexagenarii, quod ad suffragia pontemq; non admitterentur, depontani senes dicti sunt. Nunc pars magna Campi inclusa mænibus, ædificiisque occupatur. Septa etiamnum tenet *columna Antonini Pii* 175. pedibus in altum assurgens, concava atque interiori sui parte, sculptura eleganti, res gestas Imperatoris illius complexa, ad cujus fastigium per 207. gradus enituntur, fenestris 57. lumen excipit. Hæc cum undecim columnis porticus, ex foro Antonini, reliqua sunt: quarum illæ ad ædem S. Stephani visuntur.

§. 6. *Obeliscus* quoque è regione Basilicæ B. Mariæ Populi spectatur notis hieroglyphicis insignis. Hunc Augustus Cæsar Hierapoli, cum aliis duobus Romam transtulit,

atque in medio Circi Maximi erexit: centum ille ac decem pedes complexus altitudine, cujus umbra ita annum distinxerat, ut incrementa decrementaque solis, hinc quisque colligeret. Plinius à Marphotide sculptum, atque in illo Philosophiæ Ægyptiacæ interpretationem præpositam asserit. *Naumachia* ibidem in valle Martia ab Augusto instituta, à Domitiano est instaurata (Unde & nomen retinuit) quæ juventuti, ad navalia certamina exercenda, reperta erat, ne quod belli genus inexperti adirent.

§. 7. *Mausoleum* Augustus omnium Imper. & cognatorum in valle eadem ad ripam Tiberis excitavit Mole admiranda, candido ex lapide assurgebat, perpetuæ viriditatis arboribus, circum reticulato opere usque ad ipsum verticem, cooperientibus. Obeliscus latus utrumque claudebat.

§. 8. *Aqua Virginis fons*, haud procul à septis, aqua salubri emicat, à Juthurna Turni sorore illic mersa nomen Virginis traxisse creditur. Hæc per Claudium Tiberium porta Collina, sub Hortulorum colle, inducta, atque à Nicolao V. Pontif. subterraneis aquæ ductibus instaurata, sola ex innumeris aquę ductibus, maximo olim sumptu comparatis, in usum civium superest.

§. 9. Palatium in hoc Martio Campo Rodolphi Pii Cardinalis Carpensis studiosissimi antiquitatum viri, qui idcirco per triplex Museum rarissima veteris ævi monumenta, inscriptiones in pretiosis lapidibus, & simulacra cum Deorum, tum hominum distribuit. In cæteris Venus, ut ajunt, Gnidia, tot laudibus scriptorum culta, & juvenis, non minori operis artificio, suis corporis lineamentis ad stuporem expressus, præter quos Satyrus puerque plorans, ac sua in imagine Socrates, nihil urbe tota videntur habere elaboratius. Sed & Raphaelis Urbinatis, & Michaelis Angeli, pictorum tota Europa celeberrimorum opera visuntur; tum locis geminis, libri antiquissimi in membranis Græco, Latino, Hebraico, Arabicoque idiomate exarati.

§. 10. Via Flaminia, ad quam Campus porrigebatur, à Cn. Flaminio Coss. Liguribus devictis lapide strata, à porta Flaminia, nunc Populi dicta, Pisaurum atque Ariminum usque excurrebat. Julius III. Pont. suburbanum

honum illic prædium vineamque instruxit longe amplissimam magnificentissimamque, fontemque juxta in viam, publicæ commoditati (ut fert inscriptio) derivavit. In area vero prædii fons rarissimi operis attollitur. In vicinis collibus (qui ad pontem Milvium usque extenduntur) varia ad æstivas inambulationes ædificia, duos obeliscos & pyramidem altissimam reperias, cum novis antiquisque inscriptionibus. Eadem via, sed intra mœnia in ædibus Pauli Ponti inter varia simulacra, apri Calidonii à Meleagro cæsi signum offendes, quod quingentorum ducatorum oblato pretio impetrari non potuit.

§. 11. Insula in Tiberi, quæ olim Æsculapio, nunc D. Bartholomæo sacra est, nata fertur ex bonis Tarquiniorum quos post illatam Lucretiæ vim urbe proscripserunt, Campumque Martium & quidquid agrorum erat, Urbi addixêre. Verum quæ in iis creverant, tanquam execranda, huc in Tiberim congesta accumularunt, unde terrarum alluvione Insula extitisse creditur, Lycaonia olim dicta, quod pestilentiæ sedandæ gratia, consultis libris Sibyllinis, Æsculapium inde ex Epidauro Serpentis specie (ultro in navem Romanorum illabentis) intulerint. Quotquot vero lues infecerat, ubi Insulam attigissent, Serpens illis adversus venenum pestis remedium fuit. Pons Fabricius (hodie quatuor capitum ab Hermis marmoreis dictus) Insulam urbi jungit. Cællius vero (nunc D. Bartholomæi) eandem transtiberinæ regioni nectit.

CAPVT XXV.

Janiculus & Vaticanus cum regione transtiberina.

JAniculus mons è Jano illic sepulto nomen traxisse creditur. Hic reliquiæ etiamnum ex Numæ Pompilii sepulchro ostenduntur. Hortis Martialis collis ille olim celebris, & Statii Poëtæ sepultura fuit. Nunc transtiberini Farnesiorum horti spectantur vario antiquitatis schemate distincti.

§. 1. *Vaticanus* Mons sedes hodie Pontificum Rom ex Laterano huc salubritate loci traductorum, tria maximè spectanda, templum D. Petri, Palatium hierarchæ & hortum rarissima amœnitate excultum continet.

Intrantibus Vaticana urbem porta primum sese offerunt prata, Quintii olim dicta, in quibus animum laxare Romana juventus inambulando consuevit, Alia porta Ælia vulgo Castelli, ad Ælii Adriani Imperatoris molem ducit, quam sibi ille quondam & Antoninis sepulchrum è regione Mausolei destinaverat; nunc à Rom Pontificibus in munitissimum Castellum (quod ab Angelo, in apice eminente, nomen trahit) versa, tutum his per secretos meatus ex palatio aditum præsidiumque exhibet, auctum firmatumque ab Alexandro VI. Borgia, cuius etiamnum insignia nomenque præfert. Rotunda in medio turris assurgit, cuius diameter ictu lapidis non transmittitur. Ex hoc se loco contra Gothos defendit Belisarius, & plures se Pontifices tuiti sunt adversus ingruentes hostes. Pontem Castelli, cum inundans Tiberis corrupisset, Clemens VII. egregio opere instauravit, Principum Apostolorum statuis hinc atque inde impositis. Ex hoc ponte è regione Xenodochii S. Spiritus, pontis triumphalis ruinæ, per quem Capitolium triumphaturi adibant, hodiedum spectantur.

§. 2. Burgium illam dicunt Vaticani partem, quæ à ponte vergit ad Palatium, olim arboribus, nunc variis magnificisque ornatum ædificiis, ut Palatio Cardinalis Dandini & Strozzæ, Campegiorum item, cui Parisivum opponitur, & Cæsiorum, ad portam S. Onuphrii, quod maxime illustribus antiquitatis monumentis celebratur, ut horum amantem unum hoc palatium abunde detinere possit. Unius Phryxi arietis è marmore candidissimo meminisse lubet, & alterius generosi leonis. illius basi inscriptum *secura simplicitas*, huius *innoxia fortitudo*. Museum quoque Cardinalis perquam Magnificum, & Bibliotheca librorum antiquorum, juxta quam *Cupido* dormiens; quod Musæ ipsi saporem concilient.

§. 3. Palatium Pontificis, in edito Vaticani loco, augustissimo situ eminet, à Nicolao III. Pont. illud inchoatum à Julio II & Leone X. auctum perfectumque à Sixto V ædificiis picturisque excultum, variis ad eum nunc obtine-

tinet,

tinet, splendorem emersit. In hoc Sacellum Sixti, peramplo æquandum templo, in quo supra aram depictum Michaelis Angeli Banaroti opera judicium extremum spectatur, eo corporum habitu per artem expresso, ut vivere, ac spirare naturam, terroremque omnia videantur, & exemplar quoddam typusque pictorum sit.

§. 4. Horti ibidem sunt, ab amœnitate & oblectatione contuentium, Beluedére dicti. Inter unius regionis peristylia, area media peregrinis arboribus novo cultu distincta. Inter cetera absolutissima artificum opera facile superat, quidquid Roma atque orbis etiam hoc in genere miratur, Laocoon cum duobus filiis, quos gemini dracones sinuosis flexibus (ut Maro Æneid. 11.) implicant, Plinius illud tribus sui sæculi celeberrimis ex Rhodo sculptoribus Agesandro, Polydoro, & Athenodoro tribuit, miraculumque artis Michael Angelus habuit. In cœnaculo propinquo Cleopatræ morientis statua, ea arte proponitur, ut per vestes tenuissimas, è marmore licet formatas, corporis forma numeris omnibus absoluta promicet spectatur & labrum marmoreum in Titi Vespasiani Thermis repertum, quod variis lapidum pretiosiorum generibus incrustatum æstimationem pene humanam superat. In Constantiniana aula summorum in picturis artificum certant ingenia. Victoria Imperatoris contra Maxentium ad pontem Milvium, in qua hic præceps Tiberi cum equo mergitur, ne in triumphum traducatur, à Raphaele Sanctio Urbinate egregie adumbratur Hæc ex multis pauca, cum omnia prosequi longum sit.

§. 5. Templum S. Petri in Vaticano amplissimum, multorum Pontif opera impensisque ornatum. Sacellum illi S. Petronillæ, filiæ (ut volunt) D. Petri adjacet, olim Apollini sacrum, ut & S. Mariæ de febribus quondam dicatum Marti. In cœmiterio è regione D. Petri sepulta peregrinorum corpora tempore brevissimo, intra horas 24. consumi experientia multorum, compertum est.

§. 6. Xenodochium ibidem S. Spiritus ab Innocentio III. conditum, & à Sixto IV amplificatum reperies, quod amplissimis porticibus ornatum, trecentis circiter lectis in usum pauperum ordine dispositis, & tapetibus instructum est. Hæc ad illustriora Romanæ urbis monumenta designanda rudi earum rerum Lectori suffecerint.

CAPUT

CAPVT XXVI.

De Romani populi divisione.

ROma principio Regibus septem administrata est, quibus, ob tyrannidem Tarquiniorum, pulsis, Consulibus rerum summa delata est. qui cum Remp. belli gloria ad summum orbis imperium extulissent, felicitate propria laborare cœpit, quæ adversitate nulla opprimi potuerat, nam potentiorum inter se æmulatione collisa, & civilibus quassata bellis, à Julio ac deinde Augusto Cæsaribus, hereditaria quadam imperij possessione adita uni rursum servire coacta est. Verum tamen ad majorem imperii gloriam per illos evecta est, donec iidem quoque nimia opum potentiæque fortuna ebrii, exteris partim jam imperium Principibus reliquere, quod Germani multis sæculis, ad hanc usque ætatem propagatum obtinent.

§. 1. Prima itaque Rom populi divisio à Romulo facta est in Seniores, & Juniores: illorum delegit centum, quorum consilio omnia administraret, unde & dimidiatam in calceis lunam deferebant; horum mille, qui pro Reip. defensione arma gererent. In Tribus deinde & Curias divisi sunt, ut infra de Comitiis dicemus. Denique in Patritios (alii Optimates vocant) qui genere, virtute, & opibus præstarent, & Plebejos his titulis inferiores. Illi vel rebus sacris, vel profanis administrandis in rep. præfecti erant: hi ad agrorum pecorumq; tum etiam opificiorum cultum destinati. Quos ut majori concordia mutuaque ope devinciret, illos horum Patronos, qui causas imbelliorum tuerentur, litesque componerent; hos vero clientes ad diversa illorum servitia, tum subsidiariam aliquando pecuniæ opem jussit esse paratos. Ita mutua devincti opera, per annos 630. magna consensione civium Resp hæc ad raram potentiam est provecta.

§. 2. Exactis tamen Regibus clientela ac patronatu stan-

stante, prior divisio nonnihil est immutata, nam admissi ex utroque ordine Equites, quotquot censum annuum quadringentorum numerarent sestertiûm, & hi in album à Censore relati, annulo aureo, equoque publico donabantur, qui si flagitio aliquo notarentur, ad plebejum ordinem redacti sunt, & equo à Censore privari. Rursum ex utroque ordine delecti Senatores; ut si qui Patriciorum; nec in hoc quidem censerentur numero, hi à plebe, nisi genere, nihil distarent. Fuit itaque hoc pacto distributa resp. in Senatores, Equites, & Plebejos, quibus omnibus Patricii admiscerentur. Quanquam & aliam quandam subortæ deinde factiones divisionem induxerint: in Optimates scilicet, qui Remp. eiusque tranquillitatem communi studio tuerentur, & populares, qui favorem populi aucupando, seditionibus pascerentur.

§. 3. Tertia divisio in Nobiles, Novos atque Ignobiles ex imaginum jure usuque est consecuta. Erant vero imagines majorum simulacra, vultusque cera expressi; Patriciis in argumentum nobilitatis primum concessi; sed iis solum, qui Magistratum aliquem curulem (ut ædilitatem, Præturam, Censuram, aut Consulatum) gessissent. Quod si qui ex sua familia primi hanc dignitatem adiissent, iis propriis tantum imaginibus, non vero Majorum uti licuit, hominesque Novi dicti, nobilitatem in se auspicaturi. Postquam vero per contentiones tribunitias plebeis quibusdam ad Magistratum aditus patuit, fuit & nobilitas communicata. Cæteri itaque Ignobiles; sive ex Patritiis, sive ex plebe habiti, neque atria; aut funera, in quibus deferebantur, ad pompam exornare Majorum imaginibus licuit. Quanquam in atriis nudæ tantum effigies, & superiori corporis trunco expressæ, in exequiis vero integræ; suisque in purpura auroque prætextis ornatæ, curru deferebantur; fascibus etiam securibusque; si vel Censor vel Consul vel triumphator existeret, prælatis.

§. 4. Quarta fuit plebeiorum hominum, quorum alii Liberti erant, qui è servitute Dominorum manumittebantur; alii Libertorum scilicet filii, alii Ingenui Libertinorum filii. Ex his Liberti ac Libertini cives esse poterant; at nullo fungi munere publico, nisi Lictoris

ris, Apparitoris, Accensi, Præconis, Interpretis; Viatoris, Statoris, postea & scribæ Ingenuus & in tribu rustica ferre suffragium, & Magistratus plebejos solitos capessere. huius porro filius Equitibus, nepos etiam curiæ accenseri poterat, atque ita in quinto denique gradu omnis servitutis nota sublata erat. Ratio manumittendi varia fuit, vel enim, censum Domino indulgente, nomen suum referebant; vel è Consule, aut, ut factum postea, Prætore virga (quam vindictam appellabant) in libertatem vindicatus; vel ad pileum vocatus est; vel denique testamento manumissus. Quod si etiam inter amicos; vel per convivalem mensam, vel per epistolam id consecutus esset, libertate quidem, sed minore fruebatur; ut & is, qui stigmate servili notatus aliquando fuisset.

CAPUT XXVII.

De Romanorum Deorum varietate.

DE Diis Romanorum hic tantum pauca, cum cetera haberi possint ex Palæstra Eloq. ligatæ lib 1. c. 21. & seq. Distinxerant illos in cælestes, quos majorum gentium vocabant, quibus Semideos, sive indigetes (quod in *D*iis quoque censerentur) succenturiabant: quales erant Hercules. Castor, Pollux &c. tum illos; quos virtutum aut certorum affectuum censerent nomine: alios Semones, quasi semihomines habebant, quos minorum dicebant gentium. De his ultimis nonnulla, alibi præterita, tangam. Ut appareat quemadmodum Romani in cæca illa gentilitate omnia ad numinis alicuius vim honoremque revocaverint.

§. 1. *Pietati, fidei, Concordia, Pudicitia, Virtuti, Honori, Saluti*, supra in descript. Romæ templa esse constituta memini. *Pacis* vero templum inter nobilissima Romæ habitum est, in quo Titus Vespas. spolia templi Hierosolymitani dedicavit, quod sub Commodo Imper. malo Romanorum omine, conflagravit.

§. 2 Ex-

§. 2. Ex Diis Semonibus plures nascentibus præfecti erant *Opis* numen invocatum, ut iis opem ferret, *Nascio*, seu *Natio* nascenti aderat, *Vagitanus* seu *Vaticanus* vagienti puero. *Cunia*, seu *Cunina*, cunas fovebat, *Rumina* mammas facilitabat, *Educa*, seu *Edusa*, escam, *Potina* potum, *Levana* jacenti manus præbebat. *Ossilago* solidabat ossa, *Nundina* nono die maribus, feminis octavo nomen imponebat. *Statilinus* & *Statana* firmabat in gradu stantes, *Fabulinus* docebat fari *Paventia* avertebat pavorem, *Carnea* & *Carna* vitalia fovebat, cui pulte fabacea & larido sacra fiebant. *Iuventas* post prætextam juvenilis ætatis curam agebat, quæ cum Deo Termino Capitolio avelli non potuit, bono Rom. omine. *Orbona* Dea Orphanorum, *Anculi* & *Ancula* ancillarum præsides

§. 3. Nuptiis *Iugatinus* præerat; *Domiducus* sponsæ domum deducendæ *Viriplaca* jurgiis inter conjuges componendis, cujus in Sacello postquam mutuæ offensionis causas exposuissent, discordia posita, redibant in gratiam. *Manturna* novam nuptam viro conciliabat, *Cinxia* Juno favebat nuptæ, ut cingulum Virginibus tantum familiare auspicato deponeret.

§. 4. Parturientibus, præter *Lucinam* & *Latonam*, Apollinis & Dianæ Matrem etiam *Egeria* Nympha, Numæ familiaris, *Pertunda*, *Dei Nixii*, & *Prosa*, vel *Prorsa*, si partus rectus, si præposterus, *Postuerta* præerat, Matri vero *Matuta* seu *Leucothea* (ut Græci) jam partu solutæ supplicabant ancillis seclusis, quarum unam tamen introductam plures simul ingressæ mulieres colaphis cædebant. Deinde non suis, sed liberis sororum in ulnas acceptis bene precabantur. Ut hac charitate Deæ favorem mererentur. *Bona Dea* eędem mulieres, viris domo egressis, nocturnis orgiis sacrificant. Causæ ejus solennitatis apud scriptores dubiæ. Alii cum Ope & Tellure hanc Deam confundunt, & *Faunam* vel etiam *Fatuam*, à fando dicunt, quod infantibus vocem tribuat.

§. 5. Diversis actionibus hominum sua quoque præerant Numina, *Murcia* ignavis, *Vacuna* ociosis, *Strenua* gnavis, *Stimula* ad agendum impulsis, quibus & *Angeronia Agoniusque* favebant. *Horta* ad honesta excitabat, *Catius* astutos cautosque reddebat. *Volumnus* & *Volumna* volentes, *Volupia*, cum voluptate, *Lubentia* ultro libentesque trahebat.

Vitula

Vitula exultanti lætitiæ perfecta videtur. Unde & post victoriam, & pro frugibus illi sacrificatum. *Averruncus* mala avertere creditus, *Angerona* silentii Dea, cuius simulacrum ore ligato in ara Volupiæ Romæ propositum fuit, sic dicta, quod propitia angores animi tolleret. Ferunt in hujus Deæ tutela Romam fuisse, quod ad magnarum rerum expeditionem consilia silentio tegenda sint. *Herem Martiam* (Martis quondam sociam) colebant, qui novam hereditatem adierant, quæ Romanis ex Marte plerumque obtigit: *Lavernam* fures colebant, ut inceptis faveret, in cujus loco perobscuro soliti furta inter se partiri. *Næniam* pro funeribus venerabantur, unde & carmen, in laudem defuncti à muliere præfica cantari solitum, nomen accepit *Libitina*; *Orcus*, seu *Pluto*, sepulchris præpositi. Cæterum quibusque etiam humani corporis partibus suum Numen præfecerant: Jovi caput, Neptuno pectus, cinctum Marti, frontem Genio, Supercilia Junoni seu Lucinæ, oculos Cupidini, vel ut quidam, Minervæ, aurem memoriæ, dexteram fidei, dorsum tergusque Plutoni, Renes & inguen Veneri, pedes Mercurio, genua Misericordiæ, talos plantasque Thetidi, digitos Minervæ consecrabant. De his aliisque Diis vide S. Augußt. l. 4. & 9. de Civit. Dei.

§. 6. Fuerunt & Dii rustici varii. Varro præter XII. Consentes Urbanos à Jove in consilium adhiberi solitos, qui erant Dii majores: totidem Consentes, tum ex his tum ex aliis, Agrestes constituit. Jovem patrem, Tellurem Matrem, Solem & Lunam temporum arbitros; Cererem & Liberum frugibus; Robigum & Floram; Minervam & Venerem, Olivetis & hortis: Lympham, & Bonum Eventum culturæ præfectos. Sed ab aliis plures etiam censentur. *Pales* Dea pabuli, pecorum pastorumque fuit, cujus festa Parilia seu Palilia à Romanis culta sunt. De *Flora* floribus præposita, quam Zephyri conjugem fingunt, supra dixi. *Pomona* pomis aderat, cujus Sacerdos flamen pomonalis dictus. *Vertumnus* seu *Vortumnus* rebus permutandis, seu vertendis, in contractibus favebat, *Seia*, vel *Segecia*, aut *Segesta* Segetibus præerat. *Tutanus*, & *Tutiliana* à tutela rerum dicti, arum hæc in Aventino ad pop. Rom. defensionem habuit illum in fortuitis, ut Herculem malorum depulsorem invocabant, hanc inauspicato compellare nefas. *Robigus* ru-

bigi-

biginem à segetibus avertere creditus. *Boni Eventus* simulacrum, dextera pateram; sinistrâ spicas, ac papaver tenebat *Pilumnus* pinsendis frumentis datus, & à Pistoribus cultus *Picumnus* (qui & *Sterquilinius* dictus) agris stercorandis. Nonius eosdem conjugalibus auspiciis præficit, *Bubona* bobus, *Hippona* equis, *Mellona* mellificationi, *Collina* collibus, *Iugatinus* jugis montium, *Vallonia* vallibus, *Rusina* ruri, *Terminus* agrorum finibus, *Silvanus* & *Pan* agris pecoribusque, *Priapus* hortis præerat. *Cloacina* Venus fuit à cloaca sic dicta, in qua reperta fuit, ideoque sordibus deputata.

§. 7. *Pavor, Pallor, Tempestas, Febris,* sua etiam in Diis nomina, locumque sortita sunt. Cumque de adventu Gallorum voce cælitus lapsa moniti fuissent Romani, quod hanc neglexissent, Camillus ignoto Deo loquenti, quam *Ajum Locutium* dixere, templum in via nova statuit. In Romanis solenne ad Deos referre quæ agerent, quæque paterentur universa.

CAPUT XXVIII.

De Sacerdotib. Auguribus, Pontificibus, Sacrificiorum ratione, & Apotheosi.

Luperci Sacerdotum vetustissimi, Pani Lycæo devoti, ab Evandro Arcadum Rege, in monte Palantio, seu Palatino, primum instituti leguntur, quanquam ante *Saturnus* cum Jano, Faunusque ejus filius, in Italiam Deorum cultum (cum à vita agresti ad civilem homines erudirent) introduxisse ferantur. Quis tamen hic cultus fuerit, non satis constat. Luperci itaque Pani Lyceo (qui ob Lupos ab ovilibus arcendos à Pastoribus honoratus est) festis illis, quæ Lupercalia dicta sunt, cæsarum animalium pellibus lumbos cincti, nudi cetera, capras jugulant, pellibusque in corrigias dissectis, saltu per vicos dissoluto vagantur, obviosque scuticis flagellant, quibus ultro mulieres sese ad verbera offerunt, fatæ his sese flagris ad fe-

fcunditatem proficere. Horum tres praecipue ordines memorantur, Fabiani, Quintiliani, ac Juliani, sic à suis institutoribus nuncupati.

§. 1. *Potitios Pinariosque* Sacerdotes Herculis, ipse sibi, inter Aborigines jam ab Evandro in Deum receptus, instituit, jubens quotannis indomitum juvencum ritu graeco immolari. Duobus nobilium familiarum senibus Potitio & Pinario hanc curam primum dederat, cumque hic serius adesset, jussit alteri cum tota posteritate, has in sacris nunquam ministros deservire: quae res deinde perpetua fuit, donec gens Potitia publicis hoc munus servis committens, uno anno cum stirpe tota, quae in duodecim familias excreverat, triginta etiam puberibus extinctis, funditus, divina ultione, sublata est. Appio Claudio Censore, qui auctor fuerat, coecitate etiam percusso, unde coeci cognomentum tulit.

§. 2. Romulus *Sacerdotes publicos sexaginta*, è singulis curiis lectos, genere ac virtute illustres, instituit, jamque annum quinquagesimum agere voluit, & hunc honorem esse perpetuum, eosq; & à militia & ab urbanis negotiis oneribusque exemit. Quin & ipsi deinde Romanorum Reges (ut etiam inter Graecos consueverat) Sacerdotii munus honoremque sibi vendicabant, donec Regibus ejectis, *Regem* tamen *Sacrorum* rursum substituerent, quem tamen, ne hoc nomine insolesceret, Pontifici Sacrorum maximo, à Numa instituto, subesse voluere. Ceterum ex his 60. triginta *Curiones* erant, qui singulis curiis praeerant (diviserat enim Romulus populum in tres tribus, & 30. curias) Inter hos Curio maximus dictus est, qui comitiis curiatis reliquis praefectus erat.

§. 3. *Fratres arvales*, qui pro arvis sacrificabant, à Romuli nutrice Acca Laurentia, deducti videntur. Siquidem illi duodecim erant filii, quibuscum semel quotannis ad agrum procedens, immolare solita; sed uno illorum defuncto, Romulum ad numerum implendum substituerat. In cuius rei memoriam, hoc deinde sacrificium, pari numero, Romulus perenne esse voluit. Corona illis spicea vittae albae alligata, prima inter Romanos corona fuit, ut Plin. l. 17 c. 2,

§. 4. *Augures*, quasi Avigeres. ab Etruscis ad Romanos per

per Romulum sua disciplina traducti sunt. Collegium illorum, tribus primum patriciis, post & plebeis quinque, denique Sylla Dictatore, quindecim omnino Sacerdotibus constituit. Hi primum à Collegio, deinde & lege Domitia à plebe lecti sunt, quamvis magna contentione, ac permutatione variatum sit. Horum officium erat, non tantum ex avium garritu pastu volatuque; sed etiam ex animantibus actionibus atque eventibus humanis, futura colligere.

1. Ex cælo augurium dabant tonitrua & fulmina fausta quidem, si, aut ad lævam, aut impari numero intonuisset: Si ex ortu in ortum recurrissent fulmina; vel si excussa nubibus à terra resiliissent; & crebris in sublimi micuissent ignibus: vel denique à sinistra ad dextram effulsissent; non enim tam principium, quam exitus fulminum spectatus est. Infaustum erat sereno intonuisse cœlo; hominesque aut sacras ædes feriri: nata item ab occasu tonitrua, vel per septentrionem in occasum procurrentia, multiplicatique ictus pari numero dissoluti. Maxime dira erant, quæ ab occasu in septentrionem porrigerentur. Porro varie fulmina partiebantur, nocturna Summano (quem Plutonem dicunt,) diurna Jovi tribuebant, quæ læta credebantur, nisi ex Concilio Deorum missa essent. Bruta vocabant, quarum nulla appareret causa; alia quæ ex causis fatidica; quorum & diversa apud Plin. l. 2. sunt nomina. De quibus vide Rosin l, 3. aut. c. 9.

§. 5. 2: Avium aliæ Oscines erant, quæ oris cantu darent auspicium, ut corvus, cornix, noctua; aliæ præpetes, quæ volatu; qui si humilis esset, inferæ dicebantur. Si rem, propter quam augurium erat institutum: suo omine non impedirent, sinistræ; si impedirent, funebres, vel ab arcendo arculæ dictæ sunt: remores quoque à remorando: inebræ & tenebræ ab inhibendo: alteræ, quæ supervenientes felix auspicium alterarent: Volsgræ, quæ se vellendo idem turbarent: supervacaneæ, quæ summo apici insidentes canerent. Ex præpetibus erant Aquilæ, Vultures, Buteones, Sanqualis, Immusculus, &c. Picus vero Martius Feronius, Parra & in Oscinibus, & Præpetibus habita. Quæ porro, & quando, vel volatu, vel cantu augurium felix, quæ infelix darent, hic apud Rosin. invenies, & in meo Speculo imaginũ l 1, c. 9 latius. Aquilę & columbę plerumq; felices, milvius hirundo li-

nes in volatu infelices, In cantu, corvi à dextera, cornices à sinistra, spem non ambiguam faciebant, ab ortu corvi præsentem felicitatem, ab occasu, præsertim rauca, & velut strangulata voce, exitium portendebant. Gallinarum & bubonum cantus semper infaustus.

§. 6. 3. Quadrupedes auspicia movebant, quæ pedestria dicebantur. Lupi in castris, vel urbe visi incolumes, mali ominis est: ad dexteram pleno ore commeans boni, &c.

4. Diri plerumque ominis erant, quæ ipsis hominibus insolenter accidebant, ut offendisse pedibus, hæsisse vestem, subito pavore concessum esse, salire alterum oculorum, tinnire aures, titubare genua, stupere linguam &c. Hostilio Mancino Numantiam navibus ituro vox allapsa, *Mane Mancine*, cladem prænuntiavit, nam haud multo post Victus ipse deditusque an. u. c. 617. In *sternutationibus* matutinæ infaustæ, meridianæ felices habitæ. Unde fausta apprecandi sternutantibus consuetudo manavit.

§. 7. Captandi porro augurii, ex avium volatu, hæc ratio. Augur toga, seu trabea, ex purpura, coccoque indutus, arcem conscendens, augurali baculo, qui lituus dicebatur, descriptis cœli regionibus, votisque ad Deos pro salute præmissis, velato considebat capite, cœlum intuens, observato augurio præstolabatur, dum per simile illud augurium firmaretur, quod si enim posteriora essent dissimilia, solvebatur prius. Viso autem augurio, nil cunctatus abibat, & si eunti aqua offerretur, hausta manibus, vota inter preces concipiebat, ut perseveraret auspicium, quod alias interventu aquæ solvi credebatur.

§. 8. *Pullariis* antiquitas multum tribuit, iis præsertim qui pullos Melicos & Chaldaicos observarent, ut sine horum pronuntiato, nulla domi comitia, aut foris bella, magistratusque aliquis demandaretur, quod hæ aves, tanquam Jovis internuntiæ, ejus voluntatem pandere viderentur. Summo itaque diluculo, impetrato silentio (quod erat cavere, ne quid vitio ageretur) pullis in cavea detentis offam, ex pulte ut plurimum, objiciebant, qui dum sine mora cum impetu proruerent, avideque prensarent offam, ut ex ore decidens terram paviret, & ita terripavium, seu tripudium solistimum (ut vocabant) faceret, dicebantur pulli felicem eventum *addicere*. Quod si contra prodirent cunctanter,

escam

escam præterirent,aut plausu alarum dissiparent, vel prorsus avolarent,*damnare*, vel *non addicere* sentiebant, ideoq; pullarii differendum, aut mutandum propositum suadebant. Quos neglexisse semper infaustum Romanis fuit. P. Claudius primo bello Punico ascensurus classem cum auspicia ex majorum ritu fecisset, nec pulli escam captarent, projecta in mare cavea:*si esse*,inquit,*nolunt,bibant*, progressusque cum L. JunioCollega classem tempestate amisit. Junio igitur publico judicio sublato, ipse voluntaria morte ignominiam præoccupavit. SicFlaminius adThrasimenum cum xv.Rom.millibus ab Hannibale cæsus,pullis non addicentibus:mirum inquiebat, si pullis esurientibus res geri saturis nihil possit, signisque convulsis in hostem movit. Quod si pullarius mendax in auspiciis falleret,non in consulentis,sed ipsius caput verti creditum est.Ita qui Papirio Consuli pugnam contra auspicia addixisset, id se in principio concidit.ut Liv.l.10.

§.9. Quod pullos olim Romanis,hoc in Lycia in fonte Apollinis,& in alio Medorum lacu pisces per cibum avide sumptum,neglectasve quæ in aqua objiciuntur carnes, significare de rerum futurarum eventibus memorant. Hoc fine quondãDraco inEpiro,bos inÆgypto,inArsioneCrocodilus asservata sunt,tanta semper futurarum rerum prænoscendarum cupiditas,sæpe fallax, cum Dæmonum fide subnititur.

§.10.*Aruspices* ex victimis divinabant, hos Romulus ab Etruscis primum sumpsit,deinde & Patriciorum filii ad illos ablegati,hac Aruspicum disciplina imbuti sunt, quam aruspicinam ab extis victimarum inspectis dicebant.Porro, vel ex viva omen victima captabant,quod adversum erat si cunctanter ad aram accederet,si profugeret, si ictum falleret,si provoluta recalcitraret, exspiraret tarde, retineret sanguinem:prosperum,si secus omnia Deinde explorabant exta,& jecur principio,quod si ruberet, si careret labe, si geminaretur, si extremas ad interiora fibras convolveret, lætum erat omen:triste vero si corrugatum, pustulis obsitum,loco & colore mutatum Cor si palpitaret, flavesceret, corrugaretur,sinepinguedine esset,parvum, aut certe nullum(quodJul.Cæsare, eo quo cæsus est die,bis accidit)infaustum omen est habitum.Ita deinde ad fel,lienem,&pulmones contemplandos progressis,siquid minus sanum in-

tegrumque occurrit, suis eventis sinistrum interpretabantur: contraque, si vegeta, distincta, simplicia, incorruptaque omnia. Flammæ etiam mala omina, si tardæ, sparsæ, fumosæ ac tetro odore surgerent, contra si tranquille, ac sine strepitu, atque egestione, favillarum, si pure atque ad consumptam finem victimæ perdurarent.

§. 11. *Flamines* sive è capitis flammeo velamenti genere sive filo, quo si pileum deponerent, caput religabant (quod hoc plane nudo incedere nefas esset) appellati, tres erant majores, Dialis qui Jovi serviret, princeps ceterorum, Martialis qui Marti, & Quirinalis, qui Romulo sacrificaret. Minores his ceterorum Deorum flamines postea ex plebe accessère, Tres illi a Numa ex patriciis primum instituti, comitiis centuriatis creati, atque à Pontifice summo inaugurati, qui in causis sacris una cum Pontifice & Rege sacrorum Judices sedebant.

§. 12. Sua cuique, pro Deorum varietate, sacra ritusque. Diali religio erat, videre armatum exercitum, unde Consul esse non poterat. Lictor tamen illi, & Sella curulis regia concessa est. Non illi fas equo vehi, non jurare; carnem incoctam, capram, fabam, hederam, neque tangere, neque nominare licitum. Pedes lecti in quo cubabat, luto erant tenui circumliti, de hoc trinoctium abesse non licuit, neq; in eo cubare alterum. Unguium ipsius & capillorum præsegmina ad siliquam arborem defossa. alium, nisi liberũ hominem, nunquã totondit, nodus ab omni cinctus parte abesse debuit. Tunicam intimam nisi tectis in locis deponere vetitum. Uxorem nisi in morte non potuit dimittere, hac defuncta flaminio abiit, ne in hoc munere induceret alteram. Funus adornare, tangere mortuum, atque in busto absistere inconcessum. Vinctum, si ædes introisset, solvi necessum erat, vinculaque per impluvium subduci in tegulas, atque inde foras in viam dimitti. Siquis verberandus ad ejus pedes supplex fieret, eum hunc die verberare piaculum erat. Tanta inter gentiles sacrorum hominum reverentia.

§ 13. *Vestales* erant principio quatuor, deinde sex, quæ ignem sacrum in templo Vestæ asservabant. Hæ à Pontifice Max. plerumque lectæ, institutione Numæ (Nam Romulus, quod ex Matre Vestali esset, ad probrum diluendum neglexisse creditur) inter sextum ac decimum annum, ut illibatæ essent Virgines, per annos 30. his sacris tenebantur

ita

ita ut decennio primo, ut ministræ ceremonias sacrorum discerent, altero libere exercerent, tertio reliquas, ut magistræ, instruerent, acri disciplina à Pontifice coercebantur, verberibusque nudo corpore exceptis delicta expiabãt. Grave vero ac triste nefas, perpetuum in templo ignem earũ incuria extingui, quem nisi collectis ex sole in concavo vitro radiis, accendere non licuit. multo maximum crimen erat virginitatem stupro pollui. Tales enim vivo elatæ funere, amicis comitantibus, tota urbe summo mœrore silentioq; attonita, tanquam in funesto omine, in subterraneam specũ Campi scelerati extra portam Collinam dimittebantur, in qua lectus paratus, lucerna ardens, modicumq panis, lactis, aquæ, oleiq; appositum, brevis vitæ, in claudenda mox specu, solatium Ceterum post annum trigesimum exactum libere illis nuptiæ, at raro auspicatę fuerunt. Honor summus eis habitus hunc rigorẽ compensabat Cum fascib⁹ prodire ac deduci solitæ, quod si quis prodeuntib⁹ casu (quod juramento contestandũ erat) occurrisset in via malefic⁹ ad supplicium ducẽdus, nisi cum ipso feretro veheretur, liber erat.

§. 18. *Salios* ita à saliendo dictos, Sacerdotes Martis 12. Numa Pompilius instituit ex Ordine patricio, quibus ancile (Scutum cœlo lapsum, cum imperii, quamdiu illud Roma asservaretur pollicitatione) custodiendum, inter plura ad illius imitationẽ à Mamurio Veturio facta, tradidit. His verò & Numa carmen, primus ipse Romanor. latio sermone cõposuit, quod festis Marti diebus mense Martio cum choreis militaribus per urbem actis concinerent. Huic carmini Mamurii nomen insertũ erat, qui hoc unum suæ industriæ premium rogaverat. Erant autem Salii super pictam tunicam, æneo pectorali induti, gladium, hastam aliudve telum dextra præferentes, quo scutum læva suspensum ad numeros quatiebant, saltu quoque cantuque ad tibiæ inflatæ sonum temperato. Fuerunt & *Salii collini* ad portam collinam, ab illis *palatinis* distincti, qui tamen etiam armatas choreas; sed alio post fruges illatas tempore, exercebant.

§. 19. *Fetiales* à Numa, in collegio certo ex patriciis lecti sunt, qui faciendæ conservandæq; paci, tum bello juste inferendo præessent. Ad hos itaq; causæ pacis, fœderum, bellorumq; deferebantur Vt de jure atq; injuria cognoscerent, hi Oratores seu Legati ibant, & pro se sociisq; de illata per hostes injuria, querebãtur, ac bellũ, nisi equa impetrarẽt, de-

nuntiabant, pacis item leges rationesq; præscribebant, minus quoque legitime factam rescindebant, bellum injuria susceptum prohibebant: In his unus *Pater patratus* erat, autoritatis præcipuę, cui & Pater erat superstes, quem vereretur; & filii, pro quorum salute curam gereret.

§. 20. *Galli* Sacerdotes Phrygii erant, Deæ Cybeles, seu Magnæ Matris Ideæ, vel ab autore, vel à Gallo fluvio sic dicti, ex quo poti furere, seque evirare comperti sunt. Castrari enim hos necesse erat. postquam Phrygius juvenis Atys castitatem, in Cybeles servitio præstandam, violasset, ideoq; in furorem à Deo versus virili se parte mutilasset, Romanis ingenuis inter hos esse decreto Senatus vetitum erat, Cybelen quotannis inter orgia cum planctu ad tibiarum & tympanorum sonitum circumferebant.

§. 21. Præterea *Duumviri Sibyllini*, librorum Sibyllinorum gratia constituti, qui hos tempore seditionis, magnæ cladis ac prodigiorum consulerent, utq; ex iis facienda referrent. Numerantur vero Sibyllæ decem: erantq; mulieres fatidicę, à locis regionum pleræque nuncupatæ, ut Persica, quæ res gestas Alexandri scripsit: Libyca, Delphica, Cumæa in Italia: Erythræa, quæ Grajis Trojæ eversionem præcinuit: Samia, Cumana, Hellespontica, Phrygia, Tyburs sive Albunea, quæ juxta ripas Anienis colitur. Ex his se prima Cumana (quam Amatheam, vel Demophilen, vel Herophilen vocant) ad Tarquinium Priscum Rom. Regē libros 9. (alii tres solum asserunt) detulit, trecentorum aureorum pretium pro eis postulans, risit, contempsitque Rex, moxque illa tribus in ignem projectis, pro reliquis tantūdem exegit, quod cum iterum aspernante Prisco tribus aliis igne absumptis faceret, Rex mot[9] religione, tres reliquos oblato pretio redemit, qui deinde libri aliarum Sibyllarum vaticiniis aucti sunt. Verum neglectis nominibus confusi, ut solius tantum Erythrææ distinguerētur & Cumææ, cuius libri occultabantur, nec nisi à Quindecim viris fas erat legi. A Duumviris enim ad *decemviros*, ac denique sub Sylla ad *Quindecemviros* transitum est, quibus libri Sibyllini commissi sunt. Porro libri id temporis primo in palmarum foliis, deinde in corticibus arborum, denique in tenui carbaso exarati. Usi sunt denique & charta & membranis, publica etiam monumenta in plumbeis voluminibus asservata sunt.

§. 22. Ita

§. 22. Itaque propter multitudinem sacrificiorum constituti sunt *Triumviri Epulonum*, qui ludorum publicorum epulis præessent; quibus deinde & Sylla *septemviros* præfecit, ne quid neglectim fieret. Rursum, si vel ædes vota esset, vel conflagrasset; *Duumviri* ædis sacræ locandæ, faciundæ, & dedicandæ, *Quinqueviri* murorum & turrium reficiendorum, *Triumviri* conquirendorum sacrorum, & *alii* reficiendæ ædis, creati sunt. Tanta erat & sacrorum cura, & ordo ministeriorum.

§.23. *Pontifices alii* majores è patriciis lecti novem; alii & plures, minores dicti, assumptique e plebe. Ex horum collegio comitiis tributis populi *Pontifex maximus* legi solitus, cui omnium tota urbe sacrorum cura, & rituum legumque sanciendorum potestas. Omnes illi sacrifici suberant, ille cum suo collegio nemini.

Hinc post Jul. Cæsarem invasit Lepidus, occupavit deinde Augustus, perstititque apud Imperatores hujus dignitas, donec Gratianus recusaret. Rex illi *sacrorum* comitiis centuriaris è patriciis creari solitus, proxime suberat; cui nisi in sacris alteri servire nefas, hujus uxor regina sacrorum appellata est.

§. 25. *Ministri sacerdotum* utriusque sexus, prout sacra poscebant, varii. Fuerunt ad hoc ministerii genus adhibiti sacerdotum liberi, vel naturales, vel adoptitii, & ex his elegantissimi quique dum pubescerent, atque à nuptiis abessent, Camilli & Camillæ universim dictæ. Camillus Flaminius, qui Flamini Diali serviebat, nonnisi utroque parente superstite, cujus sub cura esset, admittebatur, ne qua corruptio eum depravaret. Par ratio Camillæ quæ Flaminiæ uxori ministrabat. *Æditus* vel *Æditumus* curam sacrarum ædium gerebat, *Tubicines, Tibicinesque* sacris intercinebant. *Popa* laureati, & usque ad ilia nudi, deductas ad aram victimas feriebant. *Victimarii* ligabant victimas, ignem, aquam, molam, cultrum, & alia necessaria ad victimam, præparabant.

Precia, sive *praclamatores* denuntiabant sacra opificibus, ut opere abstinerent, ne si vidisset sacerdos facientem opus, sacrificium pollueretur, *Præfica* mulieres erant ad plangendum funus, certis modulis ad laudem defuncti, conductæ; *Designatores* funebri pompæ ordinandæ præerant; *Vespillo-*

nes seu Vespa mortuos efferebant, qui à Vespertino, quo id fieri solitum, tempore nomen duxerant.

§. 26. *Vasa & instrumenta sacrificiorum* præcipua erant. Thuribulum & acerra, qua thus recondebant, sympulum, vasculum quo vinum libabant; Capis, Capides, & Capedines, Capulæ etiam ac Capedunculæ, urnæ fictiles, seu ligneæ cum ansa, Pateræ seu Patellæ, quibus vinum Diis offerebant, secespita, sic à secando dicta: culter, vel securis, qua ad victimam secandam sacerdotes usi sunt: Discus lanx erat, in qua carnes assæ depositæ, Enclabria seu Anclabria vasa ænea: Dolabra qua ad dolandum inæqualia utebantur, Aquiminarium vas lustrale, aspersorium, seu aspergillum, quo aqua lustrica aspergeretur.

§. 27. *Sacrificium ratio varia.* Victimæ plerumque majoribus, hostiæ minoribus sacrificiis adhibitæ, nomina à victis hostibus traxisse putantur. Multæ illarum differentiæ, Præcidaneæ dictæ sunt, quæ pridie ante sacrificia solennia mactarentur, succidaneæ, quæ neglectis primis hostiis, substituebantur: eximiæ, quæ ex grege ad sacrificium, præ reliquis destinatæ, (quod Diis optimum deberi crederent) ambiguæ, circa quam hostiæ in sacrificio plures; Prodigiæ, quæ consumebantur: bidentes, quæ cornigeræ duobusque dentibus eminulis essent. Ambarvales, quæ vel circum arva ducerentur; vel per Arvales fratres pro agris mactarentur, Injuges, quæ nunquam sub jugo ductæ. Ambegni, bos aut vervex dictus, cum utrimque agnus ad sacrificandum comitaretur.

§. 28. Porro singulis Diis suæ erant victimæ, Superis albæ & impares, inferis nigræ & pares mactabantur. Jovi prodigiali thure & mola salsa. Jovi Flaminio bove candido litabatur; Neptuno, Apollini & Marti, tauro, verre, & ariete: Heroibus tauro, capro, & ariete: Ceteri primum lacte, vino, & favis, postea porcu: eadem & Cybeli: Æsculapio capris & gallinis: Laribus gallo: Soli & Marti equo: Lunæ tauro. Junoni agna: Veneri columba: Pani & Minervæ capra: Dianæ cerva: Libero patri melle vino & lacte; interdum capro, & hirco: Silvano porco: Fauno agna vel hœdo.

§. 29 Sacrificandi hic ritus erat. Sacerdos juxta victimam, manu aram prehensans, à Jano & Vesta (quod ubique solenne) preces ad Deos quoque cæteros ordiebatur,

in quibus Jupiter Opt. Max. & Dii Patres omnes advocarentur, præeunte verba solennia alio de scripto, & observante alio, ne quid, aut præpostere, aut neglectim fieret, tertio ad populum inclamante. *favete linguis*, silentia adstrictis, tibicine sub hæc intercinente, ne quid infaustum audiretur. Compertumque erat, errorem aut strepitum, interturbantem dirum esse, & vel extis victimarum geminata capita, corda ve; aut sublata repente fuisse. Deinde Sacerdos fruges, aut molam salsam; addito thure masculo, capiti hostiæ imponebat, quod immolare dictum est. Postea gustans ipse, seu libans, cum adstantibus, ex sympulo vinum, eo victimam adspergebat, qui ritus libatio dicebatur. quo facto, evulsas inter cornua setas, tanquam prima libamina in ignem projiciebat, conversusque ad ortum, obliquum cultrum à fronte victimæ ad caudam ducebat, & sic Diis oblatam jubebat ministros jugulare, quam excoriatam purgatamque ferreo cultro attente explorabat. Quo facto ministri, ex omni viscere ac membro, certas partes decisas, farinaque involutas, in calathis sacrificanti deferebant, qui in foculum ex puris lignis accensum (olea, laurus, quercus, & cava putidaque arcebantur) projecta consumebat, quod reddere, seu litare erat. Denique & ipsi ad epulas versi, inter quassata cymbala, choreas ad numeros circum aras agebant, Diis suas laudes intercinentes. Unde præclare Servius in 5. Ecclog. Virg. Voluisse majores, nullam corporis partem esse quæ non sentiret religionem. Cantus animum, saltus corpora Diis impendebat.

§. 30. *Consecratione & Apotheosi Imperatorum* hæc concludamus. Hanc Augustus primum pro iis instituit Imperatoribus, qui superstitibus, aut successoribus moriebantur. magnoque illa, & velut triumphali in funere apparatu, facta est, post quam inter Deos relati habebantur. Inprimis cerea defunctorum imago eburneo in lecto proposita, in vestibulo palatii, per senatores atratos, candidatas vero mulieres, cingebatur, ibatque per septiduum velut ad ægrotantem medicus, qui denique exspirasse nuntiaret. In forum deinde translatus ad magnificum ædificii substructi pegma, triumphali in habitu, pueros, puellasque per gradus dispositos carmen funebre accinentes habuit. Hinc vero

instru-

instructissima ad Campum Martium pompa, inter majorum imagines devictarum urbium simulacra, per senatores armatamque militiam ac Pontifices efferebatur, postquam oratione funebri, pro rostris, successor illic, rogo, sub quadruplici tabernaculo, sibi invicem innitente, constructo, cujus apex auratum currum sustineat, ita impositus est, ut secundum tabernaculum teneret, ubi post succensas herbas odoriferas, osculisque delibutam à cognatis imaginem, equestria deinde certamina, ludicraque spectacula, novus Imperator facem tabernaculo primus admovet, ceteris ignem ordine subjicientibus, quo surgente, ex suprema pyræ parte aquila soluta dimittitur, quæ in cœlum defuncti animam deferre credebatur. Atque ex hoc tempore Numinis instar defunctus colebatur.

CAPUT XXIX.

De politia, & diverso Rom. Magistratu, deducendisque Coloniis.

Politia est legitima Ordinatio reip. secundum quam alii præsunt, alii parent, ut Arist. l. 3. pol. c. 4. Ejus præcipue tres sunt species; Monarchia, Aristocratia & Democratia, in prima Cæsar, Rex, aut princeps unus: in altera Optimates: in tertia regit populus His eodem ordine opponitur tyrānis, oligarchia, & Ochlocratia, quando injuste unus, aut plures, privati tantum boni studio, dominantur, cum principatus omnis publici boni gratia institutus sit. Mixta politiæ, sed regiminis species est, quando ex Monarchia & Aristocratia, sive etiam Democratia dominatus miscetur, ut simplicis regiminis vitia caveantur.

§. 1. Omnia hæc politiæ genera, tam cum virtute quam cum vitio conjuncta resp. Romana experta est, Monarchicum imperium, sub primis Regibus, sub Dictatoribus, & sub Imperatoribus postea viguit, semperque in tyrannidem degeneravit, quam ex Regibus Tarquinius, ex Dictatoribus Sylla, ex Cæsaribus Nero arripuit. Deinde sub Consu-

libus

libus, parisque potestatis Tribunis militaribus, & Decemviris legum scribendarum aristocraticum regimen fuit. quod tamen tertio Decemvirorum anno, & sub Triumviratu oligarchia corruptum est. Denique, Tribunis pl. in remp. inductis, Democratia primas tenuit, quam sæpe, tumultuante plebe, Ochlocratia interturbavit.

§. 2 Magistratus Rom. in majores minoresque, eosque vel ordinarios, vel extraordinarios, divisus erat. Inter *majores ordinarios*.

Rex primo fuit, qui divina & humana summo jure administrabat, habitus ejus toga purpurea, & sella curulis fuit. Tarquinius Priscus corona usus est, toga picta, & sella eburnea. Regii corporis protectores trecenti erant, qui in urbe hastati, peditesque; extra urbem etiam, cum opus, equites Regem stiparent, sub tribus illi centurionibus, & præfecto uno, qui *Tribunus Celerum* (hoc enim illorum nomen erat) dicebatur, proximaque à Rege dignitate erat.

§. 3. *Consules* deinde summum Romæ imperium tenuere, post Regem Tarquinium superbum urbe pulsum. Penes hos belli pacisque administrandæ plena ratio, donec Tribuni pl. constituti sunt, quibus intercedere ex populi voluntate Consulum decretis licuit. Insignia Consulum fasces (bacilli teretes erant) cum virgis & securibus, per duodecim lictores prælati fuere, qui & via submoverent populum, & obvios equis juberent descendere, sontes vero apprehenderent, plecterentque, aut virgis aut securibus. Alternis vero mensibus, alteri Consulum aderant. Sella eidem curulis, & scipio eburneus, & toga prætexta, ante Deos penates, primo die Magistratus sumpta. In principio aditi Magistratus vota in Capitolio, duobus bobus mactatis, Jovi faciebant. tertio die ad amicos munera destinabant, spargebantque centum auri pondo in populum, quæ sportula consularis dicta est, jurabant deinde in leges reip. & resignanti Consuli, & in Comitio publico; abiturique magistratu rursum, nihil contra leges factum esse. In summo periculo reip. absolutam regiamque potestatem accipiebant à senatu, hac verborum formula: *Videret, ne quid resp. detrimenti caperent.*

Sub Cæsaribus deinde Consules quidem sed minori & subje-

subjecta illis potestate perstitere, quandoque etiam extraordinarii, & honorarii Consules ad certum tempus accessere. insignia etiam nonnihil mutata: nam toga picta, seu trabea & palmata (quæ ante triumphantium fuerat) usi sunt, & laurus alligata securibus, etiam ante Domos collocata, auratique fuere calcei, ut in cultu honor auctus, in potestate imminutus esset.

§. 4. *Censores* aucta Rom. rep. anno primum urb. cond. 310. instituti, postquam Consules mole negotiorum obruti jam per annos 17. censum nullum, singulis quinquenniis iniri solitum, habuissent. Eorum officium erat, disciplinæ publicæ curam agere, atque in transgressores animadvertere, nulla reis provocatione concessa Quare primo, & numerum civium, & cuiusque facultates notabant. Deinde deprehensos in aliquo scelere notare ignominia; senatorem loco movere, præterito in lectione nomine: Equitem equo annuloque privare, eum etiam qui strigosum equum ex neglectu aleret, impolitiæ, hoc est, incuriæ notare: plebejos minus recte agros, vineam aut arbores curantes, faciebant ærarios, sive in tabulas Cæritum referebant, qui suffragio in tribu frustrati, in ærarium cum reliquis conferre cogebantur, qua lege olim Cærites, ex Etruscis, in urbem Rom. admissi erant. Hæc tamen pœna non erat omnibus perpetua, sed redimi novis meritis poterat. Ceterum censores insignia habebant Consulum, præter fasces lictoresque quinquennio præfuere primum; deinde annuam semestremque hanc potestatem Mamertinus Dictator fecit. nemo bis, præter Martium, Censorium ideirco dictum, adiit. Mori enim in hoc magistratu infaustissimi erat in rep. ominis; propterea quod urbe à Gallis occupata mors Censoris præcesserat, alio infeliciter subrogato. Unde quenquam in demortui surrogare locum nefas, sed alteri sociorum (erant enim duo, & ut plurimum Consulares) magistratu eodem erat abeundum.

P. Clodius eorum dignitatem Tribunis substernere conatus est: quando legem tulit, ne quem Censores senatu moverent, aut notarent ignominia, nisi apud Tribunos pr. accusatum, sed, nō multo post, Metellus Scipio, Pompei collega, hanc legem antiquavit; stetitque deinde Censorum potestas, usque ad Decii Imperatoris tempora; plerisque tamen Imperatorum hunc sibiipsis honorem vindicantibus.

§. 5. Præ-

§. 5. *Pratores* (quod nomen primo Consulibus à præeundo datum (duo primum ad hoc constituti, ut alter in causis Urbanis, alter in peregrinis jus diceret, quod munus sorte partiebantur. Cuius sententia tribus hisce verbis continebatur, *Do, dico addico*: potestate pari, ut alter alterius decreto posset intercedere, quamquam Urbanus potior; ideoque major, & alter minor dictus est. Quæstiones, de quibus per annum jus dicturus erat, Urbanus in albo solebat populo proponere; sed has de causis tantum privatis: nã publicas definiebant, qui à populo creabantur ad hanc rem, Quæsitores dicti: priusquam perpetuæ quæstiones de criminalibus constituræ essent, hoc est, perpetua judicii forma ad harum causarum definitionem præscripta, ne lege semper nova opus esset, ad causam definiendam. Ex hoc enim tempore, Consorino & Manilio Coss. anno U.C. 605. quatuor Prætores additi, qui publicis præsiderent, atque unus causas repetundarum, alter ambitus, tertius de majestate, quartus de peculatu cognosceret. Sylla octo; Impetores ad sedecim usq; hunc numerum auxeruntut, ut essent, qui de vi, de fideicommissis, inter Sicarios, inter fiscum & privatos, aliisque de rebus controversis, jus dicerent. Insignia fere communia erant cum Consulibus. Prætexta (quæ erat toga, quam purpura prætexebat) Sella curulis eburnea, Lictores sex dati, & Accensi qui statis temporibus citabant. Peculiaris erat Prætoribus hasta, & gladius, quo dijudicandi potestatem præ se ferrent. Verum denique sub Imperatoribus, & in illa multitudine, potestas hæc labefactata est, oneribus impensarum in ludis populo apparandis, & sacris bonæ *Deæ* curandis relictis: ut Boetius l. 3. de consol. queritur.

§. 6. *Imperator* summus, devictis Pompei in Hispania filiis, redux C. Jul. Cæsar est creatus. Nam cum Senatus. Pompei secutus partes, victorem formidaret, his delatis honoribus eum lenire studuit. Ut scilicet Pater patriæ diceretur. Dictator perpetuus esset, atque Imperator appellaretur. Præterea Sacrosanctus haberetur, & Quintilis ejus nomine Julius appellaretur. Quæ illo occiso, post *Triumviratum* Antonii, Lepidi, & Octaviani, illis civili bello extinctis, ad hunc solum, etiam auctis titulis, Augusti nomine delati sunt, mense alio Augusto eidem consecrato.

Ad hos & Tribunitia potestas, & Pontificatus maximus translatus est, ut nihil in sacris profanisque nisi per ipsos liceret; Consulatum sibi delatum G Cæsar respuit, ideoque hic titulus senatoribus maxime meritis relictus est, aut eis, quos sibi successores in imperio destinabant, Ita Augustus Marcello sororis filio defuncto, quē successorem optabat, Tiberium Neronem generum, & Claudium Drusum privignum *Principes juventutis* compellavit, aliisque honoribus auxit, quem deinde reliqui Imper. secuti, quos successores vellent, hos eo ornabant nomine, consulatu quoque Pontificatu, aut Tribunatu delato. quanquam postea extincta Cæsarum familia, ad hujus nominis memoriam *Cæsares* dicti fuerint, qui electi denique *Augusti* appellabantur.

§. 7. *Præfectus urbis* ab Octaviano consilio Mecœnatis institutus ex iis est, qui reliquos magistratus administraſſet. qui causas capitales, easque quibus provocatio competeret, in urbe, atque extra illam in Italia, paucis demptis, cognosceret, quietemque curaret in populo, nummulariorum fraudes & illicita collegia prohiberet. Qui Magistratus etiam olim sub Regibus, cum ad bellum proficiscerentur, tum ante Prætores in urbem introductos, quanquam extra ordinem, creari solitus fuerat, *Præfectus* tamen *Latinarum* (feriæ erant, quibus Jovi in monte Albano pro salute latii, memores fœderis cum Latinis initi, sacrificabant) semper mansit; cui, his tantum feriis durantibus certa potestas erat.

§. 8. *Extraordinarii Magistratus majores* erant, primo *Interreges* sic dicti, quod post Reges olim substituti, interregni tempore præessent. Ut statim post Romuli mortem accidit, quando ex ducentis Patribus lecti decemviri, quorum unus post alium quinque diebus fascibus atque imperio utebatur, quæ deinde consuetudo etiam in Consulum interregno mansit, quando Dictatorem legi non placuit.

§. 9. *Dictator* summa potestate, omnique alio magistratu præter Tribunatum cessante, lectus est, variis belli pacisque causis, quæ per plures minus expediri, sed summa tantum auctoritate componi posse credebantur. Ut cum resp aliter constituenda, legendus senatus, seditio componenda

nenda coercendi potentiores, & cogenda essent comitia. L.Manlius Dictator lectus, ut clavo ad ædem Jovis fixo (qui ænei erant, annorumque continebant numerum) pestem sedaret. Hi ex Consulatibus, jubente Senatu, auspicato noctis silentio, creabantur. Fasces lictoresque 24. assignati; at spatio semestris cum honore resignandi, nisi quod Sylla dictaturam productam in tyrannidem verterit. Italia exire, aut equum etiam conscendere vetitum erat.

§. 10. *Magister equitum*, à Dictatore creato, pro auxiliari opera sublegi consueverat, sic dictus, quod in equites præcipua ejus potestas, ut *Dictator*, à quibusdam Magister populi nuncupatus est, par fere autoritas illius, quæ fuit sub Regibus Tribuni Celerum, sub Imperatoribus vero *Præfecti Prætorii*, ut essent, à primo in rep. proximi.

§. 11. *Decemviri legum scribendarum*, cum absoluta potestate, ceteris Magistratibus abdicatis, creati sunt. Comitiis centuriatis, postquam legibus ex Græcia per Sp. Posthumium, Ser. Sulpitium, & A. Manlium transportatis, placuisset exlegem hactenus remp. & solo arbitrio regentum administratam, certis legibus stabilire; quod plebs incerto jure adversus æquitatem multa fieri quereretur. Igitur an. U.C. 302. distributo inter se regendi ordine, quo unus omnium insignibus consulatibus & prærogativa honoris summa utebatur, leges conjuncta opera decem tabulis cōscripsere, litesque controversæ summa æquitate decisæ, & magna quiete administrata resp. est ut omnes hoc decemvirale imperium præferrent Magistratibus. Diu leges ad examen vocatæ, post senatusconsulto, deinde & plebiscito confirmatæ, cum in præsentia Pontificum Augurumque post rem divinam, collatis per centurias suffragiis placuissent. Denique æreæ columnæ, loco fori maxime conspicuo incisæ sunt. Sed cum Decemviris prorogatum jam in annum tertium esset Imperium; hi clandestino federe sanxerunt, ne inter se quis alteri adversaretur, pari honore ac potestate essent, raro senatusc & plebiscitis uterentur. Plebs & senatus cum omnes regiis videret insignibus prodire, duodecim cuique fascibus prælatis; accedente cæde Servii & judicio Virginiæ, damnatis Decemviris, hanc universam potestatem sustulere. Tanto facilius est aliis æquas leges condere, quam sibi observandas persuadere.

§. 12. *Tribuni militares*, post quadriennium, inquieta, & ad majorem semper libertatem aspirante plebe, ex patriciis constituti sunt, potestate Consulari, ut decerneretur interea: annon conveniret alterum Consulum ex plebe deligi? an potius à Præfectis respubl. administranda? Illud plebis votum erat, sed cum primi Tribuni mil. vitio creati essent, abeuntibus Consules rursum substituti sunt. introducti illi rursum partim ex patriciis, partim ex plebe, denique anno urb. c. 396. plebe jam composita, expirarunt.

§. 13. Inter *Magistratus minores Ordinarios*, *Quæstores Urbani ærarii*, ordine adeundi muneris, primi erant, ad alios enim Magistratus pandebat hic viam, Nulli nisi annos nato 27. & decem stipendia annua promerito, dabatur. Anno Urbis Cond. 269. aucto ærario, Comitiis primum Curiatis duo Urbani sunt creati, ex patriciis: deinde & alii duo ex Consulibus, ad belli ministeria, adjuncti an. 332. At Italia jam stipendiaria, octo ex patriciis plebeisque assumpti an. U. C. 459. quo argentum primo signari cœpit. denique 20. à Sylla 40. à Cæsare creati. quorum munus erat pecuniæ publicæ tam in colligendo quam expendendo rationes inire, signorum militarium (quæ non ex velis, sed auro argentoque conflata erant) curam agere, prædas aliaque in usum publicum bona subhastare ac vendere, Legatos hospitio excipere ac deducere. Horum dignitas sub Augustis crevit, quando Senatus consulta illorum custodiæ tradita, & Quæstores Principum qui Candidati dicebantur facti sunt. Sub Constantino vero legum custodes præsidesque, sua etiam decreta condere poterant.

§. 14 *Tribuni plebis* diu à plebe per fœneratores oppresso, postulati, denique an. urb. c. 260. quinque concessi sunt. postquam auctore Siccio ex castris ad montem urbi vicinum secessisset, ac debitorum remissionem impetrasset, questà se neglectis domi rebus foris bello attineri, nec ex inopia posse domestica hoc pacto emergere. Impetrarunt vero, ut hic magistratus sacrosanctus esset, quem aut vi aut verbis violare, omnibus capitale esset. liceret vero illi cunctis, quæ adversari populo viderentur, intercedere. quod solenni atque unica voce *Veto* solebat,

bat, tanta potestate, ut Senatum solvere, decreta eorum rescindere, Verbo quælibet impedire, ac tollere posset. Neque in hac defensiva potestate substitere, aucti numero (qui anno 297. ad decem excrevit,) deinde & vendicata sibi potentia offendendi, ac nova moliendi, senatum cogere ausi sunt, conciones advocare, tabernas suo imperio claudere, judicia exercere, leges & rogationes ferre. ita ut senatores, quamvis plebei, patricii tamen quandoque etiam, hoc officium prensarent. At Sylla Dictator luxuriantem potestatem valde accîdit: Pompejus in primo suo Consulatu rursum erexit; ut in P. Clodio M. Tullius expertus est. Itaque quod Ephori, apud Lacedæmonios adversus illorum Reges, hũc Tribunip in Rom. rep. adversus Consules & Magistratum fuere, quique in seditionis remedium primo erant reperti, seditionis postea non raro autores extitere. Urbe iis abesse non licebat. Domum etiam noctu, ad perfugium plebis, habebant patentem. Unus, Ceterorum etiam Tribunorum actis, intercedere poterat.

§. 15. *Ædiles* plebs una cum Tribunis pl. à Patribus impetravit; ut illorum adjutores in rebus publicis curandis, & causis quibusdam cognoscendis essent. Duo illorum ex plebe primum creati, qui, velut minuti censores ædium sacrarum, privatarumque, operum publ. ædificiorum funerum, rerum venalium, matrimoniorum &c curã haberent. Unde *Ædiles plebis* dicti. His an. U.C 388. duo ex Patribus Ludorum præcipue solennium in honorem Liberi Floræ &c. curandorum gratia additi sunt, *Ædiles curules*, à curuli sella ipsis concessa, dicti. Quibus denique C. Cæsar, pro annona & re frumẽtaria providenda, duos adjecit alios *Ædiles cereales* dictos Hinc breviter Cicero de Ædilibus 3. de leg. Suntoq; ait, Ædiles, curatores urbis, annonæ, ludorumq; solennium, nam & Ædiles curules magnifica quæq; urbis opera, ut templa, portas, theatra, &c. procurabant; tum etiam annonæ cognitionem curationemque sibi vendicabant. omnium autem maxime ad illos pertinebant causæ & lites redhibitionum, in quibus de rei corruptæ; quam venditor tradiderat, vitio compensando agebatur Unde Kalendis Jan. non aliter ac Prętores edictum

promulgabant, in quo lites, de quibus judicaturi essent proponebant, quod Ædilitium edictum vocabatur. Unde horum Ædilium curulium præcipua ratio atque autoritas fuit.

§. 16. *Triumviri*, seu *Tresviri*, *Capitales* carcerum ac latomiarum curam habebant, de scelere etiam reorum ad columnam Mæviam cognoscebant, qui cum Romani cives non essent, abjectæque tantum conditionis homines jus eis dicebant, utebanturque, ad reos plectendos, octo lictorum servitio. Erant & *Triumviri nocturni*, qui arcendis incendiis præfecti, juxta portas murosque habitantes, vigilabant: & alii *Sanitatis*, qui tempore luis exortæ, magna in omnes potestate cavebant, ne propagatione serperet: & *Monetales* qui cudendæ monetæ præfecti erant.

Quatuorviri etiam viis curandis præerant: in quos Censores hoc onus derivabant, *Quinqueviri*, cis & ultra Tiberim, ob loci distantiam, aliorum Magistratuum erant ministri, eorumque hic munere fungebantur. *Centumviri* (sic dicti quod circiter numerum centesimum, ex 35. tribubus; terni ex singulis, lecti, æquarent) judices erant, qui plerasq; rerum privatarum causas, ut de usucapione, tutela gentilitate, alluvione, parietibus, luminibus, stillicidiis, testamentis &c. judicio suo deciderent. Horum deinde, & numerus, & jurisdictio amplificata est.

§. 17. *Extraordinarii magistratus minores* erant. *Duumviri perduellionis* qui nominabantur, ut de hoc crimine inquirerent judicarentque, quales primum à Tullo Hostilio Rege, sunt constituti, cum Horatius victor de Curiatiis triumphans, occurrentem cum lamentis, ob virum interfectum, sororem confodisset. Rarus deinde illorum Duumvirûm usus, quanquam Cicero rursum introductos queratur. *Quæsitores seu*

§. 18. *Quæstores parricidii*, vel rerum Capitalium, frequenter ex magistratu à plebe lecti sunt, quia de capite civis Rom. injussu populi, Consulibus jus dicere non licebat. Res tamen denique an. U. C. 604. ad præfectos certis causarum generibus Prætores delata est, quibus præesse atque exercere Quæsitoris munus concessum est.

§. 19. *Præfectus annonæ* datus sæpe, ut provideret, ne plebs

plebs frumenti laboraret inopia, pondereque justo ac munditiâ panis vænirer. Hoc enim defectu metuenda erat seditio. Ita quoque *Quinqueviri mensarii* constituti, quibus curæ esset, ne plebs ære alieno per fæneratores nimium pressa tumultuaretur, ideoq; moderatione inter utramque partem certa, sed difficili, æquandæ rationes erant. Classibus quoque instituendis *Duumviri* navales interdum creati, uti legendo ex juventute militi, *Triumviri*, quales etiam quandoq; legendi senatus, aut recognoscendi turmas Rom. Equitum, constituti sunt.

Romanis porrò ad Monarchiam unius sub Octaviano Augusto redeuntibus, Imperator alios Magistratus prioribus ferè, aut neglectis, aut mutatis constituit.

§. 20. *Præfectus Prætorii* in his primum facile locum occupavit, proximâ ab Imperatore dignitate, hic n. prætorianis, hoc est, delectis ad custodiã Imperatoris, militibus, præerat, & res præcipuas, summâ autoritate, administrabat; ut sub Dictatore Magister Equitum, nec denique licuit ab illius sententia in judiciis appellare. Electi ab ipso Imperatore cingulo gladioque donabantur, cum illa quondam memorabili Traiani voce, *Accipe gladium, quo, si è rep. imperavero, pro me, si secus in me utere.* Quod sub Constantino Præfectus Maxentio adhærens perverse ausus est; ideoque illorum autoritas propemodum eversa est, honore ac munere partim sublato, partim in plures ab Imperatore diviso.

§. 21. *Præfectus ærarii* constitutus ab eodem Augusto, quando ad militem alendum, qui imperii fines tueretur, ærarium militare instituit, quod suis ipse & amicorum donis auctum, vicesima omnium hereditatum & legatorum partem locupletavit, atque ad triennium tribus Præfectis commisit, quibus singuli bini lictores aliique ministri additi. Porrò *Fiscus* locus erat, quo universe pecunia publicis usibus asservanda colligebatur, quæ ad Principis usum esset, Fiscus Principis dictus est, cùm alias ærarium publicum, vel privatum diceretur. Qui hujus tuebatur, *Patronus*, vel *Advocatus fisci*, nuncupatus est.

§. 22. *Præfectum* quoque *frumenti dividendi* Augustus constituit, qui in annonæ difficultate, vel frumentum, vel certe tesseras (ligna erant certis signis notata)

dividebat, quibus suo tempore oblatis frumentum acciperent, idque vel gratis, vel leviori pretio, quo populi sibi favorem in suscepto recens imperio compararet.

§ 23. *Præfectus Vigilum* ab eodem institutus, postquam tributa in 14. regiones urbe, septem in ea Cohortes, pro custodia, sub Tribunis distribuit, quibus unum Præfectum dedit, qui noctu oberrare solitus, incendiis cavendis advigilabat, punitis, si quos ea in re deprehendisset. His duos *Curatores* singularum *regionum* addidit, qui commoda illarum apud principem curarent: *Denuntiatores* totidem, qui, si quid incommodi evenisset, denuntiarent. E plebe vero *Vicomagistri* quatuor singulis vicis dati, qui eos in quotidianis casibus tuerentur. *Decemviri* denique Judices erant, qui hasta prætoria fixa; ad eam centumviralia judicia exercebant, de quibus paulo ante dictum. Decemviri judicandis litibus (id est super litibus) appellati.

§. 24. *Provincialis magistratus erat*, qui extra urbem Provinciis Rom. præsidebat, ad has enim qui consulatu gesto (vel sine hoc, quod rarum, consulari potestate) mittebantur, *Proconsules* dicti sunt: alii vero *Prætorum* titulo atque auctoritate, præerant. qui, si Consules belli, in iis provinciis gerendi, causa advenissent. *Proprætores* appellati sunt, dignitate retenta. Annuus utrorumque magistratus, nisi forte prorogaretur. His abeundum erat elapso tempore, lege Cornelia, intra dies 30. exercitu, rationibus successori traditis, vel legato ad hoc relicto, si is nondum adesset. Quanquam rationes. C. Jul. Cæsar in duabus urbibus relinquendas constituit: Romæ eædem cum ipsi, tum aliis administrationis sociis reddendæ. Quod si avare crudeliterque multa gesta essent, repetundarum; si pecuniam publicam avertissent, peculatus; si exercitum è provincia abduxissent, hostive tradidissent, majestatis læsæ rei agebantur. Quod si Proconsules, bello recte & gloriose contra hostes administrato, redirent, consistentes extra urbem, ad senatum, in ædem Bellonæ convenientem, de gestis referebant, & si annueret, triumphantes urbem subibant. Provinciale illorum munus erat, obire urbes, & de publicis rebus quæstiones excipere, ac secundum jus Romanum definire: privatas etiam causas, vel per se, vel per

socios Legatos Quæstoresque expediri, tributa,vectigalia,frumenta,naves imperare, Quibus in officiis multi avare crudeliterque,ut de VerreCicero ostendit,versati sunt. Provinciæ Consulibus,priusquamConsulatum inirent, decretæ Comitiis centuriatis, & senatus consulto ornatæ, hoc est,de exercitu,stipendiis viatico, comitatuque provisum est:ne suo hæc ipsi Consules arbitratu decernerent.

§. 25. Comitatus illius *Legatos* præ reliquis tres pluresve ex amicis;at fere designante senatu,complectebatur,qui consiliorum socii & adjutores, privatas fere causas expediebant,vicem absentis sustinebant.His,cum exercitu, sui Tribuni centuriones,&c.tum inter ministros scribæ,Accēsi,Aruspices, Medici,cubicularii, lictoresque(& quidem Proconsulibus duodecim,cum fascibus, Prætoribus seni) adjuncti fuere,sumptu publico,nisi qui forte,legē Curiata non delecti, Provinciam obtinuissent. hi enim viatico ex rep.erant destituti.

§. 26.*Quæstores*,pro singulis quoque Provinciis, eisdem Comitiis lecti,proxima à Præsidibus autoritate, qui supra Urbanos prætextâ:Lictoribus,& Scribis,ad publicas tabulas conficiendas,utebantur, qui forte mortui essent. *Proquæstores*, ab ipso Proconsule, vel Prætore substituti, inferioris gradus habebantur. Munus illorum erat pecuniam publicam à Tribunis ærarii sumptam Legatis, cohorti Prætoriæ, & exercitui suppeditare; contraque Vectigales Provinciæ reditus Romam in ærarium transferre.

§.27. *Præfecti* quandoque etiam in Provinciis instituti;ut, post debellatum Antonium Præfectus Ægypti, qui ex ordine Equestri,non senatorio,ut reliqui, mitiori imperio,hunc populum,adversus rebellionem,contineret. *Præfecti Præfecturarum* inferioris ordinis (quod Præfecturæ in Italia dicerentur urbes, in quibus jus & nundinæ exercerentur)erant illi,qui a Prætoribus Urbanis ad has urbes,juris dicendi gratia mitterentur.Ceterum Imper Hadrianus Italiæ quadripartitæ Consulares quatuor, judiciorum causa,præfecerat.

§ 28. *Coloniarum deducendarum* gratia Tres, quinque, septem,decem, aut viginti curatores præficiebantur, qui *Triumviri,Quinqueviri*,&c.agrorū attribuendorū dicebā-

tur. Solebant enim Romani gentem aliquam devictam parte agrorum multare, eamque suis attribuere civibus, tum, ut Italiam Romamque sublevarent, ut, hac velut custodia, separent nationes peregrinas, loco igitur pro Colonia designato, Romæ senatusc. vel plebiscito numerus colonorum scriptus est. Hi sub curatoribus, qui suos cuique agros designarent, unius ductum ac signa sequentes, ad urbem, vel recenter loco commodo exstruendam, vel veterem aliquam instaurandam, suisque formandam legibus ibant. Urbis vero agrorumque terminos, aratro ducto, circumscribebant, Romanisque decimas ex frugibus, ex ceteris etiam pecoribus, rebusque aliis, vectigal jubebant pendere. Quæ omnia auspicato fieri necesse erat. Solenne enim Romanis fuit.

A Iove principium.

CAPUT XXX.

De jure Rom. Veteri & moderno.

JUs cum lege sępius confunditur; illud tamen generalius etiam non scripta, hæc scripta tantum complectitur. Jus Romanum primis sub Regibus usurpatum Sextus Papirius libro complexus est, quod iccirco *jus civile Papirianum* est appellatum. Sed exactis Regibus, lege Tribunitia, hoc in usu esse desiit, urbisque Magistratus arbitrio per annos ferme 20. est administrata, dum leges 12. tabellarum à Decemviris conditæ sunt. De quorum sensu cum sæpe disceptaretur, actiones in foro institutæ sunt, & prudentum responsa accessere. Cum vero actiones, certis formulis regerentur, in Pontificum penetrali abditis; Cn. Flavius scriba, hoc secretum, ad certam formam ab App. Claudio redactum populo evulgavit, fastis in foro propositis, unde *jus civile Flavianum* dictum est. Quod vero ad interpretationem legum & æquitatis in foro attinet, quid communi consensu prudentum in foro esset definitum, *Iurisconsultorum decreta*, vel definitiones appellabant,

con-

constituebantque jus civile non scriptum, quæ postea in regulas Iuris, & libros quinque receptarum sententiarum Iulii Pauli ad filium digesta sunt. Verùm ubi plebs à Patribus discedere, ac sub Tribunis pl. autoritatem sibi arrogare cœpit, leges, quas illa communi sententiâ statuit, *plebi scita* dicta sunt; quas verò Senatus ad populi totius moderationem, *Senatusconsulta*. Si quid verò edicto Prætores, & aliquando etiam Ædiles curules constituissent *jus honorarium*, quod denique unus aliquis Dictator, aut Princeps, *Principum placitum*, solitum est vocari.

§. I. Lex autem universè magna cura ac religione ferri consueverat. Nam ante omnia lege Licinia & Æbutia, cautum erat, ne eam Legislator in suum, aut cognatorum privatum commodum rogaret, id est, conderet. Deinde ne una rogatione, pluribus de rebus, generis diversi ferret: quod lex Cæcilia & Didia vetabat. Lex itaque à legitimo Magistratu concepta, & in senatu primum proposita (nisi fortè contra eum ferretur; ut sæpe à Tribunis pl. factum) deinde promulgari, hoc est, vulgo per trinundinum (quod dies 27. complectebatur, inter quos tres nundinæ essent) cognoscenda exponi solebat; ut statuere liceret, accipiendane, an verò antiquanda videretur. His lapsis Magistratus die fasto ad locum sacrum, inauguratumq; justis auspiciis, conveniebat. (donec P. Clodius, ne quid suis obstaret contra Ciceronem legibus, & auguria, & fasti diei observationem lege opposita sustulit) Hic postquam lex ab autore suasa esset, quam Præco recitabat, licebat aliis, etiam privatis, adversus illam, ex rostris, aut alio editiore loco, disserere. Post hæc sortibus in unam missis æquatisque, ne quæ subsultaret (hoc est, emineret præ reliquis) educta sunt, vel centuriarũ, vel Tribuum nomina, ut suffragiorũ his ordo definiretur. Quo facto, nisi Tribunus pl. intercederet, vetaretq; perferri legem, auctor proclamabat; *Si vobis videtur, discedite*. Simulq; aderant qui diriberent, id est, distribuerent singulis duas tabellas unam literis V. R. (id est, *uti rogas*) alteram A (id est *antiquo*, seu *abroo*) signatam. Cumque Tribus, vel Centuria, quæ sorte prima erat, ideoq; prærogativam haberet, ad pontes, seu mensas suffragiorum, quæ duas sustinebant cistas, & pro Tri-

 buum

buum numero 35. pro Centuriarum vero 193.erant,ſuffragium tuliſſet,denumeratis in utramque partem tabellis ſẽtentia illius ex numero potiore,à præcone vulgabatur,qua ratione,ubi in reliquis eſſet proceſſum Tribub⁹,diremptione ſuffragiorum ſciſcitabatur,vel antiquabatur lex.Scitam autem legem acceptamq;,cives jurejurando confirmabant atque in tabulas æneas inciſam referebant. Porro Comitia inCampoMartio plerumque centuriata erant,in foro vero aut Comitio Tributa & Curiata In tributis minores magiſtratus creabantur,utÆdiles &Tribunipl.in reliquis majores:in omnibus certæ leges rogari poterant.

§.2. Ceterum inter leges Papirianas quæ Regum fuere, una fuit:*Ne quid inauguratò faciunto*:altera.*Ne quis præſentibus fœminis obſcœna verba facito*:tertia,*Mulier ſi vinum biberit,domi ut adultera puniunto*, aliæq; quæ apud Roſinum notatæ leguntur. Jus illud poſteriori ætate, ex innumeris veterum ſcriptis collectum digeſtumque,*Pandectarum*,ſeu *Digeſti* nomine,per Juſtinianum Imperatorem doctorum virorum opera eſt;Subdiviſum in *Digeſtum vetus*, quod libros 24.complectitur,&*Infortiatum*, quod libris 14. tum *Digeſtum novum*,quod 12.abſolvitur, variamque de judiciis,contractibus,teſtamentis,bonorum poſſeſſionibus, actionibusque per ſeptem partes materiam complectitur. His accedit *Codex* ante Pandectas etiam libris 12.concinnatus,qui profanis legibus ſacras præmittit.Deinde *Authenticæ*,ſeu *Novellæ conſtitutiones* Juſtiniani,quæ novem collationibus varias materias , ac poſtremo librum feudorum collatione decima complectitur. Porro *Inſtitutionum libri quatuor*,breve aliquod iuris compendium proponunt Citantur hæc opera per ſuos titulos(ſed plerumq; abbreviatos,ut iccirco hos noſſe oporteat)deinde leges & §,addendo,vel ff quo ſignificatur Digeſtum aut Pandectæ (olim π ſignum erat)vel C. quod eſt Codex, vel Auth vel Novel.vel Inſt.quod eſt Authenticæ,vel Novellæ,vel Inſtitutiones.

§. 3. Aliud *Ius canonicum* eſt,in totidem pene diviſum partes.*Decretum* illud opus vocatur,quod Sanctorum Patrum ſententias,à Gratiano anno 1193. collectas continet, ſubdiviſum in partes tres,quarum prima*Diſtinctiones*,in ſua capita,ſeu canones diſtributas,altera *cauſas*,in quæſtiones & capita diſtinctas , ac præterea in cauſa trigeſima tertia

quæſt.3.

quæst.3.tractatum *de pœnitentia* in 7. distinctiones sparsum complectitur: tertia pars de consecratione, quinque etiam distinctionib⁹ per cap. seu Canones agit *Decretalium* opus secundum, rescripta ad varias quæstiones diversorum Pontificum exhibet libris quinque, Gregorii IX Pont. autoritate à Raymundo Sacellano collectum. Cui accessit à Bonifacio VII. liber *Sextus* Decretalium, qui legum jurisq; materiam in priorib⁹ neglectã tangit: illi an. 1231. hic: 1298. vulgatus. Cui accesserunt Clementis V. studio, anno 1310. *Clementinæ* Joanne Papa post illum vulgante. ac postremo *Extravagantes*, quibus reliqua augentur, & stabiliuntur, quæ juris sunt Ecclesiastici. Decretum vero citatur in prima parte hac ratione. D. 50. ponderet. Id est Distinctioue 50. canone ponderet. In secunda parte hos modos 1. q. principatus, hoc est 1 q. can. principatus. In tertia parte sic. De consecr. dist. 1 c nocte sancta *Decretales* hac ratione. De foro compet. Si diligenti. hoc est: titulo de foro competente: capite si diligenti. Ita porro in reliquis: nisi quod addatur. In Sexto & Clement. & aliquando §. si capita sint longiora. Hæc ad quorundam librorum erudite de legibus ac jure scriptorũ faciliorem lectionem intelligentiamq; placuit adjicere. Certè utrumque cum Infortiato digestum, tanta Latini sermonis puritate, ex Papiniano, Ulpiano, Jul. Paulo aliisque doctissimis veteris ævi viris collectum est; ut in politica vita foroq; vix quisquam, extra hujus usum, Latine proprieq; loqui possit.

CAPVT XXXI.

De veterum Iudiciis causarumque finiendarum ratione.

QUoniam vero, ne Orationes Ciceronis, aut scripta Jurisconsultornm, sine aliqua Judiciorum apud Rom usitatorum ratione intelligi possunt, de his earumque formulis ac diversitare strictim agendum est,

Judicia alia privata, alia publica. illa fere de controversiis, hæc de criminibus instituta, unde causæ civiles, & criminales dictæ sunt.

§. 1. Cau-

§. 1. Causarum civilium pertractandarum ratio erat à criminalibus diversa. vel enim illę personas, libertatem illarum, adoptionem, tutelam &c. spectabant; vel res, ut hereditatem,, fideicommissum, usucapionem, cessionem, emtionem, &c. vel denique obligationem, sive ex contractu aliquo, sive ex delicto ob damnum illarum ortam. Has vero causas primum Reges, ac deinde Consules, mox etiam decemviri, ac potissimum Prætores cognovere. Qui quidem causas, quas Judicum longæ difficilique quæstioni committendas non censebant, Interdicto absolvere consueverant; alias rigidiori Judicum designatorum examini transcribebant. *Interdicta* vero, ut Justinianus ait, erant certæ verborum formulæ, quibus Prætor aliquid fieri, aut jubebat, aut prohibebat, ut erant plerumque, quæ de vi circa rerum possessiones, vel evenerant, vel metuebantur.

§. 2. Ante omnia tempus observatum. Nam inter dies alii fasti erant, quibus fari in judicio licitum; nefasti alii, quibus vetitum; intercisi denique quibus partim horis certis fari licitum, partim vetitum. Feriis stativis certorum festorum & conceptivis arbitrariorum lege agi non poterat, ut nunc fere autumnales & æstivales feriæ, ad vindemiam frugesque colligendas, dantur. Nisi quod causæ Orphanorum viduarumque ac criminales exceptionem admittant. Tempus causæ finiendæ, olim brevioribus terminis circumscriptum, nunc à lite contestata in civilibus triennio, in criminalibus biennio, extendi potest.

Diebus igitur fastis Prætores summo mane in Comitium forumve progressi, Accenso, ut horam tertiam populo inclamaret, simulque qui lege *agere* vellent accerseret. Actionem vero definit Justin. Jus persequendi in judicio quod sibi debetur. Talem igitur actionem à Prætore postulare, erat, aut judicium, aut Judicem in eam rem, de qua lis erat, postulare, ut re cognita, & judicata, jus cuiq; suum tribueret.

§. 3. Prima erat in judiciis, estque hodiedum *vocatio in jus*. ante hanc tamen experitur privatim; malitne satisfacere, an secum in judicio contendere; quod ni fiat, actor injuriarum tenebitur. Si reus abnuat, nunc quidem *libello* conventionis, quo causa exponitur, Judici oblato, citatur per Apparitorem. Olim ipse etiam Actor vocabat; & si

Reus

Reus sequi detrectaret, apprehensa alterius forte præsentis auricula, rogabat, licetne attestari? id est, te uti teste? quo annuente, manu injecta ad Prætorem trahebat. Nisi forte domum suam occupasset Hinc enim extrahi vetitum. Quare talis edicto Prætoris vocabatur, & si ternæ evocationi non paruisset bona ejus à Petitore proscribi, possideri, ac distrahi jubebat. Hoc tamen discrimen secutis temporibus reus evitavit. Si satisdaret, fore, ut se in jure sisteret.

§. 4. Ubi jam venerat, *editio actionis* ab Actore facta est, proposita actionis species, qua reum conveniret, (quod nunc libello facimus) postulabatq;, ut sibi liceret in adversarium *intendere*, solennibus id tempore verbis, quæ nefas erat permutare. Tum Reus vicissim Advocatum causæ suæ hominem juris peritum postulabat.

Quibus impetratis, Actor certa verborum forma *vadatur*. Reum, id est vades petebat, fore, ut certo die (qui perendinus fere erat) se jure, causa jam expensa, sisteret. *Vadimonio* promisso, ac deinde concepto, per sponsores dignos, tertio die, qui *comperendinus* dicebatur, per Accensos vocati aderant, (aut si per absentiam illegitimam vadimonium alter, & præsertim Reus, desereret, litem perdebat.) Tum prior Reus. *Ubi tu es, qui me vadatus es? ubi tu es, qui me citasti? Ecce ego me tibi sisto, tu contra & te mihi siste.* Progressum ad hæc Actorem sciscitabatur: *quid ais?* cui ille *ajo* (exempli gratia) *fundum quem possides meum esse ex jure Quiritium*, vel *ajo te mihi dare*, vel facere, *oportere*, prout causa postulabat, & hæc responsio Actoris dicebatur. *actionis intentio* Quod si inficiens contra assereret. *Et ego meum, non tuum esse fundum ajo, ex eodem jure Quiritium*: Tum Actor *satisdationem* hoc modo postulabat. *Satisda te non deteriorem possessionem facturum.* Quâ abs Reo præstita, *sponsionem Sacramenti* (hoc est certæ pecuniæ deponendæ) exigebat, his verbis; *spondesne quingentos* (aureos) *si meus fundus sit?* Tum Reus *spondeo*, ac vicissim contendens sacramento, sive restipulans, stipulatorem interrogabat. *Et tu, spondesne totidem, ni tuus hic fundus sit?* cui ille *Spondeo, ni meus hic fundus sit.*

§. 5. Porro cum in actione de rebus duplici judicio, *possessorio* scilicet, & *petitorio* ageretur, illudque rerum substantiam, possessione vel adeundam, vel retinendam; hoc vero

pro-

proprietatem, aut jus aliquod substantiæ annexum, spectaret in illo quidem (de quo superius exemplum fuit) consueverunt olim rem sibi vendicare manu illam apprehendendo, ut servum, aut domum, dicebaturque actio hæc vindicationis; quod si vero res abesset, ut ager, aut domus, ex illo glebam, ex hac stipulam in judicium allatam (quas vindicias appellabant) manu cōserta apprehendebant. Ad quā consertionem sic vocabat Actor, *Fundus agri Sabini meus est eum ego, ex jure Quiritum meum esse ajo, inde ibi ego te jure manu consertum voco.* Cui alter Reus *Vnde tu me jure manu consertum vocasti, inde ibi ego te revoco.* Tum Prętor dicebat utrisque. *Istam viam, dico, inite viam.* Præsto aderat Sapiens, quo duce inirent. Tum Prætor: *redite viam,* & eodem duce redibant. Mox prehensa gleba Actor. *hunc fundum,* ait, *meū esse dico.* Sub hæc Prætor enuntiat. *Vnde tu eum dejecisti, cum nec vi, nec clam, nec precario possidet, eo illum restituas, jubeo.* Vel si de servo ageretur, Actore manus capiti imponente, his verbis; *ego hunc hominem meum esse ajo ejusq; vindicias mihi conservari postulo.* Tum Prætor interdicens, *Qui,* inquit, *nec vi, nec clam, nec precario possidet, ei vindicias do.* Qua sententia is, qui horum insons esset, possessionem tempore litis adibat, dum constaret ad quem jure pertineret. Melior est enim conditio possidentis, cum adversarius ad probationem juris teneatur; possessor liber sit, maneatque I, nisi convincatur possidere alienum. In ceteris causis formulæ erant affines, quas hic omnes recensere longū sit.

§. 6. Ita *litis intentione* apud Prætorem formata Actor, vel Judicem, vel judicium (si res gravior esset) postulabat, cōcedente Prætore. Judex vero alius publice juxta leges decidebat litem, alius arbiter ex æquo privatim. Ad judicium vero, vel Centumviri, si de jure potius, quam facto quæreretur, vel *Recuperatores*, qui de rebus privatis recipiendis, reddendisque cognoscebat. Si Reus contra Judicem legitime non exciperet. Prætor mandabat. *Esto Iudex, & si pateat fundum Mævii esse, nec Servilius possidere sinat, Servilium damnato* Judice cum hac similive potestate constituto, testium Prætor numerum designabat, quales plerumq; decem. Dato vero acceptoque judicio nisi Tribunipl. à factiosis appellati, auxilii causa intercederent, satisdationes præstitæ sunt, quod *judicatum solvi* & *rem habere ratam* velint. Quod si actio in personam debitoris esset, *Procura-*

tores

tores causæ satisdabant,& Actorum quidem *de rato*, Reorum de *judicato solvi*. In causis bonæ fidei Arbitro commissis,pecunia aliquando utrimque deposita est, quæ *compromissum* dicebatur,ut fidem obligarent.

§.7.His factis cum ad testes utrimque provocassent,*litem contestabantur*,& in perēdinum sibi diem,coram Judice ad futuros condicebāt,unde *comperendinatio* hęc,sive *condictio est* appellata.quæ si cum peregrino intercederet, tertius hic dies *status* erat.Hoc abesse(nisi quis sontico, id est, gravi morbo,aliave legitima causa destineretur,aut absens post sex menses tertia citatione comparuisset)*peremptorium* fuit. Cum adessent,Judex in comitio ad aram,quæ PutealLibonis dicitur,(AcciiNavii illic novacula una cum cote divisa, in puteo erat defossa,ubi Jovem lapidem jurareRom.consueverant his verbis.Si sciens fallo,ita me ejiciat Diespiter bonis,salva urbe & arce,ut ego hunc lapidem) jurabat se *ex animi sententia* judicaturū, secundū leges, deinde utrumq; litigatorē ad *juramentū calumniæ* vocabat, ne quis cui volens injuriam faceret. Quo peracto,Litigatores,vel Patroni eorum,brevē primo causæ fecere expositionem, quā *causæ conjectionem* dixerunt Deniq;Oratores seu Patroni testibus literis,argumentisq; fuse diserteq; inter se contenderunt. In centumviralibus tamē causis,res per partes,atq; in orbē consultationibus mutuis expensæ sunt, ut in causis Rotæ Rom.hodiedū consuevit,&Decemviris sæpe causa ante ad *præjudicium* ferendum delata est. Deniq; causa utrimque perorata,post meridiem sententiam Judex ferre solitus est, diversis,pro causarum diversitate,formulis , additis hisce verbis,*Siquid mei judicii est*:aut , si obscura res etiamnum maneret,*sibi non liquere*.

§.8.Sententia jam lata,in causis arbitrariis, si Reus Arbitrio non pareret,Actori jusjurandum in litem deferebat,ut quanti litem æstimaret ediceret;quo facto Reum non tantum in ea,quæ stricti juris fuerant, sed etiam in æstimationem Actoris juratam damnabat. Porro judicio causarum absoluto,quoniam fieri poterat,ut in actione intentata,vel recusata,vel etiam definita , aut Actor , aut Reus , aut Judex , mala fide , aut errore quæpiam admisisset corrigenda , tria alia dabantur judicia , & *Reo* quidem,si inique dejectus esset *restitutio in integrum* data est , vel si post 30.dies judicatum non faceret, vinctus à Prætore ad-

dictu,

dictus est in carcerem creditori, quæ erat contra Reum *addictio* facta creditori. Aliud erat *judicium calumniæ* in *Actorem*, si *calumniatus* fuisse argueretur, id est accepta pecunia litem intendisset, aut neglexisset; aut *depectus*, hoc est, turpiter pactus esset. Tertium judicium exercebatur in Judicem, vel Arbitrum pecunia corruptum; aut doli, neglectusque convictus, quibus casibus, Judex *suam fecisse litem* dictus est, & per *judicium falsi* damnatus, veram æstimationem litis præstare cogebatur. Denique etiam, abrogata lege XII. tabularum, lege *repetundarum*, in Judicem actum est. Et hæc de caussis civilibus, quæ demptis illis Prætorum formulis, Judicum assignationibus, & oratorum concertatione, etiamnum suum usum fere in judiciis obtinent.

§. 9. In criminalibus ratio procedendi aliquantulum erat diversa. Hæc enim judicia plerumque habebantur publica, quod reip. bonum læderent. Ideo, vel Prætore, vel Quæsitore, aut Judice quæstionum (pro diversis reip. temporibus & scelerum conditione) Judices constituente, adversus quos Reus Actorque non possent excipere, hac methodo processum est. I. Accusator Prætorem accedens, petebat facultatem sibi dari criminis caussa aliquem in *jus vocandi*, quo vocato, & apprehenso, adductoque (si tamen adesset, nam & contra absentes actum) postulabat, ut sibi liceret nomen ac crimen deferre, quo dato, per Præcones certo die citatus, nisi compareret, damnabatur. Unde *postulati* majestatis, aut repetundarum dicebantur. Quod si plures Accusatores concurrerent, & de certis eligendis per Prætorem deliberaretur, aut etiam Judicibus acceptandis, vel repudiandis, consultaretur, dicebatur *divinatio*: qualis in Verrem Ciceronis. Ubi Accusator & Reus comparuissent, ille ante omnia *calumniam juravit*, hoc est, se nihil calumniandi gratia facturum. Tum Reus Vadimonio præstito. *Ecce me, sisto me. & tu siste te, quid ais?* Cui Accusator: *ajo te peccasse contra hanc legem*, &c. In Prætura v. g. spoliasse Siculos. si Reus inficiaretur, postulabat Accusator, ut inter Reos ejus nomen reciperetur, quod erat *reum facere*, & *legibus interrogare*, atque ex hoc tempore *delatio nominis* facta erat, quæ *intentioni litis* in caussis civilibus respondebat.

§. 10. Sub

§. 10. Sub hæc Judicum *sortitio*, vel *editio* facta est sorte videlicet, vel electione, præsidente fere Quæstionum Judice. Accusatores deinde & Patroni (nam plures accusationis defensionisque partes, inter se ; plerumque diviserant) illi per dies aliquot, crimina prodebant, eaque per testes tabulasque rationum vel auctionum, vel pactionum, aliave scripta, tum etiam per quæstiones servorum tormentis subjectorum præsertim in cædibus admissis, denique per argumenta conjecturasque vitæ anteactæ probabant. Prima die plerumque post crimina recensita testes interponebāt, altera perpetuam accusantis oratione complectebantur, quę in totam rei vitam stricta, erat liberrima, re enim ad forum deducta; dixit Accusator quæ voluit. Hac oppugnatione ; per dies quandoque viginti producta (tamdiu enim lege Cornelia visum licere) defensio instituta est ; quæ totidem extendi diebus poterat, munere inter Patronos diviso. In hac, aut factum negare, aut nomen facti; aut jure factum, probate contendebant. Ut in causa repetundarum , & ambitus negabatur plerumque factum (ut patet in Fonteio Flacco, Muræna, Plancio) in causa majestatis ratio facti , (ut pro Cornelio) In cęde jus facti (ut pro Milone) sæpe propugnatum est. Quandoque pro Reo, etiam Laudationes, à patrocinio, vel sejunctæ, vel conjunctæ instituebantur. Talem præposuit defensioni Cicero, pro Flacco, inseruit pro Cluentio, subjunxit pro Cælio. Et in his judiciis defensio semper accusationem sequebatur. Quod si tamen, post primam actionem Judex, vel Quæsitor, qui Judicio una ; cum suis Consultoribus pręerat, Reo comperendinationem indulsisset, in hac defensio accusationi præmissa est. Ita Cicero libris quinque Verrem defensum accusavit.

§. 11. Postquam vero uterque Orator se dixisse significasset solenni voce *Dixi*, Præconis voce idem denuntiatum est, & Prætor Judices *in consilium misit*, id est, tres singulis tabellas dedit, prior litera A. altera C. tertia N. L. Absolutionem , Condemnationem , & Non Liquere causam (quod alia voce dicebant ampliare) significabat Harum aliqua in urnam appositam missa, ferebant sententiam, dum interea Reus ad implorandam misericordiam pedibus Judicum adstratus procumberet Mox diremptis tabellis Prætor, seu Quæsitor, Judicium cognovit suffragia, quibus si

damnaretur, prætexta deposita, ferebat hac fere formula sententiam. *Videtur vim fecisse, atque eo nomine aqua & igni interdico.*

§. 12. Damnato Reo, si quid damni cuipiam dedisset, *æstimatio litis* facta, qua statutum, quid cuique refundendum, tum deinde adhibita in delinquentem *animadversio*: vel in mulcta pecuniaria, quæ si non esset solvendo, ex bonis auctioni subjectis hæc subducta est. qui emissent *sectores* dicebantur: vel *talionis* pœna (id est pari damno, quod dederat) multatus, vel *infamia nota* plexus per censores, privilegiis urbis & omni magistratus obeundi jure privabatur. Vel *aqua & igni* reis *interdictum*, hoc est proscripti Italia sunt, aliisve pœnis subjecti, prout sceleris & judicii ratio ferebat.

§. 13. Absoluto vero Reo geminum adversus Accusatorem *judicium* exerceri poterat alterum *Calumniæ*, si falso crimina imputasse sciens deprehenderetur; alterum *Prævaricationis*, si cum Patrono Reove collusisse, nec serio causam prosecutus esse agnosceretur. Illud frontis inustione; hoc infamiæ pœna luebatur. Si per errorem crimen detulisset, impunis erat. Quod si igitur Judex diceret: *Non probasti*, pepercit Sin, *calumniatus*, aut *prævaricatus*, condemnabat.

§. 14. Postremo observandum, non omnia judicia per constitutos Judices modo supradicto disceptata atque absoluta esse; sed quædam illorum sibi populum Rom. sub Magistratus, aut plebem sub Tribunorum pl. directione, in Comitiis publicis, per suffragia ultimo decidenda vendicasse. quod quidem Comitiis curiatis factis sub Regibus, postea vero populus Rom. crimina *perduellionis*, sive judicia capitalia, in quibus de pœna mortis contendebatur, centuriatis fere comitiis; plebs vero judicia minora, quę capitis non essent, Tributis absolvebat. Ceterum ordo agendi hic fuit. Magistratus, seu Tribunus, si quem reum agere & accusare decrevisset, eum publice ex Rostris populo per Præconem denuntiavit, reumque citavit, qui si non adesset constituto die, per cornicinem ad foras domus missum evocavit, accusationemque ter intermissa die peregit Ubi ter accusasset, rogationem ternis nundinis promulgavit, in qua Rei crimen ejusque pœnam exposuit, quamvis q; ultimis

mis nundinis accusationem, nisi quis intercessisset, (quod & Magistratus alius, & populus exoratus à sordidatis poterant) intulit. Post quæ Reo facultas defendendi sui facta est. Quibus peractis, dies comitiorum ac judicii Reo populoque per Præconē & Cornicinem classicum juxta domum & circum mœnia inflantem, denuntiata est, nisi Accusator cessisset, his verbis, *non moror*; aut intervenissent auxilio alii. Hoc in comitiis die comparendum, si morbus sonticus, aut funus curandum non obstarent, vel etiam auspicia judicium sustulissent, aut denique voluntario exilio pœnam non prævertisset. Ubi ad Comitia ventum, Magistratus accusans, hac similive formula rogationem tulit. *Rogo vos, velitis jubeatisne, ut Miloni aqua & igni interdicatur?* Cui si vel populus, viva voce responderet: *volo jubeo, uti rogas.* vel ad pontes tabellam daret V.R. (quorum utrumq; diversis temporibus usitatum, damnatus erat Reus: aut si *antiquaret*, absolutus. Ultimo in reos animadversum varie pro merito est. Liberi fere de saxo Tarpejo præcipitati, servi in patibulum, aut crucem acti, virgis tamen ante ex more cæsi Securis etiam & laqueus in usu erant, tum eculeus ad veritatem à servis extorquendam Contumeliæ gratia corpora in Tibrim, aut ad scalas Gemonias contemptim quandoq; abjiciebant.

CAPUT XXXII.

Ratio Iudiciorum huius temporis, tam civilis quam criminalis.

HIs ratio Judiciorum huius temporis brevissime subjungenda, ut lucem invicem præstent, accipiantque, neque rudem in his causis Oratorem legendo, scribendove morentur.

§. 1. Dividitur *Iudicium*, ex persona judicantium in *Ecclesiasticum* & *seculare*: ex re quæ in Judicium venit, in *possessorium* & *petitorium*, *Civilis & criminalis* causæ ex modo procedendi Judicium, in *Ordinarium* & *extraordinarium*: Ad Ecclesiasticum judiciū lis omnis de bonis Ecclesiæ, Sa-

cramentisq; (in quibus & Matrimonium censetur) tū cleri universi spectat, qui in seculari judicio(nisi ut alium istic Reum conveniat)comparere,etiā cum voluerit,nequit.cū hoc privilegium Ecclesiæ sit,non personarum. Quod si tamen majoribus nondum Ordinibus initiatus,si bigamus,si joculatoriæ arti deditus,si in assassinii crimine (quod sicariorum est pretio conductorum) deprehensus fuerit, hac prærogativa indignus, ad judicium seculare trahi poterit. Quanquam& Clericus ratione feudi,Dominosuo seculari, (cum de illo lis est)ut vasallus obnoxi⁹ relinquatur.Ceterū Judex secularisEcclesiasticum condemnans ab Ecclesia,usq ad emendationē,submovetur c.2 *extrav.de foro compet.* nisi tamen is fuerit præfectus universitatis Principis autoritate institutæ,qui de membro universitatis,in causa ad hāc spectante judicium tulerit.l.3 ff de Colleg.illic.De possessorio judicio supra egim⁹,reliqua notionę vocis obscura nō manent. Cum ordinariū illud sit,in quo consueta Juris via per citationem,libelli oblationem,litis contestationem, & calumniæ juramentum,ad probandam actione transitur; à sedente demum Judice fertur sententia, atq; executioni mandatur:nisi per appellationem,revisionem aut supplicationem suspendatur,ut haud multo post videbimus.

§.2.Personæ ad Judicium requisitæ sunt *Iudex*,*Actor*,& *Reus*,quibus *testis*,*Patronus*,seu *Advocatus*, & *Procurator*, causæ adjungi possunt;ut *Assessores* judicii, Apparitores, Executores,Scribas taceam.In his Advocati veterum Oratorum partes agunt,sed scripto,non voce. Procurator illa quæ pro Actore aut Reo faciunt,velut Advocati minister, in judicio exhibet,Adversarioq;cum opus respondet, ejusque argumenta excipit. Assessores cum Judice causæ momenta excutiunt,quandoq; etiam in partem sententiæ per suffragia admittuntur reliqui ut ministri serviunt. Judicis, Actoris,testiumque personas Reus,multis exceptionibus,à judicio potest submovere.

§.3. Primo Judicem tanquam incompetentem juxtaAlciatū in praxi rejiciunt impuberes,& nondum annos nati 25 Professores artium,&Academici discipuli,Legum acMedicinæ Doctores,Oratores,& Philosophi,quiq; majores obeunt Magistratus, utConsul,Prætor,ac Præfectus,Episcopi Monachi,& Eremitæ. Qui in publica causa equis proficiscuntur,Legati Principum & reip.hæredes,aliiq; defun-

ctorum

ctorum cognati per decennium ab obitu. Hi enim suæ gaudent personę officiive privilegio. Rursum si Judex Adversario sanguine, familiaritate, aut munere conjunctus, aut mihi meisve inimicus. Sin in eadem Assessor, Advocatus, aut testis causa, oppositam mihi sententiam tuitus sit Si ab illo, pati in judicio, rite & cum successu ipsi adversante sit appellatum, Si imperitus, Si aut judicio aut turpitudine notatus. Si vel Adversarium veretur; vel eidem obnoxius sit, ab illo munera, vel tulerit, vel exspectet, &c. jure recusabo. Verum ante libelli acceptationem, coram Arbitris ad hanc rem delectis, hæc exceptio probanda est, nam semel admissum, deinde non licebit rejicere, nisi recens intervenisse corruptionem evincam. Hac tamen fori proscriptione, in causa criminali, & tributorum exactione, popularique seditione, uti non licebit.

§. 4. Contra Actorem deinde excipitur, si prodigus sit, cui bonis interdictum, si perjurus, hæreticus, excommunicatus, si Reum aliqua re spoliarit, ad cujus restitutionē obligetur, priusquam experiatur judicio, si intra decennium non appellarit, aut certe appellationem prosecutus non sit; si alteri ad oppositum obtinendum patrocinatus sit; si in pari causa fidem datam non servaverit. Si illustris persona sit, adeoque formidabilis præsentiæ, unde illi per Procuratorem agendum; Si civili simul & criminali causa aggrediatur; si in libello causam non exposuerit; Si non satis dederit aut litem deseruerit. Si filius, servus, uxor sit; Si furiosus, cæcus, surdus, minor. Quibus tamen casibus ultimis Procuratorem licebit constituere, vel ut in rem suam, modo justa id fiat cessione, vel ut in alienam. Adeoq; contra hunc tam ratione personæ utriusq; quam causæ poterit excipi. Nam hæreticus, furiosus, cæcus, Minor, &c constituere non poterant. Mulier non admittitur nisi in rem suam, filii, aut Patris. Advocatus excluditur; si à Doctoribus examinatus juramentoque probatus non sit. Adversus testes multis etiam nominibus excipitur, si aliqua criminis infamia laborent, si amici, vel hostis, si inducti, aut alia ratione alterutri parti obnoxii Si servi, mulieres, prodigi, hæretici, ætate minores, &c Quæ in veterum quoq; Judiciis observata legimus.

§. 5. *Iurisdictio* alia *contentiosa*, alia *voluntaria* est. Hac extra litem uti concessum est. Ut si quis non postulantem manumittat, nemini enim libertatem Romanamq; urbem

fas est respuere: illa vel *mera* est, ut potestas gladii; vel *mixta*, quæ non tantum de vita ac capite, sed rebus etiam in contentionem venientibus definit, alia item *propria* jurisdictio, alia *demandata* est, quam delegati habent, & Judices extraordinarii. Mera tamen jurisdictio causæque criminales tam publicæ, quam privatæ nequeunt demandari. Ut nec causa matrimonialis, aut liberalis, aut totius patrimonii controversia. Si ad Arbitrum causa deferatur compromissio partium in pignus, aut pœna aliqua requiritur (nisi honorarius tantum fuerit) alias à sententia illius exceptio atque appellatio concedetur, & si condemnatoria illa fuerit, ad exequendum actione judicati uti non poterit.

§.6. Ordo exercendi judicii cum priscis Romanis pene convenit. Postquam enim Actor in causa civili adversarium privatim de pace frustra convenit, *libello conventionis* facto, Judici in hoc causam exponit. Reumque ad judicium provocat, qui delata libelli copia per Apparitorem trina citatione, aut etiam quandoque una peremptoria accersitur, & ni compareat, justæque excusationis causæ desint (ut quod funus ducat, nuptias celebret, Magistratum gerat, &c.) *damnatur in contumaciam*. Et si possessorio judicio contendatur: decreto primo Judicis in possessionem mittitur, quod si deinde Reus intra annum cautionem non præstet *judicio sisti*, satisfactionemque Actori expensarum deferat, altero decreto in possessione stabilitur, salva tamen Reo *proprietatis quæstione*. Quod si Actor non quærat bona Rei *actione*, ut vocant, *reali* sed tantum personam spectet, *actione personali*, tum Actor Reo non comparente immobilia ejus bona, si quæ fuerint immitti ante omnia consuevit, nisi forte Ecclesiastica illa fuerint (in quæ, sine institutione canonica, nemo potest admitti) tum enim causæ etiam ante litis contestationem solent definiri. Ceterum in quavis causa, lite jam contestata, si Reus aut Actor post triennium defuerit, ex præcognitis rationibus sententia ferri poterit.

§.7. *Libellus* præter locum, tempusque Actoris, Rei ac Judicis nomen, complectatur sufficientem actionis causam, rationesque (quanquam eas probare non sit opus, dum intelligat, quæ Reus admittat, quæ inficietur) Plures etiam

eodem

eodẽ libello actiones contineri possunt invicem cohærentes, & de petitorio quis potest, in eadem causa ad possessorium transire, ut possessione obtenta probandi onus in adversarium derivet, *melior est* enim *conditio possidentis*, & *affirmãti* rem (quam alius possidet) suã esse. *incumbit probatio.* Poterit & Reus Actorem reconvenire, actione diversa, ut de possessorio, si is de petitorio agat; non tamen de petitorio, si ille de possessorio actionem præoccupasset, cum *potior sit pars praeoccupantis*; nisi forte de bonis illum diversis reconveniat, hoc enim institutam actionem non impediret Siquæ desint libello ad ejus integritatẽ requisita. Reus sola exceptione potest declinare, ut adversus Actorem Judicemque supra docuimus fieri, nec tenetur, nisi ad legitime conscriptum exhibitumque se sistere. Quanquam non semper libello opus sit, ut si, vel levi de re (ut aureis duobus) contentio sit, vel mulier agit, vel Judicis quis tantum officium de plano exigit. aut ex re judicata, actio in factum aliquod relicta est, aut de crimine Apostasiæ, falsæ chartę, monetæ, & suspecti tutoris agitur: vel etiam cum Episcopus de causa civili ad clericos sibi subditos pertinente cognoscit.

§. 8. *Satisdatio* deinde utrimque præstatur, qua Reus sive ejus Procurator judicatum solvi; Actor vero litem, usque ad sententiam definitivam, sese prosecuturum recipit.

§. 9 *Iuramento* denique Actor, aut eius Procurator testãtur, quod justa se causa ad litigandum in judicio accedere existimet. Reus contra, quod jure se credat obniti, adduntque, se nec dilationis, nec calumniæ, nec adversarii divexandi gratia, probationes in causa exacturos esse. Advocati etiam ac Procuratores nihil dolo sese malo prętermissuros, nihil nisi justum atque utile ad causam producturos Hoc vero juramentum non ad causas privatas singulorum, sed universe ad ejusmodi munus administrandum in rep. admissi (ut ipse etiam causarum Judex de sua integritate) pręstare tenentur.

§. 10. Quod si justa suspicione deprehendatur Judex munera, aut promissa, ab altera litigantium parte, admisisse, jurat Actor, aut Reus secus factum, aut ille cadit actione; hic condemnatur Convictus autem Judex Magistratu spoliatur, & promissum in duplo, datum in triplo multatus, præstat. Quod si convinci nequeat, juramento suspicionem purgat, aut reus tenetur.

§. 11. *Lis* porrò *contestata* dicitur, postquam opponenti Actori Reus ex professo contradixit, transeuntque hac litis contestatione actiones temporales, seu quæ fori præscriptione exclusæ erant ad hæredes. Est autem *controversia* triplex, facti, juris, & nominis. Quæri enim potest, an homicidium commissum à Titio sit? & *facti* erit; Aut constet admissum, an jure vel injuria? denique parricidium, ut, an tantum homicidium fuerit? illa *juris*, hæc *nominis* quæstio est. Qui factum asserit, probare tenetur, nisi Reus ultro probationem suscipiat, qua factum neget, aut privilegio utens persona, ut Pupillus, Minor, Miles, Agricola, solutum quippiam, tanquam non debitum reposcat: tum enim creditori probandum est fuisse debitum.

§. 12. *Probatio* causæ fit universim 1. Per testes duos vel tres, ut plurimum, qui jurati testimonium poscūtur, nisi aliqua infamiæ, aut subjectionis, vel cognationis nota excipiantur, quanquam & consanguinei in causis matrimonii admittantur. Cogi vero obluctantes in necessitate poterunt. 2. Per tabulas, sive instrumenta, ut vocant, publica, quæ scilicet per Tabellarium, sive Notarium publicum, confecta, & testium subscriptione firmata, sigilloque authentico munita sunt. 3. Per præsumptiones, sive opiniones cum ratione præconceptas: quæ vel ex personarum qualitate desumuntur, ut quod Pater amet liberos, Minorum inconsulta sit ignorantia, consulta Senum ratio, Mulierum imbecille judicium; religio in quovis homine; diligentia in rebus propriis, semperque in melius tendit præsumptio, ut quod quisque probus, ac bonæ fidei, quod vitium malo animo sit perpetratum. Verbo, præsumitur ubique factum, quod est communius, donec nobis probetur contrarium.

4. Quod si his argumentis *fama*, si *præjudicia* accedant, magis illa firmantur.

5. Ubi vero alia sufficiens defuerit probatio. Actor *juramentum* præstare, aut etiam Reus poterit, quod necessario admittendum erit, si Judex deferat, quanquam cavendum sit, ne in periculo perjurandi illud urgeatur. In criminalibus, quia plenæ probationes requiruntur, juramentum deferendum non est. Sed nec in civilibus causis, quæ vel grandes admodum, vel exiles, vel famosæ etiam, ut est

actio

actio injuriarum, furti, dolive mali. quamvis in his sibi partes deferre invicem possint.

§. 13. *Sententia* denique à Judice per se præsente (nisi illustris persona, aut Episcopus fuerit (ex sede de scripto, quod nomen Judicis, litigatorum, & rationem processumque causæ, denique absolutionem, aut condemnationem Rei contineat, recitatur, die feriato. Actore & Reo præsentibus (nisi quis per contumaciam absit) Horum siquid defuerit, nulla erit sententia. Porro si diversi Judices eadem de re sententias ferrent diversas, illa quæ pro Reo est obtinebit. quod in dubiis illi jus faveat, nisi pro Matrimonio, dote, libertate, aut testamento sit pronuntiata; nam in his jus causæ potius, quam personæ suffragatur. Judex vero sententiam semel latam nequit retractare. nisi, *interlocutoria* fuerit, qualis est quævis Judicis interloquentis de re incidente definitio, ut quod dies differenda. testes audiendi, juramentum præstandum, &c.

§. 14. *Appellatio* tamen à sententia Judicis inferioris ad superiorem concessa est damnatio, quæ est jurisdictionis Judicis prioris, per invocationem superioris, rite facta suspensio, estque vel extrajudicialis, si de gravamine extra judicium obveniente fuerit, aut si alteri munus vel dignitas in meum detrimentum sit conferenda, vel judicialis, quæ vel à Judicis sententia interlocutoria est, si ab hac causæ definitio momentumque pendere videatur (quod rarius est) vel à definitiva causæ; nisi supremus Judex fuerit, aut delegata ab illo causa, appellatione remota; aut si manifestum crimen sit, si alias ejusdem reus, si jam bis appellatum fuerit, si in contumaciam absentiæ damnatus sit, aut impensas solvendas Actori non præstiterit. Non vero subsultim, sed gradatim ad proximum cuique Judicem appellandum, quamvis ad Pontificem, Imperatorem, ac Principes relictis mediis appellatio concedatur, nisi in præjudicium Mediorum hæc instituatur. Ante decimum vero diem appellandum, & ab interlocutoria quidem, causa appellationis adjuncta, à definitiva sententia satis est, si præsente in judicio Judice dicat, appello. Peterque apostolos, seu literas demissorias, ad Judicem superiorem, quæ si intra 30. dies non impetrentur, nihil oberit, modo parti adversæ provocati insinuata sit. Appellatio vero intra biennium absolvenda est,

quæ

quæ si de iisdem articulis causæ bis fuerit iterata, subsistendum est, neque provocatione ulteriore adversarius sustinendus.

§ 15. *Restitutio in integrum*, hoc est, in statum priorem, quem ante causam obtinuit, si quis forte possessione exclusus sit, aut alio judiciali actu læsus, quibusdam etiam personis ut minoribus, Ecclesiis, & Rebusp. contra aliam Ecclesiam & Remp. conceditur, ubi causæ æquitas postulare est visa.

Beneficium revisionis à Camera Imperiali quoque introductum est, quo judicii processus certis arbitris recognoscendus exhibetur; ut si quid perperam actum, sententia revocetur, quo tempore omnis executio suspensa est.

Declarandæ etiam *nullitatis* beneficium petitur, si Judex corruptus sententiam tulisse deprehendatur, quod cum *remedio Syndicatus* fere coincidit, quando ipsi Judices à læsis in judicio ad causam dicendam vocantur.

§. 16. Quod si tempora his provocationibus destinata labantur, *sententia* Judicis *transit*, ut loquuntur, *in rem judicatam*, & vim suam sortitur, ideoque *Executioni* per ordinarios ministros potest mandari, quæ in reali actione decendium, nisi quid gravius intercedat; in personali vero quadrimestre habet definitum, quod tamen justa de causa, stringi à Judice, laxariq; poterit.

§ 17. Hactenus de civili fere, nunc de criminali judicio pauca subjiciamus. Hoc, vel per accusationem, vel per inquisitionem, vel certe denuntiationem instituitur. *Accusatio* autem est criminis delatio apud Judicem publicæ vindictæ causa, expresso nomine Judicis, Accusatoris, & Rei. Quod si Accusator in criminis demonstratione defecerit, pro calumniatore habetur & plectitur; nisi inconsulto dolore aut errore lapsus deprehendatur, aut ex Tutoris officio justa motus ratione, accusationem cæperit. Non tamen cujusque accusatio, etiamsi de comperto scelere, in judicium admittitur. Privatus vix quisquam auditur, nisi in quem scelus patratum est. Quod si desit, qui in sat exploratis criminibus accuset, publica fama ejus vicem fungitur.

§. 18. *Inquisitio* igitur a rep. instituenda est, tenetur que diffamatus ostendere, hac se fama non tangi. In Prælato tamen præter famam, offensionemque vulgi, etiam periculum aliquod reip. metuendum postulatur, ut contra hunc Magi-

Magiſtratus procedat,niſi crimine falſæ monetæ , latrocinii,aut læſæ majeſtatis traducatur,nam in hæc ex ſola conſcii delatione inquiri poterit.Edendi vero articuli erunt,ad quos Reus reſpondere tenebitur.

§ 19 *Denuntiatio* triplex eſt,alia à jure civili introducta, ut quæ fit per miniſtrum publicum , ad hoc à Magiſtratu deſignatum,ut obſervet, denuntietque legum prævaricatores:alia Canonica , quæ à ſacris canonibus adverſus Eccleſiarum & Monaſteriorum Prælatos ſubditis indulgetur: alia denique Evangelica,qua in priorum defectu , quivis proximum delinquentem privatim primo,deinde niſi corrigat,duobus aut tribus teſtibus adhibitis reprehendit , denique contumacem defert Eccleſiæ Ceterum juris ordo poſt Delationem ſervandus,niſi in levioribus,aut læſæ majeſtatis criminibus,quæ de plano , ut loquuntur cognoſci poſſunt.

§. 20. Reus autem damnandus non eſt,niſi manifeſtis teſtimoniis,aut confeſſione propria convictus. Quod ſi indiciis pluribus crimen probabile ſit, ad explorandam tormentis veritatem Judici licebit procedere. Unus teſtis ad hoc,licet omni exceptione major,non ſufficit,nec duo,niſi afferant certa , quamvis ad levem torturam,ac metum gravioris incutiendum valeant. Mulier tamen prægnans ad queſtionem non erit admovenda.In vulgato palamque admiſſo flagitio,ut rapina & homicidio , ordo iſte judicialis nequaquam requiritur; Exceptiones tamen cuivis Reo permiſſæ,audiendæ ſunt;cum & talis defendendi ſui gratia,aut repetendi ablata,hæc potuerit admittere. Denique ſi conſtans fama Reo,nullum crimen fatenti adverſetur, poterit juramentum ab eo poſtulari, modo peierandi metus deſit. viciniique adhiberi teſtes,qui jurati affirment Reo,ſeſe juranti præſtare fidem. Quæ purgatio Canonica dici ſolet. quod pro duello olim oblato,ferriq; candentis attrectatione,ad veritatis explorationem, uſitata,à Canonibus fuerit introducta.

CAPUT

CAPUT XXXIII.

De Ludis Græcorum, & inprimis Romanorum,

Ex Alexandro Sardo, Onuphrio, Bulingero, & Rosino.

VArii erant cum Græcorum, tum Rom. Ludi, & certamina, apud illos ludi & certamina olympica, Pythia, Nemeæa, & Isthmia celebrantur: apud hos Circenses ludos in Circo, vel Amphitheatro maxime celebres cognovimus, tum vero utrimque Dramaticos, in scenam ac theatrum productos, in quibus etiam Poetæ quandoque Lyrici, nonnunquam & Musici, ad certamen congressi. Roscius histriones primum Romę summa voluptate auditos spectatosque, in theatrum protulit, ipse hac in arte princeps. Musicam & saltationem, emolliendis animis natam, aliquando proscripserit, sed per intervalla morum temporumque redierę, tam remissis grata, quam severis sua levitate invisa.

§. 1. Olympia in Elide primum ab Hercule, juxta urbem Olympiam, in honorem Jovis instituta feruntur, postquam 15. Augea Elidis Rege superato, ejusque stabulo repurgato, ludicro hoc certamine, victoriam statuisset coronare. In hoc penthatlo, hoc est, quinque certaminum generibus, cæstu scilicet, vel pugillatu, cursu vel bigis, saltu, disco (quem jaciebant) palæstra; sive lucta juventus exercita, ad militiæ robur agilitatemque erudiebatur, summæque erat gloriæ in his eminere. Qui in aliquo vicisset genere Olympionices dicebatur, qui in omnibus Pācratiastes, illi, qui in cæteris etiam, ut in Pythiis, Nemeæis, & Isthmiis periodo Victor Olympiorum corona à Judicibus Helianodicis ad hanc rem delectis, ex olea, vel ut alii Oleastro decreta est, nec communi ferebatur victor in urbem via. sed in curru sublimis, stratisque urbis mœnibus, provectus est. Quinto quo-

to quoque anno hæc certamina à Græcis instituta sunt, ideoque tempus quinque annorum (quod Romani lustrum) ipsi Olympiadem dixere, fuitque deinde solenne omnibus per Olympiadas sua censere tempora, quæ tamen annos tantum quatuor completos continebant. Ferunt & huc mulieres de pulchritudine certantes, periculosa contentione, deductas, victricemque vel Pomo donatam aureo, quali Paris Venerem honorasse fingitur, vel armis mirtisque cultam. & ad templum Minervæ deductam, myrrho coronandam Syracusis quoque, & Athenis, alia Herculi Olympia ad imitationem instituta sunt, quibus neglectis, sacrorum mystæ, per templa Deorum obmutuere, dum expletis ludorum solennibus, voci officioque suo redderentur.

§. 2. Pythia Delphis in honorem Apollinis, quod noxium Pythonem, id est, serpentem sagittis confecisset, celebrata sunt, novenniis primum, deinde & quinquenniis singulis redeuntibus. In his ludis bigis cursuque est concertatum, Musico etiam concentu, quo Apollinis cum Pythone certamen complexi erant. Victores primum ex esculo Jovi sacra, deinde & Lauro Apollini eâ coronati sunt.

§. 3. Nemeæa Hercules, occiso Leone sylvæ Nemeæ, qui Luna delapsus credebatur, totamque regionem infestaverat, in Jovis honorem concepisse fertur. Equestres hi ludi erant gymnicis quoque certaminibus, disco, cæstuque frequentata, singulisque repetita triennils. Sed quod Archemorus Sacerdotis Lycurgi filius, his ludis occubuisset, apio, funebri herba, coronati sunt victores, majorumque imagines, ut in funere consueverat, prælatæ. Magnus tamen Victorum honos, ut Matres quoque prolem recens natam in apio collocare sint solitæ, quo ad hoc certum Dii robur sufficerent.

§ 4. Isthmia ab Isthmo Peloponesi, ubi in Neptuni honorem à Theseo fuere primum celebrata, nomen ducunt: quibus fere alio certamine in Inus & Melicertæ submersorum (quos Neptunus in Leucotheam; & Palæmonem Deos maris vertisse credebatur) memoriam prælusum est. Quadrigis cursuque certatum est. Victores apio primum, deinde & pinu coronati. Usuque receptum fuit, ut

urbs

urbs quæque reduces ex certaminibus incolas victores per stratas murorum ruinas exciperet, quasi illorum virtute urbs quæque tutior quam muris videretur. Statuæ iisdem in foro attributæ, & pecunia apud Athenienses publico assignata.

De his Archias Poeta Græcus sic latine versus scribit.

Quatuor Argivis certamina sacra feruntur.
Bina hominum natis, binaq; Cælitibus;
Phœbo, ipsique Iovi, Archemoro, & parvo Melicertæ,
Poma, oleastra, apium, præmia pinus erant.

§. 5. Ceterum Lacedæmonii progymnasmatis loco ad Pyrrhychen, armatæ saltationis genus, juventutem suam exercebant, accinente quopiam militare carmen, quod hyporchematicum dicebant, ad cuius numeros pugnantium, jaculantiumq; & ictus declinantium habitum, motus, incessusque, & exprimebant, quod à Pyrrho Achillis filio, ad Patrocli rogum primo exercitum asserunt. In quo Asiæ Bythyniæque Principum liberos, Suetonius in Cæsare, desudasse memorat.

CAPUT XXXIV.

Romanorum Ludi Circenses.

Circensium ludorum originem ab Hercule, aut Oenomao, natam esse, atque à Græcis ad Romanos transisse, credibile fuerit Illi Neptuno, hi Romulo autore, Conso Deo (qui consiliis præest, & à quibusdam Neptunus Latium Rex dicitur, I) ad raptum Sabinarum consulto perpetrandum, primum instituere. Unde Consualia hæc certamina dicta sunt. Tarquinius vero Priscus Latinorum victor, iis ludis celebrandis, *Circum* maximum media in urbe, egregia operis amplitudine, instruxit, currusque certantium in bigas, trigas, & quadrigas, ab equorum tot ordinibus junctorum

ctorum numero distribuit, clausitque hos ludos Græcorum more, pugilum & luctatorum gymnico certamine.

§. 1. *Forma* Circi oblonga, versus orientem hemicycli specie, versus occidentem duobus angulis rectis desinebat. Unum in latitudine, & tria mediumque in longitudine complexus stadia, inter Palatinum & Aventinum montes excurrebat, quibus porticuum ædificiorumque juxta amplitudo accesserat. *Euripus* circum longiora latera & hemicyclum occupaverat, altitudine latitudineq; pedum decem in quo aquis pleno, & sub Heliogabalo etiam vinis repleto ad naumachiam, laxatis spatiis, deserviebat. Quanquam & feris arcendis prodesset.

Post Euripum gradus & *sedilia* sensim elevata, sub triplici porticuum ordine, uno post alium assurgente. Prima *porticus* fornice triplici, altera duplici, postrema uno claudebatur imam Senatores, alteram equites, tertiam vulgus occupabat, nō promiscue, sed per curias suas distributum. Capiebantque hæ sedes, sub Tarquinio, centum quinquaginta, sub Cæsare, amplificatis spatiis, ducenta sexaginta hominum millia. Ad occidentem *carceres* erant, sive *oppidum*, unde pompæ, quadrigæ, ceteraque ludicro certamini destinata, in Circum per medium ostium maximum, quod sex alia, paris magnitudinis, hinc atque illic stipabant, ostia, quæ carceres dicta sunt, cum iis, velut in carcere equi coercerentur. Nam ante carceres duo *Hermuli*, seu Hermetes, parvi, quæ erant simulacra Mercurii, fixi erant, qui funem seu catenam prætenderent carceribus, ne equi, apertis carcerum valvis, ante signum datum procurrerent. His enim catenis, opera ministrorum, ad signum datum prolapsis, in certamen effundebantur. Aream Circi *spina* dividebat, hoc est, murus per medium, velut hominis, dorsum excurrens, pedes alta quatuor, lata duodecim, quæ præcipua Circi ornamenta sustinebat.

§. 2. Ad spinæ extremitates termini erant, seu *metæ* aliquo tamen intervallo, ut circumferri currus possent. Quadrata surgebant, instar aræ, figura; quę tres columellas trianguli specie, ovo superne terminatas sustineret. Has vero metas, pro varietate ludorum, moveri potuisse constat. In ipsa spina varia ad usum ornatumque opera. Obeliscus in

medio

medio longus pedes 132. in cuius apice pyropus ignivomo splendore coruscabat. Hinc versus metam ultimam Mater Deum Leoni insidens turrito cincta diademate, sinistra sinistrum, dextra orbem complexa, variç deinde erant aræ Deorum, quibus dedicatos principio ludos consecrabant. *Consi* vero simulacrum in ara non extabat, sed delituit sub terra, quod occulta deberent esse consilia. Denique meta ut dictum, tribus columellis Castoris, Pollucisque, ova sustinebat, Ita rursum, versus primam metam variæ aræ, ac postea Delphini septem, & obeliscus Lunæ pedum 88. iuxta quem locus etiam præmiorum erat. In hunc Victor, gradibus aliquot ex spina conscendens, positum bravium auferebat.

§. 3. Exercitationes ludicrorum Circensium septem potissimum fuere, ut totidem vel planetas, vel Septimanæ dies referrent.

1. Fuit *Circensium pompa*, quæ eximio prorsus apparatu ordinumque constabat discrimine. Doctor erat summus id temporis Reip. Magistratus à Capitolio per forum ad Circum incedens Editor qui suo certamen sumptu instituisset in curru, palmata indutus tunica, cum sceptro & corona, manu servi super caput suspensa, ferebatur. 2 Sequebatur juventus equestris suis in equis, pedestris vero miles in alas, centurias ac manipulos distributus 3. Currus equique desultorii cum suis agitatoribus. 4. Athletæ, id est, cursores, pugiles & luctatores subligaculis campestribus præcincti nudi cetera 5. Tres chori saltantium virorum imberbium & puerorum, omnes puniceis tunicis, gladiis lanceisque & galeis cristati viri, Præibat choros singulos, qui ad alteritus proceleusma pyrrhicham, seu armatam saltationem, luderet 6. Chori Satyricorum hircinis in pellibus, capitibus setosis? qui serios præcedentium saltus ridicula imitatione redderent. 7. Tibicines. 8. Ministri Sacerdotum, cum thuribulis 9. Sanctiores Ministri, ut Camilli & Camillæ, Flamici Flaminicæque, Æditimi, Scribæ Pontificum, Adjutores Haruspicum: Calatores Sacerdotiorum, Pullarii, Popæ, Victimarii, Lictores flaminum, Vestaliumque, Præficæ, Præcones, *Designatores*, alii varias hostias vittatas ducentes omnemque sacrorum apparatum & ornamenta, ut vasa pateras, candelabra, lituos, apices, tripodas.

§. 4. Gla-

§. 4. Gladios, & secures, 10. Simulacra Deorum partim thensis, partim ferculis gesta, sua Diis singulis juncta erant insignia, ut Jovi fulmen & aquila, Palladi oliva, Neptuno equi, Mercurio caduceus, Cereri triticum, Triptolemo aratrum. Sub quæ etiam simulacra Augustorum, in vehiculis sacris, à variis animalibus tracta, à patrimis vero matrimisque augustali habitu cultis, deducebantur. 11. Harmamaxi deinde currus gemini Scythicorum (nam ἅρμα καὶ ἅμαξα currus & plaustrum est) coronis aureis, thoracibus, clypeis, aliisque magnificis exuviis instructi vehebantur, 12. Omnium Sacerdotum collegia insequebantur, Pontifex maximus, cum majoribus octo, & minoribus Pontificibus septem, Flamines tres majores, & minores duodecim, cum totidem Flaminicis oleaginas virgas tenentibus, apicibusque capita redimitis. Rex & Regina sacrorum: Collegium quindecim Augurum: Quindecim viri sacris faciendis, cum magistro, Septemviri epulonum: Vestales sex cum vestali maxima: Triginta Curiones cum Curione maximo: Salii duodecim, cum Magistro: Virgines saliares, Salii Agonenses, & alii quos supra recensuimus. 13. Reliqui Magistratus eorumque ministri. Universam vero pompam dirigebant Pontifices, Augures, Quindecimviri & Septemviri. Postquam metas hac pompa circumierant, immolatũ est super Circi spinam, ab illo Sacerdote, cuius Diis ludicra hæc certamina erant dicata.

§. 5. 11. Digressis, post pompam sacrificiumque peractum, ad sedes consuetas spectatoribus, *Ludicrum curule* ordiebantur, vel bigis Lunæ sacris, ideoque albo ac nigro provectis equo, vel trigis Diis inferis consecratis, ut qui infantes juvenes senesque raperent: vel quadrigis soli, per quatuor anni tempora procurrenti, dedicatis. Sub Cæsaribus postremo etiam sejugis, ac septemjugis aurigatum est. Neque semper equorum usus: nam Nero & Heliogabalus, ne quid non insolens molirentur, camelis elephantisque certamen ingressi sunt Erant & singulares, qui nudo sine sella veherentur equo: & Desultores, qui binis uterentur; atque in ipso cursu ex altero in alterum transilirent, qui & Purarii à paribus equis dicti sunt, & militiæ pararium, hoc est, geminum stipendium ferebant.

Aurigatum plerique servi, liberti, aut advenæ, donec no-

bilitas atque ipsi Cæsares, ut Nero, Domitianus, Vitellius, Verus, Commodus, his officiis delectati sunt. Factiones Aurigarum primum duæ, Albæ & Rubea, seu Russata, vestium discrimine signata: quibus deinde Prasina, seu viridis, & Veneta, sive cærulea, accessere. Auratam denique, at Purpuream Domitianum addidisse, Tacitus memorat. Mirum erat Principum ac populi, pro his illisve factionibus, studium. Caligula Prasinæ ita deditus fuit; ut in stabulo, inter huius equos cœnaret frequentius. Vitellius tam insano affectu Venetam complexus erat, ut adversantes etiam tolleret. Caracalla exercitum immisit in populum, quod aurigam Venetum cavillo perstrinxisset. Prasina tamen plerumque Principum favore gaudebat. Verus Imp. equo suo Volucri prasino aureum simulacrum posuit: Caligula suo incitato ad prandium adhibito hordeum apposuit inauratum. Quam quisque factionem amabat, ejus ut plurimum colore insignis ibat.

§. 6. Ratio aurigandi hæc servata est. 1. Signum è curri mœniana, quę ostio maximo imminebat, primum quidem elata face, postea vero quam Nero mensæ immoratus populo spectandi cupido, projecta ex fenestra mappa fecisset certaminis potestatem, mappa candida datum est.

2. Submissis deinde catenis Hermulorum; quibus carceres claudebantur, per dextrum Circi latus, eo ordine quem sors jacta dederat, procurrebant ad metam, quam qui septenis curriculis, seu flexibus sinistro gyro ductis prior omnium ambiisset, is ad alteram Circi partem, primam repetens metam, desiliebat in spinam, gradibusque aliquot ad præmiorum locum enixus, bravium postulabat. Quod si quis ad metam aut spinam currum allisisset, aut laxiore flexisset gyro, facile ab insequente prævertebatur, aut elidebatur curru. Impingere turpissimum est habitum, talesque naufragium in Circo fecisse dicti. In hoc vero adnixi omnes, ut currus mutuo subverterent, qui æmulæ factionis erat, quod laudis fuit summæ, ideoque illic maxime adlaboratum, ubi sedens Imperator spectabat. Curru excussi attritique fimo aprugno sanabantur: honestiores tamen ejus ~~fimi~~ cineres bibebant, quibus & ipse Nero

Nero usus est, ne quid Aurigis usitatum omitteret.

§. 7. III. Ludum Trojæ equestrem; ad juventutis exercitationem quondam ab Ænea Ascanio filio Duce institutum, Romani hic etiam repetebant; Cæsare Augustorum filio, aut alio Senatorii Ordinis adolescente præfecto, qui dicebatur Princeps juventutis. Turmatim in hoc ludicro certamine congressi juvenes, speciem equestris prælii referebant. Omissum hoc aliquamdiu ludicrum à Julio Cæsare rursum instauratum est. Virgil. lib. 5. Æneid. eleganter describit.

§. 8, IV. Venationes, pugnasque Elephantorum, Leonum, ursorum, aliarumque ferarum, sæpe Romæ exhibitas constat. Quædam illarum cruentæ, incruentæ aliæ. Illæ, vel ferarum, inter se, vel hominum audaciam; aut certe damnatorum cum feris commissione; exercitæ sunt, autore primum L. Metello Pont. Max. qui anno U.C. 502. post victoriam de Pœnis obtentam 142. elephantorum pugnam dedisse fertur, vel Pompejo, qui in dedicatione theatri Leones Getulos 18. & 600 cum 20. elephantis; eo commisit eventu, ut intra quinque dies omnes illi confecti sint. Infame erat ad hanc luctam descendere, qui audacia, & spe præmiorum freti id aggressi sunt, paraboli aut bestiarii dicti sunt. Habueruntq; nonnunquam viros Principes, at Tiridatem & Commodum, idem ausos, verum ex editiore loco pugnantes, ceterùm universè Arenarii & Contifices nuncupati sunt, ex quibus, agilitate alii devitabant feras; alii equites per circum tauros exagitabant; alii veste Leonibus injecta, os bestiis obturabant; alii vel conto, vel solo cultro armati congrediebantur; aliis deniq; inermibus atque ad palum alligatis certandũ fuit. Erat & aliud cruenta venationis genus, quæ direptionis dicta est, cum excitata subita in Circo silva, feræ in eam emissæ sunt, & sparsis in populum tesseris, quæ cuique pars diripienda esset, populus ad feras conficiendas advolabat. Uti Probus, & Vopiscus instituêre.

§. 9 Incruenta dicebatur venatio, si feræ feris, vel in Circo vel in aquis natantes colluderent, vel pueri in taurorum tergis ventilarentur, vel si ursos, & Leones

 impli-

implicarent visco ; aut objectis certis ad rabiem concitarentur, ut apri colore albo, tauri rubro, Leones tædis, cristis, cantuque Gallorum, vel stridente rota, elephantes grunnitu porcorum, & ignibus. (Qua arte Romani Pyrrhi elephantes avertere) Pardalis effigie humana, qua nihil gravius aversatur & persequitur. Mansuetæ aliquando feræ certo productæ habitu, & Pergami gallinaceorum inter se concurrentium spectaculum præbitum est. Coturnicum & Gallorum pugnam dedere filii Severi. Hæc vero spectacula non tam ludi, quam munera dicta sunt. Munerarii vero & muneratores qui edebant. Locus, ubi feræ asservabantur, vivarium.

§. 10. V. Certamen gymnicum in Palæstra habitum sive Gymnasio, cujus præcipue partes erant, Stadium, locus passuum 125. quos Hercules uno spiritu currendo emensus est: Xystus, vel Xystum, ampla porticus, in qua hyberno tempore sub tecto exercerentur. Deinde exedræ erant philosophorum; ephebeum puberum; coricium puellarum, Coryceum, ubi pila & folle ludebatur; conisterium, ubi luctaturi post lotionem pulvere Ægyptiaco aspergebantur; Eleothesium, sive unctuarium, ubi ceromate perfundebantur athletæ, palæstra denique proprie ubi luctabantur; frigidarium, aut calidarium, ubi frigida aut calida lavarentur, Apodyteria erant vestiaria.

Idem certamen in septis, sive ovilibus, Campi Martii fuit exhibitum, quod apud Romanos in pugilatu & lucta constitit, illi cæstibus plumbeis, ex bubulo corio suspensis, hi nuda colluctatione certabant.

VI. Equestris & pedestris pugnæ ludicrum, in quo concurrentis exercitus simulacra exhiberentur, eisdem usitatum. Quin & expugnationes urbium propositæ Cæsar aliquando 20. elephãtes contra quingentos pedites emisit. &c.

§. 11. VII. Naumachia, & in circo, & extra hunc proposita est. Talem Cæsar effosso campo Martio dedit, ubi in lacu biremes, triremes, & quadriremes Ægyptiacæ, & Tyriæ magno pugnantium numero conflixere, tam conferta spectantiũ multitudine, ut nõ pauci obtriti fuerint. Domitianus & in amphitheatro & juxta Tiberim, habuit ubi, tempestate ingruente, cui nec ipse cedere, nec alios volebat, pugnatores fere omnes, spectatores non pauci periere, ut ad placandum populum nocturnum illi epulum appararit. Claudius Imp.

Imp. in Fucino lacu exhibuit Rhodiam classem cum Sicula depugnantem, tanta congredientium clade, ut ad unum & viginti hominum damnatorum millia occubuerint. Illud Dio. in Domit. hoc Tacit. l. 13. memorat.

§. 12. Tanta ad hos ludos aviditate populus ferebatur, ut quandoque triduum integrum, somni cibiq; propemodum obliti, illic hæserint, quanquam Circitores venirent, qui nucem, cicer, & aquas spectatoribus venderent; nonnunquam ab Imperatoribus publico sunt prandio donati. Aderant etiam socii, qui vicem quandoq; gregis, id est pugnantium, subibant, Conditores vel succonditores, curatores, conservatoresque dicti. Ministri denique certis officiis distributi advigilabant, ut præfecti committendis quadrigis & præmiis dividendis. Quæsitores pecuniæ. Moratores sistendis equis, &c. Incredibile vero est, quantum impensarum hanc in rem factum sit à proceribus ad vulgi plerumq; favorem occupandum.

CAPUT XXXV.

Ludi sacri, votivi, funebres, & Trojani.

Ludi ex fine quadrifariam rursum possunt dividi. Ut sacri sint qui in Deorum honorem primum quidem libere, deinde statis temporibus sunt celebrati 2. votivi quales ob victoriam, aliamve, aut speratam, aut impetratam felicitatem Diis promissi fuere. 3. In funebres. 4. In ludicros quales Trojani aut castrenses fuêre.

§. 1. I. *Ludorum sacrorum* magna fuit varietas. *Megalenses*, sive Megalesia, scenici erant ludi, à Nonis Aprilis per 6. dies, usque ad V. Idus Apr. celebrati: idque in honorem Magnæ Matris Deûm Pessinunte Romam allatæ. In his cuivis pro arbitrio personam cuiuslibet, etiam Magistratus habitu suo licitum repræsentare, Matronisque hic ludere ante Deæ simulachrum concessum. Casti tamen fuere, servique ab illis remoti. Magistratus summo his ludis ornatu intererat, ut iccirco *Megalensis purpura* in proverbium abierit.

His diebus Principes urbis antiquo ritu mutitare, hoc est, mutuo celebrare convivia soliti; at jurejurando ante Consulem obstricti, non amplius in cœnas singulas sumptus facturos, quam centenos vicenosque æris, præter olus, far, & vinum patrium.

§. 2. *Cereales* in honorem Cereris Eleusinæ à matronis Rom. in Circo pridie idus Apr. per dies octo celebrati, in veste candida, omni funebri pompa, si qua incidisset (ut quondam in clade Cannensi) remota, nefasque erat eo die Matronas ante vesperum cibo refici, aut Venere fœdari, quod Ceres Proserpinam jejuna investigaverit.

§. 3. *Florales* in honorem Floræ IV. Cal. Maji primum, deinde in ipso Majo instituti sunt, in quibus coronati rosis bibebant, ac sub noctem in scenam adducebant prostibula summo Romani nominis dedecore. *Martiales* ab histrionibus & equitibus in honorem Martis IV. Cal. Mart. habiti.

§. 4. *Apollinares* Apollini pridie Nonas Julii, bove aurato & captis duabus albis, Latonæque bove fœmina aurata litatis, dicati sunt; primum à P. Cornelio Sylla, ob hostes ab agro Rom. submovendos (ut sibyllino oraculo traditum) concepti. Hos populus coronatus spectabat, stipe etiam pro Apolline collata. Vulgo apertis januis in propatulo epulati sunt, celeberque dies omni ceremoniarum fuit genere. Ridiculi in his ludis actores, parasiti Apollinis dicti, exclamare solebant: *Senex saltat, salva res est*. Quod hinc natum Servius lib. 3. Æneid. dicit: quia sene in ludis Circensibus saltante, Mater Deum, nullis antea sacrificiis placabilis, fuerit conciliata.

§. 5. *Capitolini* à M. Fur. Camillo, ob servatam à Gallis Capitolinam sedem, Jovi dedicati sunt, in quibus Sardianus senex (sic dictus à Sardis, contemptis Vejentium in Hetruria hominibus) cum prætexta & puerili bulla ridendus producebatur, Sardique alii sub hasta vendebantur, ut Romulus olim, Vejentium Rege subacto, fecerat.

§. 6. *Agones Capitolini* quinquennio quovis à Domitiano instituti, in quibus artifices, Poetæ & Oratores publicis concertationibus & declamationibus scriptorum de artis præstantia contenderent, victor, populi judicio

dicio præmiisque ab Imper. decoratus, quique omnes vicisset, corona palmaque lemniscata mactabatur. Hi agones adeo celebres habiti sunt, ut his tempora computari cœperint. Fluxisse & hinc usus Poetas coronandi merito existimatur.

§. 7. *Romani*, seu *magni* ludi, pridie Non. Septemb. cœpti, per dies aliquot producti fuere in Circo Max. in honorem Jovis, Junonis, & Minervæ, apparatu perquam magnificò, primum à Tarquinio Prisco Victore sunt instituti, quanquam Conso ille, sive Neptuno Larium dedicaverit, *Consuales* principio, deinde & Scenici fuere.

§. 8 *Plebei*, aut à plebe in gratiarum actionem pulsorum Regum, aut post secessionem in montem Aventinum primo instituti per triduum, quibus ab Ædilibus plebis epulum populo dandum. *Compitalitii* ludi erant & scenæ rusticæ, quandoque ab eis in compitis habiti. *Palatini* sive *Augustales* dicti, qui in Natalitiis Augustorum, inter Deos relatorum celebrati sunt.

§. 9. *Seculares ludi* post centesimum (alii centesimum decimum annum,) diversis Diis, apparatu diverso, in campo Martio, aliisque locis ad ludos præparatis indicti sunt. Præcone per totam Italiam invitante ad ludos, quos vidissent, nec visuri amplius essent.

His ludis frequentare manè templa soliti & lectisternia ac pulvinaria Deorum, (lectis tribus, pro parasitis accumbentibus ad epulum Jovi, Junoni, & Minervæ ratum, stratis, in quo Jupiter in pulvinari, aliæ Deæ in sede reclinatæ erant) supplicantibus tamen, ad vesperam usque, jejunium solenne fuit. In theatrum vero etiam convenere ad ludos Apollini & *Dianæ* sacros. Quin & prætextati pueri novem totidemque puellæ, omnes patrimi, matrimique pœana carmine concinebant in monte Palatino.

Taurii ludi, in honorem Deorum inferorum, à Tarquinio superbo, extra portam Carmentalem, in circo Flaminio instituti.

§. 10. II. *Ludi votivi* ex impulsu librorum Sibyllinorum, aut oraculorum, aut aruspicum responsis, vel certe Imperatoris hortatu, aut senatus consulto suscipiebantur. Qui si in quinquennium promissi essent, *Quinquennales*, si in

si in decennium *decennales* appellati sunt. Priores Augustus Victor primo juxta Actium, deinde Romæ, per quinquennia constituit: posteriores, cum ex more singulis decenniis imperio sese abdicaret, moxque velut rogatus assumeret rursum, ne in tyrannidis quæsitæ suspicionem incurreret. Vicennales idem celebrasse memoratur. *Natalitii* in natalibus magnorum Principum habiti.

§. 11. *Iuvenales*, privati quondam, deinde publici fuere. In iis senes patricii, ac primates, tam viri quam fœminæ, exemplo Neronis riserunt, ac saltitarunt. In quibus Ælia Catula octoginta annorum numerata fuit.

§. 12. III. *Ludi funebres* gladiatorum inter se commissorum cæde, immani spectaculo transacti sunt; cum mortuorum manes sanguine humano placari crederent, quod, ut cum voluptate spectantium fieret, Junius Brutus vel, ut alii, App. Claudius in arenam traduxit. Porro cum æmulatione honoris, hæc res magnis sumptibus agitata (quod in gladiatores emendos, & eorum Magistrum Lanistam multum impenderetur) sub Tiberio senatusc. decretum est; ne qui eos darent ludos, nisi qui in censu quadringenta numerarent millia. Porro gladiatores ut viribus integris, sanoque essent corpore, exploratoribus medicis deligebantur, hos Lanista, durissima, ad verberationes, flagra, ustionesque, disciplina erudiebat, *auctorare* illos dicebatur, qui venderet, pretiumque oblatum *auctoramentum* nuncupatum est.

§. 13. Primum arenam ingressi, baculo sat grandi (qui *Rudis* dictus est) progymnasma auspicati, sese invicem batuebant: Quod si quis dimicationem hanc fugeret, aut vulnus cum gemitu ferret, ferrum jubebatur accipere, hoc est, occidi. Victis, aut fessis, alia manus supposititiorum in pugnam succedebat.

Qui rem fortiter gessisset, *rude* donabatur (ut immunis deinde futurus) & pileo, vel saltem libertate, si populus intercessisset. In pugna, aut interimere, aut interimi necesse erat, nisi populi favore pugna staret, hinc læsus, submissis armis, *digitum attollere* solitus, quod erat populi favorem implorare; si annueret

vel

vel Imperator, vel Editor, vel populus, *missione* donatus est, si pollicem converteret, occidendus erat. Unde *pollicem premere* favoris signum Fortis deinde habebatur, qui immotus ferrum exciperet, cum voce *recipe ferrum*. Læso acclamabant, *habet* Primo hæc in exequiis, deinde etiam ad voluptatem instituta, & aliquando mense uno tricena hominum millia sic orco immolata, ut Lips. refert.

§. 14. Pugnantium ab armis varia erant nomina, *Secutores* à sequendo dicti, gladio, parma, & galea utebantur, *Retiarii*, qui præter galeam apertam, & fuscinam, reti, ad implicandum adversarium, usi sunt, inermes cetera. *Threces*, Thracum more pugnantes, parma & harpe rem agebant *Myrmillones* armis graves adversarium sedentes operiebantur. *Hoplomachi* armis etiam tecti, ut & *Samnites* concurrebant, *Essedarii* essedo contra se vecti pugnabant. *Andabatæ* caput totum, etiam oculos galea velati, ex equis adversarium, cæcis ictibus, impetebant. Catervarii catervatim congrediebantur.

Primum in his ludicris erat: *pronuntiare* munus, vel diem edito libello cum nominibus pugnantium. Deinde pompa educta, par pari est oppositus, inspecta arma. Denique prælusio pugnæ armis tantum gyratis intentatisq; habita, quæ exercitatoria dicta. Sub hæc tubarum cantus, ac postremo decretoria pugna instituta est. Nero 400. Senatores, Equites 600. in hanc tam funestam arenam, adegit. Domitianus etiam fæminas nocturna dimicatione commissas. Denique immanitate sua hi ludi displicuêre, à Constantino Magno prohibiti, ab Honorio prorsus sublati.

IV. De Trojanis ludis adolescentum, & castrensibus supra actum in circensibus, quo lectorem remitto.

CAPUT XXXVI.

Ludi scenici, eorumque diversitas & apparatus.

LUdi Scenici Romam introducti an. U. C 389 Coss. C. Sulpitio Potitio & C. Licinio Stolone, quando pesti-

lentiæ grassanti humana divinaque remedia frustra opposita, introducto denique ex Hetruria histrionum saltu, malum stetit Hi primum saltu, deinde & verbis ad numeros aptis, denique & certo carminum genere usi populum detinuere.

§. 1. Quotquot vero Scenicorum habuere species. 1. Satyram tragœdiis, aut (ut quidam) Comœdiis, per homines admisceri solitam. Hi anguinea, aut villosa in pelle, cum canistris herbisque, hedera, violis, ac corollis, manus ipsas floribus cingentes, in orchestra ridicule saltum adornabant, tum in obvios quosque liberis cavillationibus grassati, bestiali vultus contorsione, atque exprobratione morum, cuivis illudebant, ridendosque proponebant. Mimi hominum mores, ridicula gesticulatione, imitabantur. In his Archimimi principatum obtinebant; Pantomimi ad quamvis personam simulandam idonei; Sanniones, qui facta sannis exploderent; Gelasini, qui deriderent; Parasiti domestici, qui dominorum gratiam adulatorio servitio aucuparentur; Deorum, qui in templis ad stratas Diis epulas accumberent; scenici qui spectatores oblectarent.

§. 2. De Comœdia humilium, & non turbulentarum actionum repræsentatrice, tum Tragœdia quæ gravium personarum graves actus exitusque proponeret, satis alibi de poesi *Dramatica* à me dictum, uti etiam de apparatu utriusque. De cantu & saltatione, quæ erant ornamenta *Dramatum* adjuncta, illud adjiciam. Quod is qui initio adhibebatur cantus isodium, qui sub finem, exodium, qui vero in medio embolum dictus sit, & ad reficiendos autores usurpatus. Porro, si quid in Tragœdia tristiori eventu spectatorum animos affligere creditum, emissus exodarius est lepidus, qui tragicos spectaculi affectus risus lenitate componeret.

§. 3. Saltus alius vulgaris, alius theatralis erat. *Hic* in motorias, quæ fabulis comœdiisque adhibitus, & in statarias saltationes magis graves, Tragœdiis usitatas, dividitur. Partes saltationum erant latio, qua quisque extollebatur, figura, qua rursum subsisteret, & indicatio, qua certos gestu affectus exprimeret. Saltantium vero tria præcipue fuere genera. Primi, qui veste Punica balteoque accincti gladio hastaque armati Pyrrhicham saltitarent, alii satyrico

mimi-

mimicoque induti habitu, qui saltum aptarent risibus, & deniq; pueri, qui venusto ad numeros incessu voluptatem crearent. Observat etiam Lipsius lib. 1. Saturn. diludia quædam Funambulonum, Petauricorum, & Gladiatorum, inter medios etiam actus exhiberi solita: ut grata varietate omnia condirent.

§. 4. Hi primum ludi in humiliori tantum loco, sine apparatu, spectati. Sed anno U.C. 599. M. Messana & Longinus Censores theatrum faciendum esse statuerunt. Verum à Publ. Nasica decreto vetitum intra extraque urbem, ad passus mille, poni subsellia: ne ex hac remissione sedendi, populus languorem parum virilem traheret. Marcus Scaurus perquam magnificum sub hæc theatrum excitavit, quod hemicycli figura erat (uti & Pompei, Marcelli, Balbique) Scena illi triplex, quæ columnis 360 in altum assurgebat, cuius ima pars è marmore, media raro opere è vitro, sūma tabulis inauratis, apparatus HS. millies id est 500000 Philippeis æstimatus est, qui, inflammata à servis offensis villa, consumptus est. Cavea 80. hominum cepit millia. C. Curio theatra duo ex cardinib⁹ suspensa, cum universa spectantium multitudine, versabat Deinde amphitheatra Statilii Taurii Vespasiani Imp. ovali figura assurgentia accessere. Ingens hoc opus, cuius summitatem ægre humanus oculus assequeretur. Hominum facile per gradus sedentium capiebat 87000. nec minus 20000. stantium per circumductas porticus In gradibus fuere præcinctiones, viæ, cunei, Cathedræ. Superimminebant tubi & fistulæ, quibus odorati imbres in sedentes spargerentur. Vela etiam colorata super inducta sunt, ne sol pluviave læderent. Feræ è caveis in arenam emissæ, aliquando etiam ex soluta in media arena machina, aut subterraneis fossis. Quandoq; plantatis arboribus venationes, nonnunquam & immissis aquis institutæ sunt naumachiæ.

§. 5. Partes theatri erant præcipue quatuor. proscenium, locus ad populum apertus, & scena, qua actores à spectatoribus divisi claudebantur, olim quidē arborum ramis inumbrati, deinde tabulis pictis, aut versatilibus, aut ductilibus; ut mutari repente scenæ facies exterior posset. In proscenio, pulpitum erat, declamantium locus, ex quo voces gestusque observari possent. Ante proscenium Orche-

Orcheſtra apud Græcos, ſaltantium locus erat; apud Romanos etiam ſpectantium ſenatorum, alias & pro ſaltu erecta pegmata, ignisque ſubjectus, per quem emergentem agili dexteritate ſaltantes ſeſe proriperent. Podium locus erat ex quo Imper. ac Coſſ. ſpectabant, talis, qualis ante domos fere eminet columellis innixus, & mœnianum ab aliis nuncupatur. Buleuticon locus erat ſeniorum, ut ephebium juvenum. Ceterum quid Comœdiæ Tragœdiæque proprium, quæque externa eorum ornamenta fuerint. Vide in poeſi Dramat. l. 1. præſertim c. 2. & 6.

CAPUT XXXVII.

Menſa, cibi & convivia luxuſque Rom.

A Ludis ad menſas Rom. transeamus. Jentaculum, prandium, merenda, cœna, & commiſſatio inter illos uſitata leguntur. Jentaculum primo à jejunis ſumptum, eratque, ut plurimum panis vino tinctus, quem juvenes, ſenes, debiles, aut operarii tantum ſumere conſueverant. Cum vero merenda olim tantum in uſu eſſet, ut quæ à meridie dicta ſit; & cœna, veſpertina appellata, quæ ad nonam diei horam instituta eſt, prandium, acto jam Romanorum in menſis luxu, interſeri cœptum, commeſſatio, vel commiſſatio (à vicis quos κώμας Græci vocant) etiam ſubjuncta cœnæ, in qua amici vicinique vicatim conveniebant, ſed hæc ob exceſſum, parum laudis habuit. Nam veteres ad vitandam immoderationem menſis in propatulo accumbebant ut populum omnem ſuæ frugalitatis teſtē haberent. Quare etiam cœna (qua ſola honeſtiores ſemel de die reficiebantur plene) tanquam κοινή, id eſt communis dicitur.

§ 1. Ante Aſiam ſuperatam Romæ omnia tenuiora fuere, ab hac devicta ſecum traduxere luxum. Quare menſæ, quæ ex paluſtribus ulmis fuerant, primum ex ligno acere cœperunt formari, deinde laminis veſtiri æneis

neis, postea argenteis, denique & aureis, atque ex ligno citreo, raræ varietatis, ideoque paris cum auro æstimationis.

§. Forma mensarum primum quadrata (quam à cibo cibillam dixere) deinde rotunda, denique semilunaris, unde hæc mensa sigma dicebatur. Pro sedibus utebantur ad mensam reclinatoriis, quæ lectis instrata, quaternos fere discumbentes hoc ordine recipiebant, ut ad primi, in sinistrum latus discumbentis, umbilicum, alter caput suum reclinaret, & ita tertius secundo quasi in sinum, quartus tertio accederet. Ejusmodi reclinatoria ad sigma tantum duo, ad orbicularem mensam tria videntur adhibita. Unde biclinium locus prior, triclinium posterior, magis usitatus, cœpit appellari.

§. 3. Crevit & mensarum apparatus. Reclinatoria, mensæque purpureis, Attalicisque (hoc est acupictis, qualia Attalus Rex Asiæ usurpaverat) & Assyriis (quæ variis bestiarum formis signarentur) aulæis ornatæ erant. Triclinium ipsum, sive in superiori domus parte, conspicuum omnibus cœnaculum esset; sive in parte inferiori, ad luxuriam delitescens, ganeum, non minus ornatum erat. Quanquam illud præcipue aulæis, bibliothecis, & majorum imaginibus splendesceret Erant & muri plerumque incrustati picturato marmore, cœnationum Lacunaria ebore, auroque, ac gemmis etiam figurisque variis ornata, versatilia nonnunquam erant, ut alia facie inducta, convivas oblectarent. Hinc & flores, atque unguenta odorifera spargebant. Quin & rotundæ quædam cœnationes diebusque, mundi instar, cum sua siderum terrarumque distinctione volvebantur, ut Lipsius in suis Admirandis memorat.

§. 4. Cibus apud veteres Rom. sola pulte ac pane plerumque definitus erat. Progressu temporis, cœna in duos missus, vel in mensam primam secundamque, hoc est, in epulas carnium, & bellaria fructuum divisa fuit. Denique luxus cum victarum nationum spoliis traductus, primam mensam in duos rursum missus distinxit, quorum prior antecœna, alter cœna dictus. In illa, præter cetera ova & lactucæ opponi solitæ. Unde proverbium, ab ovis ad mala, quod in istis ordirentur, in his finirent Mensas.

Mel

Mel quoque & vinum appositum, ut his mixtis, ex mulso potum auspicarentur, qui promulsis dictus est.

§. 5. Porro usitatum non paucis in principio cœnæ, exhiberet ferculorum in scheda species, ordinem, ac condimenta, ut suo quisque stomacho destinaret maxime opportuna. Apud Macrob. lib. 3. Saturn. hæc extat Metelli Pontificis cœnæ descriptio. In antecœnam designabat echinos, ostreas crudas, quantum vellent; peloridas, spondylos, turdum, asperagos subtus gallinam altilem, patinam ostrearum peloridum balanos nigros, balanos albos. Iterum spondylos, glycomaridas, urticas, ficedulas, lumbos, capragines, aprugnos, altilia ex farina involuta, murices & purpuras. In cœna summa, caput aprugnum, patinam piscium, patinam suminis, anates, querquedulas elixas, lepores, altilia assa, amylum, panes picentes. Hæc ille. Vitellius ut Sueton. c. 13, memorat, cœna à fratre exceptus est, in qua duo millia piscium lectissimorum & septem avium traduntur apposita, quam cœnam ipse superavit dedicatione patinæ, (quam clypeum Minervæ dictitabat,) in qua scarorum jecinora, & pavonum cerebella, linguas phœnicopterum, murænarum lactes, à Carpathio mari usque ad fretum Hispaniæ per navarchos & triremes petitarum, commiscuit. Hic & aliis cœnis indixit, nulli minus, quam millibus nummûm quadringentis. Caligula sæpius cœnavit centies HS id est, 250000. Philippeis, Heliogabalus aliquando tribus millibus HS. id est 75000. Philip. nunquam vero minus centum HS. id est, 2500. Apicius perditissimæ gulæ homo, cum HS. millies in culinam congessisset, jamque centies HS. tantum superesse videret, tanquam in fame victurus, veneno vitam absolvit. Mullum unum pondo quatuor & selibræ Tiberio Cæsari dono missum P. Octavius emit quinque millibus. HS. id est, 125. Philip. Asinius Celer ducentis unum emit Philippicis. Nec immerito Cato Censorius questus est, urbem illam salvam esse non posse, in qua piscis majoris, quam bos væniret.

§. 6. Insolens multorum luxus ac gula fuit, quæ maxime cara appeteret. Unde hibernæ sub poculis rosæ æstiva in falerno natans glacies in votis erant. Cleopatra unionem 250. millibus Philip. æstimatum in aceto solutum Antonio propinavit, idem sibi indulsit Caligula, qui nonnunquam & ex auro panes, atque obsonia stolide finxit. Clau-

dius

dius Æsopus homo nulla re celebris, nisi quod margaritas aceto fractas sorbuerit, & aliquando in patina unam sexies HS. id est, 15000. Philip. impenderit, ut avibus vesceretur, quæ ad humanas eruditæ voces fuerant. Tam insana mortalium gula est, ubi pro ratione venter imperat. Vide Lips. in admir. l. 4.

§. 7 Porro in deliciis Rom. fuere Ravennates, asparagi anguillæ Bœnaci Gangis, & Timavi, auratæ Actiacæ, allosæ Tiberis, bulbi Megarici, casei Lunenses & Vestini, conchæ Lucrinæ, cepæ Cumarum, carpiones Bænaci, gallinæ Numidicæ, gobii Venetiani, Lactucæ Circellarum, lac Sassinæ, musculi Arcadiæ, melones Ostienses, nuces Tarentinæ, napi Amiterni. oleum Venafranum, ova Velitrarum, poma Phæacum & Phaliscorum, porri Ariciæ & Tarenti, placentæ Picentes, pepones Capuæ, rhombus Adriaticus, raphani Germanorum, rapa Nursina, Salmo Aquitanicus. Narrat Spartianus de Severo Imp. Eum hac arte per Alphabeti literas ferculorum ordinem digessisse, ut quidquid in A primum occurreret, ut auratas, anseres, &c. apponeret, deinde ad B. & reliqua elementa progressum novum eruditi luxus spectaculum dedisse. Sed hos olim Deliciarum aucupes, tanquam nil humani possidentes, Asinos Mergosque dixere; quod hi satiari nequeant, illi famelici, nullis a cibo fustibus queant repelli. Quid, quod aliqui ut Seneca, edant ut vomant, vomant rursum ut edant, omni bestia fœdiores?

§. 8. Dominus convivii ministros ad hanc rem lectissimos instituit, quibus inter convivas præfectus est, qui his, convivisq; leges præscriberet, plerumque sortito delectus. Is vini Rex, Modimperator, symposiarcha, aut architriclinus dictus est. Ex famulis alii inferendis cibis (qui cū novis mensis inferri soliti) potuq; subministrādo destinatis; alii forma cultuq; elegātes, politaq; fronte & promissis capillis famuli ad omnem convivarum nutū attenti aderant, alii saltu amico aut molli etiam eruditi, ad numeros musicos edulia dividere, apteq; inter convivas partiri solebant, quæ & convivis domum suam ad uxorē liberos transmittere licitum. Ceterum puellæ ac pueri ex Ægypto præsertim translati, ad mimicos hosce saltus inprimis habiles comperti sunt.

Prima autem portio, quam chiromanta, seu habilis ille carptor, scissorque præputabat, Mercurio consecrata asservabatur. Non deerant Musici, seu voce, seu instru-

mento prompti; quorum hi Thymelici, à θυμελὴ pulpito dicti, qui Organis hydrauliisq; perquam scite utentur. Coronati sæpe erant hedera rosisque convivæ, ut frontem refrigerarent, & odore grato fruerentur.

§. 9. Vini & poculorum usus moderatior Romanis, quam Germanis fuit. Triens trium unciarum poculum usitatius, Sextance etiam temperantes, deunce vero intemperantes. Materia vero poculorum & forma, & hodiedum varia; sed cornea in usu maximè, ut hinc cornutus Bacchus sit, vitrea minime, quorum cum nonnemo artificum flexile Tiberio obtulisset, ille ne auri suus periret honos veritus, hominem pro munere sustulit, ne ad posteros ars promanaret. Herculani Scyphi, qualibus Hercules usus creditur, celebres sua erant magnitudine. Quanquam & Nestorides, Scyphus Nestoris aureis claviculis, ut sideribus notatus, & columbis innitens emineret. Qui ex cornu onagri bibisset, eo die, nec ferro, nec igni, nec veneno obnoxius habitus est, ut Philo lib. 3. cap. 41. observat. Modimperator leges bibendi dabat, à summo ad imum convivam migrabant pocula, & plerumque in Dii, vel Principis; vel amici, aut amicæ honorem deferebantur. Diis aliquid plerumq; effundendo libabant. Quandoque & cyathos adnumerabant syllabis eius nominis, cujus gratia biberent. Ut Mart. *Navia sex cyathis, septem Iustina bibatur.* A minoribus ad majora transibant pocula; sed vinum aqua; aut nive glacieve dilutum erat. Sub finem convivii scyphus inferebatur, quem integrum bono Genio consecrabant, hospitibus vero poculum absynthio mixtum, cum imagine mortis exhibitum est, quod in larva argentea, vel calvaria mortui præstitum accepimus, hoc epiphonemate adjecto, *amici vivamus, dum vivimus.* Simulque libatum poculum ministro est redditum. Formæ poculorum variæ, Patera late patens, Phiala auro argentove picta, chrysendetum vas gemmis & auro distinctum, Carchesium procerum mediaq; compressum parte, cymbium navis forma, velut cymba. Verus Imper. calicem volucrem, equi nomine ac forma, amabat. Alii *Deum*, ut Juno (Virg. l. 1) alii Amorem, ut Ruffus Mart. l. 8. epist. 49. in scyphis expressere, Græci tria apponebant pocula, Mercurio, Gratiis, Jovi, Romani primo omnium Jovi Olym-

Olympio,deinde Heroibus,denique Jovi Servatori bibebant.ut Alex. l. 5. Ferdinandus Imper. Solimanno Turc. poculum aureum obtulit gemmis distinctum,in quo motus errantium siderum lunaresque mutationes exprimerentur,sua etiam horis,per machinam insertam, signarentur tempora Molis tantæ,ut viros duodecim ferentes onerarct Ita Jovius.

§. 10.Ad luxum Rom. coercendum sumptuariæ nonnunquam leges latæ sunt. Ut post tertium bellum Punicum lex Fannia,qua festis diebus centeni æris, id est Philippei decem,ceteris deni tātum ad impensas concessi sunt, Sylla magis etiam adstringens septem tantum drachmas, seu Philip & Semissem festis indulsit, reliquis tantum sestertios ternos Augustus idem pene de festis statuit, profestis tamen ducentos sestertios,id est quinque Philip. insumi passus est:in nuptiis vero ac repotiis,millenos, id est; quinque & viginti Philip.admisit.

CAPUT XXXVIII.

De vestitu Rom.ejusq; diversitate.

DE vestitu Rom.paucis erudiendus est lector, ut officiorum ætatumque solis quandoque vestibus distincta munera intelligat.

Primum quidem pellibus Romani utebantur; hinc byrrus & amphimallon hirtæ vestes erant Sed lapsu temporis hic cultus apud Getas Scythasq; tantum restitutus est.

§.1.Et Romanis quidem pueris toga donata est *prætexta* (quæ purpura prætexebatur)usque ad annum 16. cui accedebat *bulla* in cordis figura pictori appensa, ut meminissent,animo Romanum præstare debere. Qua etiam bulla triumphantes usi,inclusis contra invidiam(ut putabant) remediis Uti & Prætores aliique Magistratus, in spectaculis prætexta usi sunt. Ad pueros verò hic transiit habitus, cum Tarquinii Prisci filius,in bello generosè depugnans,

honoris illum causâ delatum suscepisset. Hoc vero habitu anno 16. ætatis in templo Jovis capitolini deposito *toga* virili induebantur.

§. 2. Quod si domi vestem posuissent, statim à toga sumpta Capitolium adibant, ut Jove propitio uterentur. Solenne dein universis in æde Juventutis offerre denarium. Ex quorum numero constabat, quot Urbs juvenes ad malitiam idoneos aleret. Dies, quo togam sumebant, Liberia vocatus, inter festivos habebatur. Primus vero à toga sumpta annus tyrocinii dictus est, quo ad forum producti negotiorum militiæque rudimenta capiebant Erat nativi toga coloris, mundaque, quam honestiores sordescere, nisi in sua suorumque calamitate, non paterentur, sed opera fullonum crebro expurgarent. hanc in plicas suas componi solicite curabant, eratque pacis & forensis occupationis insigne, ut *sagum* militiæ. Puellis suæ quoque Prætextæ erant, togis etiam leviculæ utebantur, ac ceteræ feminarum *pallio*. Toga candida prorsus incedebant, atque ex elatiori sese loco in comitiis ostentabant, quicunque magistratum peterent, candidati ab hac veste dicti. Toga vero picta palmatique triumphantes ibant, atra quoque lugerent ex amicis defunctos: quæ denique à paupertino etiam vulgo usurpari cœpit.

§. 3. *Tunica* proximum erat sub toga vestimentum, quo vetustissimi Rom. caruere Hæc sine manicis primum, deinde cum illis, arctiori cinctu, quam toga, ad genua tantum priori facie, posteriori ad medios poplites descendebat. Vitiosum ac molle habebatur, si ad digitos illius manicæ, ad talos fimbriæ defluerent. Vulgus albis, vel, ut Manutius, etiam purpureis tunicis utebatur Equites & Senatores intertextis purpuræ clavis, & pro Senatoribus quidem latioribus. Unde *Angusti clavi* Equitum erant. *Laticlavi* Senatorum, palmata. Tunica erat triumphantium. His respondebat *Stola* mulierum, quæ vestis erat ad talos usque defluens (quanquam & Prætextis in Rom. ludis uterentur) Hæc luxu invalescente, transparens nonnunquam ipsa vix celabat corpora. Quæ proxime corpus tangebat vestis *interula* sive *subucula* dicta est.

§. 4. *Trabea* digniorum Romæ toga fuit, quæ si ex purpura Coccoque esset, Augurum propria habebatur, si ex alba purpureaque lana, Equitum, Consulum, Regum

in bello fuit. postremo deniq; summi Magistratus sub Gratiano Imp. pictas ex auro trabeas tulere. Invariatæ sola ex purpura trabeæ Deorum erant. *Paludamentum* vero Chlamys erat militaris Imperatorum propria, ex purpura coccoque, auro simul variante, distincta. Vulgus militum *sago* armis superinjecto utebatur. Fuit & *læna* in militia pro toga, & *Lacerna*, vel *Abolla*, pro tunica usurpata. *Penula* etiam abrogata jam fere sub Augusto Imp. toga, domi usurpata. *Recinium* vestis erat, quæ ab anteriori parte in tergum rejiceretur. *Patagium* aurea chlamys pretiosis vestibus immissa.

§. 5. *Pileorum* in servis nullus, in aliis sæpe etiam neglectus usus, Lacinia togæ frequenter caput operiebant. Unde Julio Cæsari gratum senatus decretum accidit, quo concessum, ut laurea tectus caput, liceret incedere. Liberti pileo donati per hunc à servis distinguebantur.

§. 8. *Calceorum* primo nullus, nisi in hieme, usus, denique ad luxum etiam traductus est. Nam ex corio, primum bubalo, hædina pelle, aut aluta, quin etiam ex ligno arborumque corticibus ære, cupro, ferro, quantum ad soleas, denique ex purpura auro argentoque picta fuere. Servorum humiles & gypsati erant, militum clavis infra acutis armati, quibus firmiter adversus hostem sisterent, difficulter fugerent. Lunæ in calceis patricios à vulgo secernebant. Candidi erant mulierum calcei, altiusque ad crura aureis sæpe vinculis alligati. Sacerdotum in sacris calcei omni nodo laxandi erant, neque enim fas in sacris quicquam adstrictum esse. Gemmas denique atq; uniones, non caput vestesque tantum, sed & calceos, mulierum præsertim, ad probrosum luxum usq, excoluere. Plinius à se Lolliam Paulinam visam esse testatur; quæ in mediocrium etiam sponsalium cœna smaragdis, margaritisque toto corpore, per caput, crines, aures, collum, manusque aperta quadringenties HS id est, decies centena millia Philip. circumferret.

§. 9. Capitis, ut in viris pene nullum, ita in fœminis ornamentum plane varium, ut *reticulum*, *rica* vel *ricula* vel *retinia*, vel *reticulum*, *vitta*, *flammeum*, quo caput tegerent Item *acus*, *calamistrum*, *discerniculum*, quo crines sibi crisparet, pro qua re *cinestones*, vel *cinerarii*, & ancille *psecades* (quod molli aspergine comas madefacerent) dictæ ser-

viebant. Adde capitis *mitras, calanticas*; & inter barbaros; *tiaras, cidares, anademata*. *Fascia* & *strophium* collum amiciebant. Tantum erat uni in domo tribuendum muliebris capiti.

CAPVT XXXIX.

De nuptiis Rom. earumque ritu, & solennitate.

Sicut in Græcâ, ita & Rom. republ. nuptiarum leges ab ipso conditore formatę sunt, quod interesset has neque inire temere, neque dissolvere, ex quibus penderet gentis futuræ propagatio.

§. 1. Ducturus itaque conjugem, parentes aut affines eâ de re convenire solitus, stipulabatur eam sibi dari in matrimonium; si sponderet, qui nuptum daret, dicebantur sponsalia, & ipsa sponsa. Inde ducturus in manum cum sponsa & collocatore veniens, se ducturum spondebat, & sponsus dictus est. Adjunxit arrham, qui pronubus erat annulus (primo ferreus, deinde & aureus) digito illius quarto manus sinistræ insertus. Alios aliarum gentium ritus contrahendi Guevarra in horol. Princip. recenset. Ut quod apud Scythas sponsus & sponsa, mutuo pedes, genua, manus, cubitos, caput jungeret, tanquam ingenium laboresque deinde conjuncturi. apud Tarentinos se mutuo in mensa pascerent, ita ut si cibos quisquam sibi, non conjugi in os ingessisset, ratum non esset cōnubium. apud Teutonas alter alteri radebat caput, & indignus nuptiis habit⁹, qui hostium nulli caput demessuit, quod pro arrha fuit. apud Armenios sibi mutuo sinistram vellicabant aurem. apud Cimbros præsegmina mittebant unguium. apud Sicyonios mutuo calceos. apud Pannonas Deum suum Larem formatum argento invicem legabant. apud Elamitas ex digito annulari vicissim eliciebant & lugebant sanguinem. apud Thraces subtili ferro mutuam frontem norabant. apud Numidas ex amborum sputo in pulverem misso fingebatur lutū

que,

quo alterius frontem alter illineret, apud Dacas mutua nominis transformatione se designabant futuri conjuges. His addunt alii, quod apud Græcos & Macedones ex pane gladio divisum secto gustarint: apud Galatas ex eodem biberint poculo: apud Coos vir muliebrem habitum sumpserit (ut Plut. in Lycurgo) Spartani contra sponsam capite rasam, in virili ad sponsum indumento deduxerint; ut cum illo deinde sentiendum hoc schemate docerent.

§. 2. Dos vero filiæ, stipulante Sponso, à parentibus delata inter ditiores fere erat decies centena HS. quæ in tabulas relata publicas, & testibus subsignata sunt, fausta voce apprecantibus, *feliciter*. Qui sponsalia celebrarent minores annis septem esse non poterant, justis suo tempore nuptiis sociandi. Romanis cum exteris vetitum contrahere & primo etiam cum plebe patriciis, quam tamen legem Tribuni pl. anno V.C 309. antiquarunt.

§. 3. Nuptiarum verò tempus vix infra duodecimum ætatis annum concessum est, die ad hoc delecto, qui nec ater, nec religiosus, (qua nefas erat vim fieri Virgini) nisi vidua duceretur, esse debuit, quales erant ipsæ Calendæ & Idus, quibus Nonæ, & Majus accessere. Opportunissimum post Idus Junias tempus habitum Captata etiam prius auguria, inter quæ cornices, indivulsæ aves, dabant auspicatissima.

§. 4. Triplex fuit ducendi modus: usu, confarratione, & coëptione. Usu habebatur uxor, quæ de sinu Matris, cui incumbebat, simulata specie raptus) ut Sabinaruum raptum imitatione fingerent) à sponso abstrahebatur, atque ita in manum usumque mariti venire dicta est, qui si anno primo per trinoctium integrum non abrumperetur, usu legitima conjux facta erat; sin autem; vindicari à parentibus rursum poterat. Confarratione dabatur, si Pontificibus arbitris, farreo libo, vel pane oblato, prælatoque sponsæ, in solenni sacrificio, inter decem testes obtineretur. Nuptiæ hæ farracia dictæ, nihilque eo vinculo habitum religiosius. Coemptio hoc ritu peracta est. Vir sciscitabatur ex sponsa, Visne mihi Materfamilias esse? cui illa; volo

volo, respondit, iterumque sciscitans. Et tu mihi paterfamilias vis esse? quo annuente, Sponsa tres afferebat asses. unum manu complectens velut emptura, marito obtulit, alterum pede sustinens in foco Larium deponebat, tertium in sacciperio gerebat, donec Zona virginali à marito soluta, tanquam virginitatis tributum, in compito vicino, dabat. Hac imaginaria coemptione in mutuam obligationem transibant, & uxor, tanquam filia, heres mariti facta est.

§. 5. Auspiciis igitur faventibus nova Nupta senis viri crinibus ornata est, quibus Vestales solitæ ornari virgines, ut conjugalem sponso castitatem servaret. Deinde *celibari hasta*, quæ gladiatoris hæsisset in corpore, solitæ pecti comæ, ut intelligeret sibi junctim cum viro, ac sub illius vivendum dominio, primasque meminisset nuptias hasta ac Marte partas esse. Sub *hac Tunicam rectam*, & *Togam puram* sumebat; illa purpurea ac picta erat, primum à Caja Cæcilia Tanaquil uxore Tarquinii Prisci, egregia lanifica, & facta, & usurpata. Toga pura niveo candore, & odore grato perfusa solumque purpureò limbo cincta. *Vestis fortuna* dicta est; sed non nisi probatæ virtutis hominibus, idque ad unius tantummodo quadrantis, in hora, usum concessa, nisi quod Servio Tullio (ut Dion. l. 4.) radiis quondam caput illustri, die integro indulta fuerit: Varro hanc *vestem immortalitatis* dictam asserit, quod ad Sejani tempora usque duraverit. Apud Hebræos albæ erant Sponsarum adhuc intactarum Tunicæ; quibus picta floribus toga, ut Philo, vel ut D Hieronym. in Psal. 45. *vestis scutulata*, quæ, per scuta picta, Majorum suorum præferret imagines, fimbreis aureis clausa, superinduceretur. *Coronam* vero, ex verbena floribusque, suis textam manibus (quam, cum varii flores essent, pancarpiam dixere) ad Sponsum sub amiculo deferebat. Solæ apud Lusitanos rosæ, ut Strabo lib. 3 ait, placebant; in Bœotia asparagus, qui ex spinis suavem fundit fructum, novi conjugii symbolo ad coronam adhibitus (juxta Plutarch de Connub.) est. in Anglia corona etiam spinea redimiri solita (Polid. l 1. c. 4.) ut meminisset, ad duros se labores

bores, venire, *Soccos* induta luteos , id est, subflavi coloris. *Capitis velum*, quo prorsus *obnupta* incedebat, ne cui pateret alteri, Sponsus detrahebat , quod *flammeum* à Flaminia sacerdote dictum , cui divortium facere non licebat, ideoque boni ominis habitum. Atque hinc nuptæ nuptiarumque nomen ductum est.

§. 6. Hoc Sponsa cultu , à Matris , aut affinium gremio per Sponsum abstracta, *ductaque* est, sub vespertinum crepusculum, ad propriam domum. Facem prætextatus unus puer ex spina alba anteferebat, alii duo, hinc atque hinc prætextati, manu apprehensam ducebant. Plura in nuptiis, & pauciora, quam quinque adhibere lumina nefas erat; quod hic numerus Jovi perfecto & Junoni perfectæ, tum Veneri Suadelæ & Dianæ sacer esset. Præterea colus cum fuso & stamine, & vas nuptiale , quod cumerum dicebant, in quo alia lanificii & ornatus utensilia continerentur, à Camillo ferebatur.

§. 7. Ita ad fores postesque ædium Sponsi , qui floribus frondibusque cincti erant, deducta substitit, atque interrogata quænam sit? se Cajam (ad Tarquinii Regis uxoris sedulæ memoriam alludens) esse asserit. Mox lana postes tangens, adipe lupino, ad prohibenda veneficia, eosdem inungit; ut uxor, quasi unxor dicta sit. Quo facto non ingreditur, nec tangit limen, Vestæ virgineæ sacrum, sed transfertur à pronubis, ut in raptu olim Sabinarum factum , utque intelligatur , non exituras , nisi vi rursum efferantur , quem in finem Bœotæ olim plaustri axem præ foribus comburebant , ut manendum significarent. Illata dicebat , ubi tu Cajus , & ego Caja, ut si diceret , ubi tu Dominus, & ego Domina. ingressæ claves domus offerebantur, atque in pelle lanata constitutæ , quinque circum facibus Hymenæi succensis , aqua pedes abluebantur , ut aqua & igne communiter sibi deinde utendum scirent. qua communione exulantibus interdici consueverat. Tiraquellus memorat, Sponsam in gyrum versam, ut illic deinde versandum , & viam redeundi ignorandam disceret.

§.8. Adhibebantur porro his ceremoniis Dii singuli; ut cum domũ duceretur, Domiducus; cumq; jam domi esset,

 Domi-

Domitius cum postes ungeret, Juno unxia, cum jam apud virum manendum significaretur, Manturna; cum unum uterque conjugium subirent (ut moris) jugum, unde dictum conjugium, Deus Jugatinus, & cum faces lucerent, plauderentque tibicines, Hymenæus floribus coronatus & amaraco, facem dextra, sinistra flammeum accepit; denique cum sponsus Zonam, qua præcingebatur, ex ovis lana Herculeo nodo vinctam, solveret. Junonem Cinctiam invocabant Tanta erat religionis cura, ut nullum non actum Diis dedicarent.

§. 9. Suscepta in domum sponsa, una cum aliis convivis lautæ cœnæ adhibita est, Tibicine Hymenæum vel Thalassionem Deum nuptialem Rom tibia, convivis voce invocantibus. Quod si hi etiamnum prætextati, prætexta posita est, sparsisque maritus in pueros nucibus, velut ad tripudium ludebat, ut se jam nuces pueriles relinquere testaretur. Pueri vero compositos ad obscœnitatem & lasciviam Fescenninos plaudebant versus, quibus fascinum omne amoverent. Inde lectus stratus genialis, viri Genio à pronubis implorato. Deducta in cubiculum nova Nupta, fax prætextati, qui prælux dicebatur, à propinquis certatim rapta; quod qui præripuisset; diutius crederetur vivere Inducti subinde Dii ob cœni, ut cum Venere, Virginensis, Priapus, &c. Die postera, uxor dominium à re divina & sacrificiis auspicata est; rursumque instituta cœna est, quam repotia vocabant, nuptialia denique à propinquis cognatisque submissa munera. vide Lucan. l 2. belli Pharf. de Nuptiis Marciæ & Catonis.

§. 10. Repudium quod Sponsi fere erat, cum hac formula plerumque missum est, *conditione tua non utor*; & Divortium quod conjugis utriusque, præsertim mariti, fuit, cum formula, *res tibi tuas habeto*. Quod apud Romanos, Romuli,, & XII. tabularum lege, variis de causis indultum est, ut si, vel sterilis, vel adultera, vel venefica fuisset. Quod si quis sine causa dimisisset, ejus bona partim conjugi, partiam Cereri addicta sunt Dos vero mulieri restituenda fuit. Divortium vero nullum factum usq; ad annum V. C. cum primus Carvilius Ruga, viam majori deinde libertati stravit. Porro triplici ratione ut fieri, sic & tolli connubia solebant.

bant. Quod usu fiebat, illud parentibus, vel amicis, *usurpatione*, ut ajebant, trinoctii tollere licuit, quod confarreatione inductum, *diffarreatione*, repetitis è diverso sacris, farreoque libo dirimebatur; quod coemptione initum, hoc *remancipatione*, cum ab eo redderetur, in cujus manum convenerat, dissolutum est. Claves vero ablatæ, postquam vel ore, vel nuntio, vel scripto renuntiasset. quod erat *repudium* (nam hæc vox promiscue etiam in nuptiis usurpata) *dicere*, vel *mittere*, vel *scribere*, vel renuntiare, aut *libellum repudii offerre*.

CAPUT XL.

De militia Romana.

CUm Romani armorum potestate à tenuibus principiis ad universi pene orbis imperium evecti sint, operæpretium erit cognoscere illius militiæ instituta, cujus potissimum beneficio rem tantam sunt assecuti. Ejus itaque *indicendi ratio, delectus, ordo, arma, disciplina, acies, victoria ac triumphi*, paucis expendendi sunt, ut eorum historicos tanto & assequamur facilius, & quæ cum virtute facta intelligimus, in politica inprimis administratione, etiam imitemur. Admiranda prorsus res, perpetua inter bella ad tantam potuisse assurgere magnitudinem unam Remp. quæ per annos facile 600. à Numa Pompilio usq; ad Augustum, nullum annum, præter unum sub Torquato Cons. quietum habuit, interea quingenties quinquagies præliata sit, quadringenties, quadragies triumpharit.

§ I.

Indicendi belli ratio.

De Romanis Varro, ait, lib. 2. Cum nullum bellum, nisi pium, putarent geri oportere, priusquam indicerent illis à quib⁹ injuria facta erat, feciales legatos res repetitum mit-

rebant quatuor, qui si postulata impetrassent, fœdus cum iis feriebant, sin minus, re deliberata, bellum indicebant. Solenni autem habitu, rituque, ac verbis (ex institutione Ancii Marcii) fetialis rem peragit. nam velato capite (ut habet Livius lib. 1.) & tenens verbenas seu gramen cum terra ex arce divulsum, *audi*, inquit *Iupiter, audite fines N.N audiat fas; ego sum publicus nuntius pop. Rom. &c. si ego injuste impieque illos homines, illasque res dedier populo Rom. mihique exposco, tum patria compotem me nunquam sinat esse.* Hæc in primo finium ingressu, primumque obvio, tum in portis urbis, denique in medio foro proclamare solitus, triginta etiam, si opus, dierum spatium ad deliberandum concedit, atque interea tertio cum iisdem protestationibus reversus, si nihil impetret, ita bellum denuntiat. *Audi Iupiter, & tu Iuno, Quirine, Diique omnes cœlestes, vosque terrestres, vosque inferi audite. ego vos testor, populum illum N.N. injustum esse, neque jus persolvere. Sed de istis rebus in patria majores natu consulamus, quo pacto jus nostrum consequamur.* Mox Pater patratus (qui plerumqe inter feciales primus aderat) domum reversus, senatui proposuit, omnia se rite executum, licere illis per Deos bellum, quod, aliquo horum omisso, nefas credebant. Quod si consulto senatus placeret bellum, referebatur verbis solennibus ad populum. *Vultis, jubetis, Quirites, bellum esse cum hoc N. populo?* Si bellum populus nollet, respondebat, *antiquo*: si vellet, *Uti rogas.* Priusquam tamen ad populum ferretur rogatio, institutæ sunt supplicationes & preces, ludique votivi Diis concepti, si ex voto bellum succederet. Porro cum S.P.Q.R. bellum gerendum decrevisset, rursum fetialis cum hasta ferrata, aut sanguinea præusta ad finitimam hostium civitatem missus, his illud fere verbis denuntiabat: *Quod populi N.N adversus populum Roman. Quiritium fecerunt, deliquerunt: quod populus Romanus Quiritium bellum cum* (*Gallis*) *jussit esse, Senatusque pop. Rom. Quiritium censuit, consensit, conscivit, ut bellum cum* (*Gallis*) *fieret. Ob illam rem ego populusque Rom. populis* (*Gallorum*) *bellum indico facioque.* quibus dictis hastam in fines illorum emittebat. Indicto bello Jani templum à Consule recludebatur, ut hunc Deum

in

in bellis haberent adjutorem, simulque triginta diebus (qui justi ac præliares dicebantur, rubro vexillo in arce proposito signati) omnia ad bellum necessaria præparata sunt. Jani autem templum à Romulo usque non nisi ter clausum fuit, sub Numa, sub Torquato, & Augusto Romanis semper bellantibus.

§. 2.

Apparatus & delectus militaris.

Bello constituto, ante omnia deligendus erat Imperator, qui fere unus è consulibus, cum Prætoribus quietæ Provinciæ demandari solerent, quod, vel sorte inter Consules missa, vel judicio Patrum, & lege curiata ex plebis per curias vocatæ suffragio, factum est. Tum Senatusc. Provinciæ ornabantur, hoc est, decretæ legiones, stipendia, & res gerendæ. Post Imperatorem Tribuni militum creabantur, quatuordecim juniores ex equitibus, qui annua stipendia quina meruerant, & decem seniores ex peditibus, qui fecissent dena. Omnibus enim vel 20. inter pedites, vel inter equites 10. stipendia conficienda erant, priusquam emeriti haberentur, nec sine militia ullis honoribus domi bellique digni habebantur. Denique à Tribunis militum delectus institutus est, pro quatuor ut plurimum legionibus. Evocati itaque voce præconis ad forum, vel campum Martium omnes ad militiam obligati idoneique, Obligati autem erant quotquot sua nondum stipendia confecissent, idonei quotquot servi, libertini, capite censi, aut aliquo crimine, vel infami arte inter Rom. damnati non essent, hoc est, ingenui & honesti omnes ab anno 17. ætatis usque ad 50 Evocabantur autem quaterni, coram Tribunis in quatuor etiam partes divisis, ex primo autem quaternario Tribunus eligebat primum, ex altero Tribunus alter eligendo præveniebat, & hoc delectu processum est in ceteris. Quod si qui citati non comparuissent, aliquando eis *unam ovem mulctam* dixerunt. aliquando, ut proditores libertatis virgis cæsi. M. Curius non comparentis adolescentis bona vendidit, præfatus

batus: *non opus esse eo cive Reip. qui parere nesciret*.. Hinc autem suorum numerum tenebant, quod (ut Dionys. lib. 4.) Servius Rex instituisset, ut pro cujusque nascentis ortu in arcam Junonis Lucinæ nummum deferrent, pro interitu Veneri Libitinæ, pro iis qui virilem togam sumerent, Juventæ. Evocati, in matriculam deinde relati sunt omnes In qua vivi quidem nota *v*. mortui *θ*. Adolescentes vero *A*, litera distinguebantur. Equidem ordo corpusque duplex, alii publico, alii privato equo merebant; his annua tantum stipendia cum militarent assignata erant; illis perpetua, donec emeriti essent. Et primo quidem dena millia æris, hoc est, Philippici centum ex publico ad equum comparandum, quotannis vero bina millia ad eundem alendum accipiebant, eratque hæc res magis honori, quam commodo, cum probatæ tantum vitæ hominibus, quibus equestris jam census erat, hæc gratia fieret, & quotannis Idibus Julii trabeati ab æde Martis per forum mediumque populum transveherentur, in quo transitu, siquis alicuius criminis insimularetur, hunc sistebant censores, venditoque equo destituebant. Quod si tamen expletis stipendiis, libertatem à malitia peterent, equo ad Censorem reducto, emeriti censebantur Qui deinde, nisi ut voluntarii, aut certe in gravi necessitate, militiam non sequebantur.

§. 3. In necessitate enim *delectu* præterito, *Evocatione* vel *Tumultu* miles cogebatur. in illa Duces ad loca diversa missi cogebant militem, quinto vel sexto quovis ab agris evocato, prout hodiedum in quibusdam fit locis. In hoc per SC. omnes, præter Consules, toga posita, sagum jussi sumere, & justitio indicto, nihil privatæ rei agere. Consules autem videre, *ne quid resp. capiat detrimenti*. Ex quibus ducturus exercitum in capitolium ibat, & duo vexilla præferens, alterum rosei, alterum cærulei coloris, edicebat, ut *si quis remp. salvam vellet, se sequeretur*.

Deinde juramentum præstandum fuit, quod ab uno conceptis verbis præeunte factum, ceteri his verbis sequebantur, *idem in me*, alii hoc dicunt evaginato, & cervicibus admoto gladio: alii erecto pollice præstitum. Inventi autem, qui militiæ subterfugiendæ gratia hunc sibi amputarint, Murcii, à Murcia ignaviæ Dea, appellati his ne aufugerent, aut ut fugitivi agnoscerentur, stigmate manus inustæ sunt, quo nomen Imperatoris continebatur. Sociorum quoque dele-

delectus, seu evocatio, per Italiam sæpe haberi solita Quando Consules sociis urbibus certum militum numerum; tempus locumque designabant; quo sub Præfecto, vel Quæstore impensis sociorum (nisi quod Romani frumenta præberent) destinabantur. Præter quos auxiliares etiam extra Italiam Romanorum mercede scribi poterant.

§. 4. Postremò jam omnibus ad bellum paratis, rursus ad Deorum voluntatem explorandam Romani conversi sunt, nec quicquam nisi auspicato litatoque & Diis addicentibus aggressi sunt, tanta erat horum gentilium religio; expertique sunt, quidquid inauspicato ageretur, infelici exitu terminari.

Duo autem auspiciorum in bello usitata maxime genera, primum ex pastu pullorum, de quo supra; alterum ex telorum ensiumque acuminibus, de cujus modo non satis convenit, ex splendore, ardoreque, & contra horrida retusaque acie plerique divinatum autumant. Litatio per Aruspices facta mactatis victimis hostiisve, ex quorum extis propitium, vel aversum Numen colligebant. Conceptis inter hæc precibus votisque circa omnia Deorum pulvinaria supplicationes agebatur. Et si quid prodigii nuntiaretur, ad Aruspices librosque Sibyllinos recursum est.

§. 5. Diebus autem religiosis, quales erant feriæ per annum omnes, in Dei alicujus honorem celebrari soliti, Saturnalia, Paganalia, Carmentalia, Lupercalia, Equiria, Liberalia, Palilia, Robigalia, Lemuria, Agonalia &c. feriæ latinæ ac conceptivæ, postridie Kalendas Non. Idus, nefasti omnes, his, inquam, bellum inferre nefas, propulsare verò licitum. Sed nec fas ad bellum, nisi motis ancilibus, iisque rursum conditis proficisci. Solenne autem erat Quinquatribus in Martio belli Ducem Sacrarium Martis ingredi, motisque ancilibus atque ipsa simulacri hasta, dicere; *Mars vigila.*

(‡)

CAPUT

CAPUT XLI.

De Ordine, & distinctione exercitus in dignitates & munera.

LEgionum nomine Romanus tantum miles accipi solitus est, qui corpus exercitus constituebat, cum sociorum miles in alas tribueretur, præter selectos aliquot Imperatori oblatos, extraordinariorum titulo, qui prætorianæ ipsius cohorti jungerentur. Fuit autem principio legio una millium quatuor.

§. 1. Postea quinque, ac sex denique. In quavis legione tres erant ordines militum præcipui Hastati in fronte, Principes in medio, Triarii in fine ætatis ordine, ut primi robusti essent juvenes, alii viri, tertii & ultimi triarii exercitati in militia veterani. His quartus ordo Velitum, adolescentum maxime, & per reliquos tres ordines magis ad excurrendum & lacessendum, quam sustinendum hostem, admistorum, jungebatur, ex quibus aliqui Rorarii, tanquam à rore ante pluvias ferias cadente dicti videntur, alii Ferentarii à lapidibus profundis conferendis, alii etiam accensi, seu adscriptitii appellati sunt, quod in defunctorum locum adlegerentur. Hi principio diversos etiam ordines fecerant, demptis tamen ferentariis.

§. 2. Singuli trium supradictorum ordinum, id est, hastati, Principes, & triarii in decem manipulos, singulis manipuli in duas erant centurias divisi, ita ut manipuli in una legione 30. Centuriæ 60. numerarentur, quanquam & centuriæ in denas scinderentur decurias. His Decuriones, illis Centuriones eo dignitatis ordine præerant, ut primus Triariorum emineret ceteris, & primus pilus, vel primo aut primus pilus diceretur. Hunc inter eosdem Triarios sequeretur alterius, hunc tertii manipuli primus centurio, secundus vel tertius pilus dictus, & sic de

ceteris,

cetteris, post Triarios seqaerentur, eadem lege, Principum ac denique hastatorum Centuriones, ut primus in illis primus princeps; in his primus hastatus appellaretur. Et sic in altero & tertio manipulo primus, usque ad decem. Alter enim in singulis manipulis centurio inferior erat reliquis. Sed & singuli Centuriones suos, à se delectos, habebant succenturiones, quos οὐραγοὺς dicebant, quod agmen clauderent. Latini optiones, quod cooptarentur, vocabant. Centurionum munus erat, milites instruere; vigilias obire, controversias dirimere, castigare segnes verbis & verberibus. Unde & vitem manu ferebant.

§. 3. Tribuni, à tribuum, ut videtur, electione sic dicti, principio tres in quaque legione, postea, hac crescente, seni fuere: & alii illorum comitiati, quod in Comitiis lecti essent; alii ab Imperatoribus lecti, qui Rutili, vel Rufili appellati sunt, quod Rutilius Rufus his primus legem de eorum jure tulerit. Ex his bini ac bini per ordinem vicemque signiferi totidem erant: quot Centuriones, singulis enim manipulis bini aderant, ut uno cadente, alter succederet, toti legioni duobus mensibus praeerant. Dignitas illorum erat senatoriae proxima, annulus in manu aureus, cum reliquis tantum ferreus permissus est. Postea & pugio illis datus est, qui equitum cohortem ducerent.

Munus illorum erat, milites in castris continere ad exercitationem producere, claves portarum suscipere, vigilias interdum lustrare, frumentationibus interesse, delicta castigare, tesseram militarem suis tradere. Excubiis, octo militum, tabernaculum illorum septum erat. Postremo auctus etiam honor & numerus Tribunorum. nam alii laticlavii peditibus, alii angusti clavii equitibus praefecti sunt.

§. 4. Praeter legiones Rom quatuor, erant & Sociorum aut auxiliariorum milites, alares dicti, quod in alas distributi Romanis adhaererent, tanquam alae corpori. His equitatus, quam Rom. copiosior. peditum fere par numerus. Universim illis Praefecti duo ab Imperatore constituti praeerant, qui Tribunitia potestate moderabantur, suosq; centuriones ac decuriones habebant.

§. 5. Im-

§.5 Imperator supremum exercitus caput, Legatum sibi vel autoritate propria, vel senatus adjunctum habuit, qui absentis, aut impediti munere fungeretur; tum Quæstorem à populo creatum, qui pecuniam publicam curaret, militi distribueret, prædas ab hoste collectas custodiret, venderet, in ærarium transferret.. Si duo in castris Consules essent, alternis imperabant. Imperatori si Prætor esset, fasces 6. si Consul 12. si Dictator. 24. præferebantur. Aderat & Adcensus, qui jus poscentes suo tempore ad tribunal evocaret, diutius loquentibus silentium imponeret. Sed & Præconis munus erat, publicum conventum indicere, silentium imperare, edicta promulgare.

CAPUT XLII.

De armis militum:

Velitum arma erant, parma, sive scutum rotundum; magnitudine tripedali, quod è ligno confectum erat super inducto corio, 2. Hastulæ, quarum septenas in manu dextera ferebant, tripedali ligno, & ferro pedali armatæ, quæ missiles fuere, unius digiti crassitie. 3. Gladius Hispaniensis (hinc enim sumptus) utrimque acutus, mucrone firmo validoq.. 4. Galea, sed ex corio vel pelle lupi alteriusve animantis confecta.

§. 1. Hastatorum Principum & Triariorum arma fere eadem reperiuntur, & Velitibus graviora. 1. Scutum grandius; quod toti sufficeret corpori obtegendo, eratque vel imbricatum ostii incurvi, aut canalis instar, quod duos mediumque pedem in latitudine, quatuor in longitudine contineret, ex duabus compactum oblique tabulis, ac pelle inductum, umbone in medio, in fine munitum laminis ferreis, ut illo jacula & hastas, his ictus gladiorum declinaret.

2. Gladius eisdem datus Hispanicus. 3. Hastas, sive pila duo gestabant, alterum minus, quale erat Velitum

tum, alterum grandius bipennibus hujus ætatis haud dissimile, cujus lignum, vel quadratum, vel rotundum quatuor digitorum crassitiem impleret, & trium cubitorum ligno ferrum trigonum, ejusdem penè longitudinis, præferret; cujus mucro hamatus, cum ictu inflecteretur, reducendus verò hæreret in corpore. 4. Galæa ærea, pennis nigris candidisque, aut puniceis oblongis, ad terrorem cristata, cum dependulis ad utrasque malas bucculis, sic à buccis tegendis dictis. 5. Lorica, vel hamata ex annulis, vel squammea ex laminis conserta honestiorum erat, ceteri ex una ærea lamina compositis utebantur quæ solum pectus muniret, ut tergum in fuga hosti vererentur obvertere. 6. Ocrea, quam funditores, qui jaculis pugnabant, in sinistro; legionarii, qui gladio & hasta, in dextero pede ferebant; quòd illo quique latere in hostem verso pugnarent.

§. 2.

Equitum armatura sæpius variata est. freno quidem phalerisque instruebant equos, sed ephippio primùm ac stapedibus vacuos. pro scuto, extensum principio ex bubalo corium. deinde aliud peditibus simile, quo corpus una parte velarent. gladius illis oblongus, contum, sive hasta, lorica & galea erat.

§. 3.

Signa militaria à Quæstoribus ex ærario constituebantur. Totius legionis signum erat aquila non picta, sed ex solido auro formata, fulmina unguibus vibranda stringens. præter hanc alia quatuor signa refert Plin. lib. 10. cap. 4. Lupum, nempe Minotaurum, equum, aprum, seu porcam, argento efformari solita. Porca adhibita, quæ mactari in fœdere consueverat, ut ostenderent se bello pacem quærere. equus fortitudinis, Minotaurus in labyrintho conditus, occulti Ducis symbolum erat; Lupus in honorem Romuli à lupa educati prælatus est. Præter hæc signa, in manipulis olim fasciculus fœni præferri solitus, ut Plutrach. refert. Sed alia post etiam per cohortes, & centurias vexilla usurpata, quæ ex velis ferè purpureis, Draconum, vel aliarum imaginum, figuras præferebant ex auro distinctas. Hæc universè magna religione venerabantur, ut apud illa jurarent, & in confertos quandoque

hostes (ut de Aquilio Dionys. lib. 8. refert) à militibus segnius instantes recipienda proijcerent.

§. 4.

Convocatio militum buccina, lituis, cornibus, tuba fiebat. Buccina aereo circulo in semetipsam reflexa signum dabatur in hostes, hac etiam ad vigilias mittebantur. quibusdam eadem cum cornibus est, hoc dicta nomine, quod ex cornu boum primò, deinde ex aere facta fuerit. Vt autem ad signa movenda his canebatur, ita rursum ad figenda. Tuba dignior grandiorque sono: directum concavumque, ut hodiedum, instrumentum, ex osse, vel aere fuit. Lituus incurvus sonum magis habuit acutum. Principio illa peditum, hic equitum: quibus insonantibus ad sua quique signa convolabant. Praelii autem tempore tubis simul cornibusq; concinebant aeneatores. Cum omnibus instrumentis canerent, classicum erat, quod non nisi praesente Imperatore factum, quo vel concio vocabatur, vel supplicio extremo in aliquem animadvertebatur, vel signum profectionis datum est. noverantque certis rebus significandis, certum aptare cantum.

§. 5.

Stipendiū principio nullum; sed suo quisque aere militiae tempus implere cogebatur, donec Galli Roma potiti sunt. A quo pediti tres in diem asses, Centurioni sex, novem equiti sunt constituti. donec Caesar pediti duplicatum, equiti triplicatum persolvit, ac subinde etiam Imperatorum liberalitate auctum fuit.

CAPVT XLIII.

De militari profectione, metatione castrorum, & disciplina.

VBi omnia ad profectionem expedita, seu mari, seu terra essent, solenni sacrificio expiabatur exercitus facta, ut dicebant, lustratione; idque in agro aut litore, caesis victimis, unde procedendum erat. Deinde certis agminibus, pro locorum periculorumque ratione diversis, incendebant, idque magnis quotidie itineribus, magno plerumque sub onere militaris sarcinae. nam aestivis diebus

diebus 20. militaria conficere solebant, quæ licet minora nostra tibus essent, ingens tamen pro onustis iter.

§. 1.

Singuli enim præter arma & cibaria dierum trium, aut plurium, (aliquando dimidiati etiam, vel integri mensis) serram, cophinum, sarculum, securim, rutra, falcem frumentariam, catenamque, tum sæpe & vallos, seu palos muniendis castris aptos tres pluresve ferre cogebantur. quæ cum C. Marius fasciculis aptata, furcisque, ut habile magis onus esset, imposita, docuisset ferre; milites ab illo Muli Matiani sunt appellati.

§. 2.

Metatio castrorum certis notisque formis, hoc est, vel rotunda, vel oblonga ovali, vel, quod magis usitatum, quadrata figura designabatur. Metatores in hanc rem præmissi. ex quaque legione tribunus aliquis, qui maximè eminenti loco, unde prospectus quaquaversum in cetera pateret castra, prætorii signum, vexillum album erigebant: deinde certis ab hoc, & inter se, intervallis, punicea vexilla illic desigebant, ubi cujusque legionis princeps tribunus suum habiturus erat tabernaculum. Adhæc viarum spatia vexillis aliis, hastisque designabant; denique & vallorum, ut milites subeuntes suam quisque stationem facilè agnosceret. Mox à centurionibus suæ quibusque divisæ sunt operæ. alii muniendis fossa (plerumque octopedali) tum vallo ex terra, sudibusque per vallum, castris; alii tabernaculis pro Imperatore, Quæstore, Legatis, Tribunis, certo spatio, intervalloque ad dimensum instruendis, operam dabant. Prætorium enim, quod templi rotundi instar, in mediis castris in area quadrata, cujus latera 200. surgebat, pedum essent, tollebatur, à cujus dextris augurale & ara sacrificiis designata, à sinistris tribunal erat. Quæstorium juxta longitudine par, latitudine tantùm 100. pedes complectens. Legatorũ tabernacula 100. longi, 50. solum pedes lata in eadem linea recta sequebantur, Tribunorũ in omnem dimensionẽ 50. tantum continebant, quæ Prætorio adversa ponebantur. & utrimque eâdem dimensione Præfectorum, qui Socios ducebant, tentoria figebantur. Portæ castrorum quatuor erant. una Prætoria quæ spectabat hostes, & profectioni

m 2 desti-

destinata erat ; altera huic à tergo castrorum opposita decumana, qua frumentatum exibant, tertia principalis dextra, quarta principalis sinistra. Munitio castrorum in duobus lateribus per Socios, in aliis à Romanis perfecta. aliquando tamen posterioribus temporibus subitariæ munitionis vicem scuta per noctem defixa subière.

§. 3.

Castris metatis Tribuni ab omnibus juramentum exegêre, quod nihil è castris ablaturi essent, unde aliquando arbores fructibus plenæ in medio castrorum intactæ relinquebantur. Tribuni cum centurionibus quotidie ad prætorium conveniebant mandata excepturi. Excubiæ magna cura per ipsa castra, valla, & extra intraque portas, distributæ erant. Tesseræ à Tribunis oretenus acceptæ, deinde in tabellam tesserariam à quovis relatæ sunt, cum signo legionis, quam tesserarius unus miles infimo centurioni tradebat, qui nota sibi propria adjecta, penultimo, & hic sibi propinquo, iisdem signis adjecta, tradebat, dum ad centurionem primùm, atq; ab hoc ad Tribunũ rediret, qui ex notis cognoscebat, an cuique traditæ essent. Hæc tessera ab excubitoribus cognita, circuitori danda erat, aut postridie ad pœnas neglector vocatus est. quaterni unà in excubiis, uno minimum vigilante, stabant, ne unius fortè circumventione, aut oppressione vigiliæ incautos fallerent. primipilus autem ad Clepsydram vigilias admetiebatur, & signo aliquo solvebat. Vallum transilire capitale erat, ne sic hosti viam sternerent.

Vix in castris otiosis esse licebat. Nam suis quique in armis ad oppugnandum sustinendumq; hostem, pedites juxta equitesque statis horis exercitabantur, aut munitionibus aliisque operibus, nonnunquam frustra ducendis occupantur. ne molli inertia, miles diffflueret. Sed & mulieres abfuere Rom. castris, ut nonnulli Castra tanquam casta dicta autument.

Ad castra movenda ter signum tubâ datum. primo signo convellebant tabernacula, altero jumentis imponebant, onera, tertio suo ordine pergebant.

CAPVT

CAPVT XLIV.

De præparatione ad bellum, acie & conflictu.

CVm Imperator pugnandum censeret, per tesseram, militibus edicebat, qua die & hora paratos esse vellet; tum purpureo supra prætorium vexillo signum dabat conveniendi. Interea captatis auspiciis sacrisque operatus, cum Deos favere crederet, ad militum concionem verba fecit, Deorum voluntatem exponens, hostium imbecillitatem, suorum virtutem extollens. quod si deinde milites clamore bellico applauderent, scuta ensibus ferirent, manus erigerent, aut, hoste propinquo, taciti in dextram partem transirent, promptos in aciem eduxit, quæ plerumq; tribus constabat partibus. acie media, seu corpore, ex hastatis, principibus, & triariis, quibus velites levis armaturæ permiscerentur; deinde cornibus, seu alis ex Sociorum milite; denique extraordinariis, ac subsidiariis tum equitum turmis, tum peditum cohortibus, quibus Prætorianus miles, non eodem loco cum suo Imper. consistens, accedebat. Nam his ultimis ad subsidium cuicunque parti inclinatæ præstandum opus erat.

§. 1.

Corpus autem exercitus in decem manipulos, ita in latitudinem explicatos, distributum erat, ut inter quemlibet via patens ad receptum, cum nimium premeret hostis, relinqueretur. quam tamen viam, e. g. Hastatorum, Principes suis manipulis à tergo objectis, & principum interstitia triarii rursum claudebant; ut & hostis inde, si opus, à posterioribus per apertam viam peti posset, ipse tamen aditum prorsus apertum non reperiret. Vti in Schemate subjecto patet. in quo aciem corporis propono dimidiatam.

Acies. medii. Corporis.	Prima	1. Co.	2. Co.	3. Co.	4. Co.	5. Co. &c.	Manipuli haſtatorum
	Secunda	1. hors	2. hors	3. hors	4. hors	5. hors. &c.	Principum.
	Tertia	1. Man.	2. Man.	3. Man.	4. Man.	5. Man. &c.	Triariorum.

§. 2.

Ex his de reliquo facilè colliges. Fuit tamen nonnunquam pro ratione loci, hostium, ac numero Rom. mutata acies. Nam priusquam sociorum tot erant subsidia, vel quadrata solum, ut illic vides, acie pugnatum est, equitibus in subsidium relictis, vel his in cornua distributis. aliquando sinuata erat acies, cùm primò in hostem promoverentur cornua; aliquando obliqua, cùm alterutrum solùm cornu: aliquando gibbera, seu flexa, cùm media acies prima in hostem iret. aliquando trigoni specie acies, velut cuneus, in hostem versa, aliquando expansæ forcipis, seu trigoni, ex latere hostibus oppositi, quæ forma ad claudendum cuneum serviebat. aliquando in globi formam, cùm pauciores hostibus essent, collecti fuère, ut exempla habes in Cæsare, aliquando serra præliari usi sunt, quando per vias hastatorum patentes, modò sese effundebant in hostem principes, modò recipiebant.

§. 3.

Ceterum fesso, aut cedente hastatorum ordine, succedebant principes & triarii, interea, dum primi pugnarent, uno genu in terra nixi, ut ictus fallerent. principib⁹ cedentibus ultimam pugnæ aleam omni armorum genere fortissimè sustinebant. Vnde, re ad ultimum discrimen adducta, manavit provèrbium *Res ad triarios* rediit. Velites non uno semper loco pugnarunt. post reliquos, primis temporibus, tanquam imbecilliores, relicti; denique, quod levis armaturæ essent, procurrere antè omnes & auspicari pugnam jussi. quanquam & in alis collocati fuerint. Equites plerique juxta equos stantes Imperatoris jussum præstolabantur. Ille enim per totam discurrere aciem solitus, illic, ubi periculum urgeret, aderat, prospiciebatque. quanquam dextero in cornu, unde facilius totam aciem inspiceret, staret frequentius.

§. 4.

Re inclinata, sæpe aliquis ex Ducibus se pro patria devovebat. hic Pontifice adito. *Agedum* inquit, *præi verba, quibus me pro legionibus devoveam.* tum Pontifex prætexta indutum, velato capite, ac super telum; manu ad mentũ exerta, stantem, his verbis præibat, *Iane, Iupiter, Mars, Pater Quirine, &c. Dii Manes, vos precor, veneror, veniam*

peto, feroque, uti pop. Rom. Quiritium vim victoriamq; prosperetis, hostesq; pop. Rō. Quiritium terrore, formidine, morteque afficiatis, sicut verbis nuncupavi, ita pro repub. Quirit. exercitu, legionibus, auxiliis pop. Rom. Quirit. legiones, auxiliaq; hostium, mecum, Diis manibus devoveo. Quod si devotus caderet. uti Decio patri ac filio factum, felix omen erat; siminus, signo septem pedibus in terram defosso, piacularem ibidem cædebant hostiam. nefasq; erat hunc in locum magistratum Rom. descendere. Ita & hostilem exercitum urbemque; sed non nisi Imperator, aut Dictator, devovebat, tribus atris ovibus Telluri Matri promissis. Sic Gabii, Veii, Carthago, & Corinthus devota est.

§. 5.

Expugnatio urbium, à solenni Deorum urbis Tutelarium evocatione, solebat inchoari. Ita Camillus Iunonem Veiis evocavit. *Te*, inquit, *Iuno Regina, quæ nunc Veios colis, precor, ut nos victores in nostram tuamque mox futuram urbem sequaris, ubi te dignum amplitudine tua templum accipiat.* Hac evocatione prævia, urbem devovebant, moxque oppugnationem aggrediebantur. Quod si primo facerent impetu testudine muniti incedebant.

§. 6.

Fuit autem *testudo* (qua nonnunquam in pugnando, sæpius in oppugnando sunt usi) ex corporum armorumque constructione talis, ut inter se juncti, planis scutis capita integerent, latera concavis munirent. Ita aliquando armatas equitum turmas perfregere, ad ipsas urbes tuti à telorum omnes jactu subiêre, quin & posterioribus in terram inclinatis, aliisque sensim assurgentibus, per terga magno numero in altum enitentes, quandoque & currus equosque admittere poterant, scutis, tanta soliditate, sibi mutuò in dorsis sustinentium cohærentibus ut tali oneri pares essent.

§. 7.

Scalæ quibus in muros eniterentur variæ erant, compactiles aliæ, seu plicatiles; aliæ coriaceæ, atque instar utrium inflatæ, adipe circa suturas oblitæ, ne efflarent spiritum. aliæ ex funibus, velut reticulatæ, quæ uncis ad muros suspenderentur: aliæ rotis impositæ, aut navibus, quibus supernè vel pons adhæreret in muros sternendus, vel

vel tabulatum aliquod sub tecto, seu turricula, aliquot capax virorum, ex qua in muros transirent, quæ sambuca fuit appellata. aliæ tollenones erant, quando prçaltę trabi in terram defixæ, altera transversa in medio trabs hærebant, cuj⁹ unâ parte expressâ pars opposita viros aliquot, in tabulis, sub crate collocatos, in altum extollebat, ut muros occuparent.

§. 8.

Si diutius in expugnatione hærendũ esset, fossis, vallo, lorica, palisque (quos cervos aut cervulos â ramosis cornibus, plerumque in trunco relictis, vocabant) muniebant. *Loricæ* autem dicebantur sepimenta è cratibus plateisque, aut minores muri, qui pectore tenus munirent, in altioribus plerumque vallis erectæ. Duplicibus quandoque vallis, tam, exterioribus contra hostes, quàm interioribus adversus urbem castra muniebant, præsertim cum fame expugnare constituissent. Quod si tamen vi invadere decretum esset, variis machinis aggressi sunt, de quibus paucis dicendum, plura Lipsius in Polior. suppeditabit.

CAPVT XLV.

Machinæ bellicæ, quibus ad expugnandas urbes sunt usi.

Machinarum una in bellis *Aries* fuit, à Carthaginensibus primò in Gadium expugnationem adductus, ut ait Vitruvius. Triplex ille Rudis, compositus, & Testudineus, Rudis trabs erat oblonga, mali navalis instar, quæ ferro in fronte tanquā aries fuit præmunita, quem manibus lacertisq; validi homines inter se ad murum quassandum vibrabant. Compositus, ex transversa trabe, quam fulcra gemina, ut in patibulo sustinerent, pendulus, ac retrorsum actus, magno impetu in murum, ferratâ fronte, agebatur. Testudineus deniq; erat, qui adversus hostium tela supernè testudine, seu tecto ex cratibus corioque, muniretur.

§. 1.

Catapulta machina fuit, quâ, ad grandia in hostem tela, sagittasque, trium etiam cubitorum, vibrandas, primùm

Dionysius Siculus, adversus Carthaginenses, usus creditur. ex curvato è metallo lignóve arcu, nervis adducto, tum trabe, per quam intenderetur media, ad formam penè arcuum hodiedum notorum factus, ut currus in rotis promovebatur. *Balista* ejusdem ferè rationis fuit, nisi quod nervos ad lapides capiendos jaciendosque, ingentis sæpè molis, aptaretur. quanquam universè ἀπὸ τοῦ βάλλειν, hoc est, à jaciendo, dicatur, seu lapides, seu tela vibravit. Varias harum species Lipsius in poliorceticis suis lib. 3. repræsentat.

§. 2.

Turres deinde fabrefactæ sunt, tempore Dionysii senioris in Sicilia primùm repertæ, quæ rotis machinisq; aliis, ab hominib⁹, sub iis latentibus, promotæ, sensim per stratos acclivè aggeres urbi admovebantur. Hæ infernè suspensos ferebant arietes, quib⁹ muros concuterent, supernè Sagittarios, in medio pontes, qui muris insternati facilem accessum facerent. Fuerunt tamen & ex turribus aliæ non ambulatione nonnullæ dissolvi certisque locis erigi poterant, ex quarum suprema parte catapultis balistisque obsessi petebantur. *Plutei* similiter ex cratibus viminibusq; facti sunt, quibus milites anteriori parte tegerentur.

§. 3.

Vineæ majoris operæ molisque erant, quæ viminibus vitis instar hinc atque inde ad latus utrumque assurgentibus, atque inter se contextis cubiculi alicujus specie, oppugnatores juxta muros tegebat, crudis per latera coriis, & supernè nonnunquam terra, adversus tela & incendia coopertæ. *Musculus* humilior, verùm solidior fuit machina, duas infernè fundamentales complexa arbores, ex quibus columellæ hinc atque hinc diversæ surgerent, tignis supernè lateribusque insternendæ, sub quibus latentes, muros tutò suffoderent.

§. 4.

His machinis suas etiam obsessi opposuere, paribus catapultis balistisque, & quandoque etiam turribus instructi. Arietem, aut ferro bicipiti, quod Lupum dicebant, captare, aut centonibus, culcitrisque objectis, ejus ictus frustrare soliti. sic coriis, velisq; ciliciniis è muris suspensis telorum vim fregerunt. cuniculis aggeres turresque subrue-

runt.

runt. Saxis devolutis multùm etiam noxæ dabant, & plurimùm picatis sulphuratisq; ignibus. fervente oleo, liquefactoque per vasa hiantia sparso plumbo, jactis malleolis pertinaci igne flagrantibus, ac denique etiam muribus ericiisque quaquaversum armatis, non parum impedimenti damnique inferebant.

CAPVT XLVI.

Post prælium fieri solita. Vt data præmia, & pœna.

VIctis hostibus, regressi ad castra victores, lætis acclamationibus sociorum, ad sarcinas relictorum, excipiebantur, tabernacula hedera laurove, aut aliis frondibus, lautiùs conviсturos, ornabant.

§. 1.

Ita refecti, ad colligenda spolia, & socios sepeliendos remissi sunt. Illa universim collecta, pretiosum à vilioribus separatum est, atque his in cumulum congestis, Imperator Sacrificans ante Diis, coronato armatoque juxta milite, faciem admovit. Selecta verò per Quæstorem aut Tribunos in militem sorte partiebatur. Quod si à Quæstore præda venderetur, pecunia viritim dividebatur, etiam, qui sarcinis præfuissent, non prætentis. Cogebantur autem mediam partem collecti æris, sua ad signa deponere, tùm ne luxu ludoque prodigerent, tum ut fides eorum Imperatori tantò maneret certior.

§. 2.

Donativum adhæc militi ab Imperatore conferri est solitum (ut populo congiarum) ad quod nominatim quisque vocatus, lauro coronatus accedebat. Sed & dona honoraria, pro virtutis merito, fortioribus collata sunt. ut torques, armillæ, hastæ, phaleræ, coronæ.

§. 3.

Obsidionalis corona ipsi plerumque Imperatori à militibus, aut repub. data est, si urbem, vel exercitum ab obsidione, vel imminenti exitio liberasset; quæ *ex gramine* ejus loci, ubi libertas contigisset, contexta fuit. qua primò L. Licinius. Deinde Fab. Maximus, denique Augustus consul, cum M. Cicerone filio, donatus est. *Civica*, illi qui civem in prælio servasset, collata est, primum *iligna*, deinde

deinde ex *esculo*, postea etiam *quercu*. quam servatus servatori imponebat, ei deinde, velut parenti filius, futurus obnoxius. Hæc omni auro honoratior est habita. Sedendi illi jus Senatui proximum, ludos hac corona intranti etiam senatus assurgebat. Licebat verò uti perpetuò.

Muralis ex auro argentove illi data est, qui primus hostium muros transgressus esset. Huic affinis ex eodem *auro vallaris* seu *castrensis*, quæ valla primum superanti, deniq; & *navalis seu classica* quæ naves hostium insilienti, obtigit, *aurea* quoque; sed eo inter se discrimine, quod prima murorum pinnas, altera vallorum propugnacula, tertia rostra navium referret. Erat & aliis egregiis facinoribus ejus coronæ destinatum præmium. Plerasque unus Sicinius Dentatus meritus esse ferebatur. *Ovalis* corona ex *myrto* Imperatorum ovantium insigne fuit.

§. 4.

Torque plerumque argenteo donabantur auxiliarii cives, iique simplares dicti; alii duplares, qui aureum tulerant. Hinc cognomentum Torquati iisdem fluxit. Armillis aureis, in lævo brachio gestandis, & hastis deauratis donati alii, & hi quidem cum hostem dejecissent. aliis vestes, aut cibaria, ex publico præbita; sed hæc pleraque iis obtigêre, qui in velitatione aut excursione singulari vicerant. Licebatq; in pompis atque etiam extremo in funere horum donorum ferre insignia.

§. 5.

Pœnæ etiam militares erga delinquentes minimè defuêre. Certè militiæ disciplina ad illam præcipuè felicitatem in bellis Romanos provexit. In communibus militum delictis, vite utebantur Romani in cives, fuste in socios, partem stipendiorum, vel prædæ subtrahebant, opus gravius imperabant, deijciebant gradu, exautorabant, &c. Quod si verò gravius offendissent, ut si quid furto è castris subduxissent, loco cessissent, arma mutassent, aut alienassent, falsum dixissent testimonium, corpus in flore ætatis fœdè corrupissent, vigilias aut circuitiones neglexissent, Consulem, signa, stationem deseruissent, præmii gratia mentiti essent, fustuario usque ad mortem multabantur, quod ita plerumque factum, ut in corona reliquorum damnatus, tactusque per Tribunum fuste, à reliquis

deinde

deinde fustibus lapidibusque obrueretur. Plures etiam securi, vel gladio percussi, alii in crucem sublati sunt, postquam ante à Lictore ad palum alligati, virgis cæsi essent. Hanc autem Dux pro tribunali sedens ferebat sententiam. Vnde solennia hæc verba. 1. *Lictor, colliga manus, verberato, caput obnubito, arbori infelici suspendito.*

Quod si delictum ad totam pertineret legionem, vel cohortem, sorte missa, decimus quisque ad supplicium poscebatur. Quanquam & Livius l. 28. totam legionem in foro Rom. securi percussam scribat.

§. 6.

In hostes autem variè animadversum est, vel enim sub jugum missi sunt, quod Æqui primum à L. Quinctio Dictatore subire coacti sunt, eratq; patibuli instar ex tribus hastis constructum; vel sub corona venditi, vel urbe aut libertate spoliati, aut vectigales facti: aut etiam, si rebelles, supplicio affecti sunt.

CAPVT LXVII.

De transactione cum hostibus, pace, federe, deditione.

INduciis bellum suspendebant, ut interea de pace consultarent, qui eas violasset, jus gentium læsisse creditus est. Pax, vel sponsione dabatur, quod solius erat Imperatoris, si S.P.Q.R. censuisset; vel federe, quod jussu populi & senatus autoritate transigebatur. Ritus autem federis hic erat.

§. 1.

Duo Feciales (quorum alter Pater Patratus erat) verbenas, seu puras herbas ex arce, quib⁹ coronarentur, petebant, deinde lapidem ex Iovis Feretrii templo, quo porcum ferirent, deinde Iovis sceptrum per quod jurarent, quæ peregrè fœdus sanciturì, secum deferebant (quanquam & Iovis aliquando simulacrum detulissent) ubi ad hostium congressum ventum, tum Fecialis alterius Patris Patrati caput tangens, conceptis verbis fedus absolvit, ac legibus postremò recitatis, arreptoque cum precibus atq; imprecatione lapide, porcum ferit, ut *per quem fit, quò minus dictis legibus stetur, eum ita Iupiter feriat, quemadmodum*

modum is modo porcus feritur. Polybius lib 5. dicit hanc deniquę porci feriendi rationem mutatam, abjectoque tantum fetialem lapide dixisse. *Si sine dolo malo ago, Dii mi fortunent, si sciens fallo, ceteris omnibus salvis, solus ego concidam, ut hic lapis è manibus meis decidit.* idque erat, Iovem lapidem jurare. Federa in tabulis æreis columnisque insculpta in Capitolio adservabantur.

§. 2.

Qui verò deditione in potestatem Rom. venere, hos ab illis leges accipere oportuit. Milites deditionem postulantes capita sub clypeos, ut Appian. lib. 11. scribit, inclinabant. Populi Oratoribus infulatis, ramumque olivæ præferentibus pacem rogabant, hac ferè qua Liv. lib. 1. de Collatinis deditis formula utitur. Rex interrogavit. *Estisne vos Legati Oratoresq́ꝫ missi à populo Collatino, ut populum Coll. dederetis? Sumus. Estne pop. Collatinus in sua potestate? Est. Deditis ne vos populum Coll. urbem, agros, aquam, terminos, delubra, utensilia, divina, humanaque omnia in meam, populique Rom. ditionem? Dedimus. At ego recipio.* Deinde per Tribun. pleb. rogabatur plebs. *De his, quid fieri velitis? vos rogo Quirites.* Plebs sic ferè jubebat. *Quod senatus maxima pars censeat, qui adsidetis, id volumus jubemusque.*

CAPUT XLVIII.

Honor victoribus in supplicatione, triumpho, ovatione delatus.

I. QVicunque cum imperio exercitui præerat, si vel ipse vicisset, vel eo absente ejus Quæstor, aut Legatus, salutabatur publicis exercitus acclamationib⁹ Imperator, toties quoties Victor existeret. Vnde Augustus vicies Imperator est dictus, & in nummis scriptus. Et hoc nomen Imperatoris, aliàs proponi (cum solum ducem exercitus, non victorem significaret) solitum, proprium nomen sequebatur. ut C. Iulius Cæsar Imper. V. Coronabantur etiam lauro fasces illis præferendi. Dabantur ad senatum quoque à Ducibus laureatæ literæ, quas qui ferrent nuntii coronati hastarum cuspide incedebant.

II. Vbi res cognita Romæ atque ab amicis urbibus, ha-

qui-

quidem cum gratulatione coronas aureas; aurumque in triumphum (iccirco coronarium dictum) submittebant; illa Imperatoris nomen Duci confirmabat, supplicationemque dierum plurium decernebat, quà populus per omnia Deorum templa cæsis victimis gratias superis coronatus, candidaque in veste, referebat.

III. Triumphus illis solum decretus est, 1. qui sua in provincia, suisque rem auspiciis gessisset. 2. qui auxisset imperium, non amissa tantùm recuperasset. 3. qui cum magistratu fuisset, hoc est, vel Dictator, vel Consul, aut Prætor. Quanquam contra hanc legem, Dictatoris Sullæ consensu, Cn. Pompeius, qui nullos magistratus gesserat, triumphari. 4. qui minimum quinque hostium cecidisset millia, paucioribus de suis amissis, quorum rationem juratus reddere tenebatur. 5. non nisi exercitu ex provincia deportato, ut debellatum esse constaret. Nec in bello civili triumphus concessus. nec si diem Imperatori Tribunus pleb. dixisset, ut L. Lucullo C. Memmius denuntiavit, triennio tamen post, accusatione remissa, triumphanti. Accedenti itaque ad urbem Imperatori, si nemo major in urbe cum imperio esset. evocabat senatum ad ædem Bellonæ vel Martis extra urbem; aut, si quis illo major, suo jussu dabat; ut causa cognita, triumphus decerneretur. Si enim venisset in urbem, carebat imperio, sine quo non triumphabant. Populus autem venienti, per omnes ætatum ordines, obviam effusus gratulabatur.

IV. Ordo apparatusq; triumphi, sumptibus plerumq; publicis instituti, hic erat. Constituto die, senatus cum equestri ordine festivo cultu, obviam Imperatori, extra urbem prodibant. hic vero triumphali habitu inductus, sumptis armillis, laurea redimitus, ramumque dextra tenens, prosequente exercitu occurrebat, atque illic peractis votis, certo loco, pro concione, laudatos milites, donisque affectos ad prandium, ex more instructum dimisit. Inde pompâ ducta, per candidatum populum ad portam triumphalem procedens, Diis istic collocatis sacrificabat. Hinc deniq; instructis ordinibus, apertis tota orbe Deorum templis per stratas floribus vias, & thura odoresque ante ianuas domorum fragrantes, gradusq; spectaculorũ utrimq; surgentes completosque, inter faustas acclamationes,

tiones, ad capitolium incedebat. Primus erat senatus. 2. currus hostium spoliis onusti à militibus coronatis, inter plaudentes tubicines, traducebantur, armis ita per currus dispositis, ut collisione mutua bellicum fragorem repræsentarent. 3. Civitatum gentiumque victarum Numina ac simulacra, pictæq; regionum urbium devictarum tabulæ & partim in ferculis, a viris purpuratis, partim in curribus ferebantur. Quandoq; & fluviorum Rheni, Rhodani, atq; ipsius etiam Oceani eburnea, auroque vincta, signa portabantur. 4. Duo militum ordines, quorum alter aurum argentum rude atque infectum; factum alter, signatumque, æs, ebur, vestes pretiosas, marmorea, argentea, aureaque signa, coronas à sociis donatas urbibus, denique quidquid rarum ea dederat provincia, præferebat. Ita Cæsar in triumpho Camelopardalem, Augustus Hippotamũ & Rhinocerotem, alii alia, & quandoque per triumphum triduanum, si tantæ essent opes (ut T. Quintius de Macedonia) produxerunt. Succedebant tubicines, purpura coronisque ornati aureis, bellicum carmen insonantes. 5. Hostiæ, pro sacrificiis, boves albi, ex Clitumni plerumque fluvii accolis, candore insignibus, à candidata quoque juventute ducebantur, pueris aureas à tergo pateras deferentibus. 6 Regum victorum currus atq; insignia sequebantur. 7. Hostium Duces, & captivi pro gentium varietate distincti, & in titulis prælatis descripti. 8. Imperator cultu regio, omnia gestans Iovis insignia, in sella ex ebore regia, sex equis candidis plerumq; vehebatur, toga picta indutus, sub qua tunica palmata emineret. dextera lauri ramum, sinistra scipionem, cum aquila complexus eburnea, caput lauro redimitus. bulla in pectore pendula adversus invidiam remedia continebat, cujus etiam avertendæ gratia Deus Fascinus, invidiæ medicus, sub curru pendebat. In ipso autem curru servus publicus, seu carnifex, a tergo hærens, coronam auream gemmis distinctam sustinebat, qui subinde admoneret, *memento te hominem.* Eadem de causa Plin. lib. 35. cap. 1. ferreo annulo usum refert. Zonaras etiam tintinnabulum, & flagellum currui appensum fuisse memorat, ut moneretur, & damnari ipsum capite (quando tintinnabulum gestabant) & flagris serviliter cædi potuisse. Laureati circa currum

tum tubicines lictoresque erant. Cognati, vel in eodem curru, vel equis post hunc vecti, ferebantur. ceteri laureati ibant. 9. Liberati ex hostium servitute, etiam Rom. cives, rasis capitibus, pileati omnes, ut mos erat servorum, cum manumitterentur. 10. Legati Tribunique militum in equis, post se ducebant distributam in Ordines militiam; lanceis pileisque lauro vinctis, sua spolia præferentem, nunc cantu exultantem; nunc ridicula salsaque in suum Imper. torquentem dicteria. Vt opprobriis honores temperarent, & superbiam infringerent.

Ita ad forum delatus Imperator, captivos aliquot in carcerem deduci necarique jussit. Ipse interea ad capitolium versus, perque ejus gradus enixus genibus, cunctatusque, donec mors hostium nunciaretur. Inde templum subiens taurum immolabat; laurique ramum in ejus gremio tanquam victoriæ autoris deponebat. Hinc instructum sub porticibus capitolii epulum una cum Senatu & Magistratu adiit, Consulibus ad illud invitatis; moxque iterum, ut manerent rogatis, ne quis in eo convivio triumphante esset dignior. Assidebat haud procul Minister publicus, qui nonnunquam cum probro interpellatus, *magis* dicebat, *servo tuo pareo, quam tibi.* Et sane brevis levisque honor, nam sub vesperam ex publicis applausibus, ut privatus, domum recessit. Illud perenne erat, quod publicis spectaculis laureatus interesset, quodque statua triumphali donaretur, honorque funeris esset illustrior.

Triumphus à quibusdam in Albano monte longe inferior, privatis sumptibus, celebratus est; cum Senatus publicum negaret; quod à C. Papitio Masone Coss. cœptum, atque ab aliis post eundem est usurpatum. Denique ab Augusto Cæsare belli Ducibus insignia triumphantium, supplicatio, vestis & coronatum nomen Imperatoris concessum, triumphus vero ipsis Cæsaribus reservatus est.

V. Ovatio minoris triumphi species est. Sic dicta, quod triumphans, non tauros, sed oves pro sacrificio duceret. In hac Imperator, non curru, sed pedibus urbem subibat; non picta, sed communi prætexta usus: non laurea, sed myrtea corona; inter tibicines, non tubicines, ingressus. Concessa fuit, si aliqua conditionum supra ad triumphum

requisitarum defuisset, aut gratia ac transactione potius, quàm marte bellum confecisset.

VI. Tropæa eo loci erigi solebant, ubi hostis fugatus, à τροπὴ fuga sic appellata, & Marti consecrata. quæ primò ex arborum truncis, suspensis per hos armis, inscriptisque victarū gentium nominibus, postea etiam ex ære saxisque constituta sunt; sed hoc minori laude, quòd implacabilis odii videretur, hæc tam cruenta dissidiorum monumenta perdurare velle. Vnde, ut nefas erat semel posita evertere, ita & collapsa instaurare.

Quod si quæ spolia Dux Duci adversario detraxisset, hæc ferè Dux ipse primarius Iovi, alter Marti, tertius dignitate Quirino dedicabat. Ita Romulus, Aul. Cornel. Cossus, & M. Claudius Marcellus, arma hostium Ducibus detracta, consecrasse Iovi Feretrio dicuntur. Consule prolixius de his differentem *Valerium* lib. 7. c. 8. &c.

CAPVT XLIX.

De re nummaria Romanorum Græcorum & Hebræorum.

PRimò quidem, ante nummorum usum, permutatione rerum negotiationes peractas esse memorant, at deinde signandi æris pretiique constituendi usum, tam inter Romanos, quàm Græcos obtinuisse. De illorum ære primùm.

§. I.

Principio Numam corio signato, more Carthaginensium aliorumque, usum ferunt; sed deinde à Servio Tullio Rege 6. Rom. Plinius figura pecudis æs notatum ait, lib. 18. c. 3. argentum aurumque denique subiisse. ferri & plumbi, nisi in necessitate, rarus usus. quia verò ad libram æs appendi solitum erat, ut justo pondere signaretur. Hinc *As* vel *Assis* communissimum minoris nummi genus (de-

cima

cima schillingi nostri pars,) alia voce, *as*, vel *libra*, aut *libella*, aut *pondo* dicebatur. Vnde deni æris, vel libræ decem, centum æris, mille æris, idem quod decem asses, vel decussis, centum asses, vel centussis; aut mille assium. Decies verò centena millia æris, accisâ phrasi vocabant, decies æris, uti postea etiam in sestertiis factum observabimus. Quare ut facilè tibi Romanæ pecuniæ rationem imagineris, *Denarium* decem asses, sive albos, ut Coloniæ dicimus, valentem. (nos Schillingum, Itali Iulium appellant, quorum decem scutum, vel coronatum argent. vel Philippicum, apud Hispanos; Dalerum verò imperialem & quadrantem apud Germanos faciunt) pro fundamento computationis habeamus.

§. 2.

2. Descendendo à *Denario* seu Iulio, celebratur. 1. *Quinarius* cui & *victoriati* à victoria, quâ signabatur, nomen datum (cui Ciceronis *Cistophorus* videtur esse propinquus) estque quinque assium. 2. *Tressis*, est trium assium. 3. *Sestertius*, est trium assium & dimidii, quasi dicas semistertius. vulgatissima Rom. pecunia. 4. *Di*, vel *Dupondius* est duorum assium, quasi duo pondo æris significans. 5. denique AS. qui nummus ulterius dividitur, in *bessem* tres assis partes, in *semissem*, medium assem, *trientem* tertiam assis partem, *quadrantem*, seu, *teruncium* (qui erat quarta libræ pars, trium unciarum) *sextantem*, hoc est, quartam, & sextam assis portionem, postremò *unciam*, quæ est pars illius duodecima. Ita quidem, ut sestertius cum superioribus argenteus, reliqui inferiores nummi ærei essent. Per asses verò etiam sic numerando ascendebant, ut dicerent bini æris, terni æris, quaterni &c. hoc est, duo, tres, quatuor asses. Assis autem signum erat. Pari modo per pondo assurgebant, ut dicerent dipondium, tripondium, centumpondium, hoc est, duo, tres, centum asses. Rursum per uncias in illis, quæ per as descendendo non expresserant, tradiderunt; ut quincunx, septunx, decunx, deunx, quod esset quinque, septem, decem, & undecim unciarum. Quare universim hic ordo in unciis, usque ad as vel libram ascendendo, tenetur. 1. uncia. 2. sextans quæ est sexta pars assis, seu duæ unciæ,

quadrans. 4. triens. 5. quincunx. 6. semis vel semissis. 7. septunx. 8. bes, vel des, vel bessis. 9. dodrans, 10. dextrans, vel deunx, quod deest una uncia ab asse. 12. as, æs, vel libra, aut pondo.

§. 3.

Ascendendo tamen in summis majoribus plerumque sestertiis utebantur, cujus signum erat HS. duos asses, & semissim indicans. Ergo supputabant hoc modo. Duo sestertii, tres, quatuor, quinque, &c. usque ad mille. Mille autem sestertios unâ voce neutrâ appellabant, *sestertium*. & conficiebant 25. coronatos, sive Philippicos; Atque hinc sursum supputando pergebant, duo sestertia, tria quatuor, &c. dicendo, (hoc est, duo, quatuor sestertiorum millia) usque ad mille sestertia denuò progressi. quanquam & interdum, ducenta & quadringenta tantum dixerint, sestertia subintelligendo. In hoc millenario verò altera est mutatio instituta; dictumque *mille sestertiûm* duo, tria, quatuor, millia HS. quod signum quandoque etiam omissum, subintellecto nomine sestertiûm. ascensumque usque ad *decies centena millia sestertiûm*. quam orationem sæpius contraxêrunt, ut dicerent, decies centena millia, aut decies centena HS. aut *decies HS*. tantùm; significatione eadem, ceteris subintellectis, ita ad vicies, centies, millies HS. ascenderunt. Quare sic progrediendum est; & quatuor quidem sestertii unum facient Iulium, quatuor sestertia, centum coronatos. 400. sestertia, decem coronatos, 400. sestertia mille coronatos. quadragies HS. sive sestertiûm, centum millia coronatorum, hoc est, auri talentum, prout hac ætate usurpatur.

§. 4.

Erat & Romanis nummus aureus, sive solidus, ac decem denarios seu regales pretio complexus est. Ita nummus (sive numus,) aliquando universè, aliquando sigillatim usurpatus est pro sestertio. nam quadringentis millibus nummûm, idem est, quod sestertiûm.

§. 5.

In Græcorum moneta pro fundamentali nummo ponenda est *dragma argenti Attica*, quæ Romanorum Denario à plerisque habetur æquivalens, licet à quibusdam septimâ parte minor fuisse credatur. Sex in se continebat

[illegible] obolos. Vnde intelligitur obolum aliquid inter assem & Sestertium Romanum fuisse medium, quinta parte minorem, quàm fuerit dipondius

§. 6.

In Hebræorum moneta *drachma* quoque *Hebrea* principium occupet & facilis computatio est futura. hæc autem Denarios Rom. vel Drachmas Atticas duas in se complectitur, & decem obolos Hebræos. singuli enim oboli Hebræorum æquivalent dipondio, seu duobus assibus Rom, seu Belgico quondam stuffero. Quatuor itaque sestertii faciunt drachmam Atticam, octo Hebræam.

§. 7.

Mina præterea & talentum, tam Attica quàm Hebræa fuêre. Mina vel Mua valebat centum Drachmis, Attica Atticis, Hebræa Hebræis. hoc est, illa centum, hæc ducentorum Denariorum erat. illa 400 sestertiorum; hæc 800. sive, quod idem est, illa coronatos decem, & viginti complectebatur. Et Mina quidem Attica, cum Libra Rom. seu pondo (sine adjuncto, *æris*) ferè coincidit, cum semiuncia, seu vigesima quarta parte, hoc tantum minus sit.

§. 8.

Talentum primò minimi pretii, deinde summi esse cœpit; ut per hoc ubique maximas pecuniarum summas censuerint. Vt nihil Athenis, obolove minus esset, majusve talento, quod ad communes calculos veniret. Erat verò Talentum quodlibet sex millium Drachmarum, seu Minarum 60. apud quaslibet gentes, ut Pollux l.9. Onomast. testatur. Cum igitur apud Hebræos Drachmæ Minæque pretio duplicarentur, idem in Talento factum est.

Æginæum tamen decem drachmarum Atticarum, seu denariorum Rom. continebat millia (quod & nonnulli magnum Atticum dicunt) Babylonium septem, Ægyptiacum drach. 7680. Romanum 5250. Syriacum 1500. drach. Quod Drachmis & Minis dissiderent.

§. 9.

Stater, sive Siclus argenti ubique idem, continebat quatuor denarios, seu drachmas Atticas, sestertios sedecim

cim 20. obolos Hebraicos 24. Atticos, & asses 40. quæ 20. stuferos, seu florenum Belgicum faciunt.

§. 10.

Aurea verò moneta semper in decuplum assurgit, ita una Drachma auri, unus, Siclus, Mina, Talentum, decem æquivalet argenti Drachmis, Siclis, ac Minis. Tabulam quæ supputantem queat dirigere, brevem subijcio.

Sesterstius circiter	2 ½ alb. Col.
Duo Sestertii	medius Iulius.
Decem Sestertii	2. Iulii & ½
20. Sestertii	5. Iulii.
40. Sestertii	10. Iulii.
50. Sestertii	12. Iulii & ½
100. Sestertii	2. Coron. & ½
200. Sestertii	5. Coron.
400. Sestertii	10. Coron.
500. Sestertii	12. Cor. & ½
1000. Sestertii	*Vide Sestertium.*
Sestertium	25. Coron.
Duo Sestertia	50. Coron.
Decem Sestertia	250. Coron.
20. Sestertia	500. Coron.
40. Sestertia	1000. Cor.
50. Sestertia	1250. Cor.
100. Sestertia	2500. Cor.
200. Sestertia	5000. Cor.
400. Sestertia	10000. Cor.
500. Sestertia	12500. Cor.
1000. Sestertia	*Vide Sestertium.*
Mille Sestertiûm	25000. Cor.
Duo Mill. Sestertiûm	50000. Cor.
Decies HS.	250000. Cor.
Vicies HS.	500000. Cor.
Quadragies HS.	1000000. Cor.
Quinquagies HS.	1250000. Cor.
Centies HS.	2500000. Cor.
Ducenties HS.	5000000. Cor.

Qua-

Quadringenties HS.	10000000. Cor.
Quingenties HS.	12500000. Cor.
Millies HS.	25000000. Cor.

Vltra quæ si etiamnum ascendere lubeat, via supputandi cœpta progredieris, ut bis millies, ter millies, decies millies HS. Majores tamen summæ per talenta computantur, ex quibus Attica coronatos faciebant 600. Æginæa (quæ & majora vocabant Attica) mille. Hebræa verò mille ducentos. Communiter tamen apud scriptores priscos, ubi talentum, nudè legitur, de Attico minori accipiendũ est. Qui plura hac de re voluerit *Budæũ de asse, Alexand. Sardum de monetâ Græcorum, & novissimè Andream Scottum de re nummariâ, ac Iac. Tirinum in prolog. vet. test. consulat.* Ego paucis hisce facem rudiori lectori præferre volui, ne passim in lectione Veterum suspensus ignarusque hæsitaret.

LIBER V.

De ratione scribendi Dialogos, Epistolas, & Historiam.

Reliquum est, ut ad ipsa denique argumentorum, quæ ad scribendum assumuntur, genera paucis me convertam. Quorum ut mihi tractandi, sic & intelligendi ratio lectori minimè difficilis futura videtur, si illam quæ in scribendo est styli varietatem simus assecuti. Materiæ enim inventionisque difficultas magis natura, quam arte vincitur. Sola ætas judiciumque sæpe in hac perficit, quod arte nunquam assequaris. Propemodum, ut in artibus mechanicis, sic & in liberalibus hisce disciplinis, res habet; materiam Deus & natura sufficit, formam arte conciliamus.

Inter prima verò scribendi argumenta, quibus juventus ad spem Romanæ eloquentiæ educatur, sunt Dialogi, & Epistolæ, post quorum tractationem illustrior aliquanto gestarum rerum narratio, quam historiæ nominè complectimur, sese offert; Quæ singula suo quodam Styli charactere signata à se invicem differunt, & cum idem quandoque materiæ genus, non eâdem tamen dicendi formâ comprehendunt. Nos de singulis pauca quædam, pro eorum ingenio ac diversitate disseremus, ceteris, quæ apud Aphthonium tractantur progymnasmatis, ad secundam partem nostram, velut quibusdam Orationis illic persequendæ membris, interisper dilatis.

CAPUT

CAPVT I.

De Dialogis.

Dialogus, ut ipsa vox indicat, est sermo ultro citroque inter plures pauciores ve personas institutus; isque, vel familiaris, vel oratorius est, ille tantum ad communicandos animi sensus, in quotidianis passimque occurrentibus rebus, versatur; hic etiam ad persuadendum directus est; ille purus quidem, at simplex, & sine cultu illaboratus; hic majori cura ornatuque assurgit, ut modò verborum lenocinio in animum audientis irrepat, modò etiam cum res postulat, vi quadam perstringat, expugnetque renitentem, ille troporum flosculis, lenibusque figuris; proverbiis, apophthegmatibus, gnomisque scitè vibratis ludit, hic acrioribus, sed brevibus, figuris, grandiorique etiam totius dictionis habitu quandoque insurgit, & quædam veluti oratoris futuri præludia exercet, velitationes solas ante pugnam format, & nondum plena acie congreditur.

Ratio autem dialogisticas dissertationes tractandi duplex est. Vel enim ipsas personas inter se loquentes introducimus; vel tanquam historica dictorum expositione uno orationis filo rem totam prosequimur. Priore Cicero in suis partitionibus Oratoriis, in Tuscul. quæstionibus, de legibus, senectute, atque amicitia usus est; posteriore de oratore, de finibus bonorum & malorum, de natura Deorum aliisque libris. Ceterum rebus ubique & Personæ sermo aptandus est: ubi res Tragicæ sunt, comicas abesse personas decet; ubi politicæ, ex rure aut scholis sumpti non loquuntur: ubi senilem requirunt experientiam, submoventur juvenes; ubi consilia dantur, Cato potius, quàm Catilina auditur: ubi opibus res aguntur, Crasso præ Diogene locus est. Verbo, *quam quisque artem novit, in hac se exercet:* non dicendo minus, quàm agendo, Qua in re non paucos Dialogistas offendisse constat. Fingere igitur per-

sonas nunquam natas (quamvis minus petitum sit) magìs erit tutum rudioribus, quàm ab antiquitate contra decorum assumere. Ad stylum quod attinet, hic rerum lineamenta sequitur, quæ, ubi familiares usu ac tractationis modo sunt: illic latinus, sed minimè fucatus, aut longè quæsitus sermò, est inferendus. Talem illum esse reperies, qui in plerorumque ferè colloquiorum apud Tullium ingressu usurpatur, priusquam ad calidiorem disceptationem provehatur oratio. Quamvis & ipse familiaris sermo ad hoc, ut ratione non impetu convincamus animum, atque in nostram traducamus sententiam, longe sit aptissimus; cum sine cura penetret, ac pronis plerumque arrectisque auribus excipiatur: Quorundam denique concessione facilè in consequentium admissionem inducat.

Lubet exemplo à Cicerone deprompto rem propius expendere.

§. 1.

Cicero Tusculan. qq. lib. 1. post exordium.

Dialogus Marci & Attici.

Mortem esse viro sapienti contemnendam.

A*Tticus*. Malum mihi videtur mors. *Marcus*. Iisne qui mortui sunt; an iis quibus moriendum est? A. Utrisque. M. Est igitur miserum, quoniam malum. A. Certè. M. Ergo & ii quibus evenit jam, ut morerentur, & ii quibus eventurum est, miseri. A. Mihi ita videtur. M. Nemo ergo non miser. A. Prorsus nemo. M. Et quidem si tibi constare vis, omnes quicunque nati sunt, eruntque, non solum miseri, sed etiam semper miseri. Nam si solos eos diceres miseros, quibus moriendum esset: neminem tu quidem eorum qui viverent exciperes: moriendum est enim omnibus: esset tamen miseriæ finis in morte. quoniam autem etiam mortui miseri sunt, in miseriam nascimur sempiternam. A. Ita prorsus existimo.

M. Dic quæso num te ista terrent, triceps apud Inferos Cerberus, Cocyti fremitus, transvectio Acherontis, &c.

A. Adeo-

A. Adeóne me delirare censes, ut ista credam? M. An tu hæc non credis? A. Quid negotii est, hæc Poetarum & pictorum portenta convincere? M. Atqui pleni sunt libri Philosophorum contra ea ipsa disserentium. A. Ineptè sanè. quis est enim tam excors quem ista moveant? M. Si ergo apud inferos miseri non sunt, ne sunt quidem apud inferos ulli. A. Ita prorsus existimo. M. ubi ergo sunt ei, quos miseros dicis, aut quem locum incolunt? Si enim sunt, nusquam esse non possunt. A. Ego verò nusquam illos esse puto. M. Igitur ne esse quidem. A. Prorsus isto modo; & tamen miseros, ob id ipsum quidem, quia nulli sunt. M. Jam mallem Cerberum metueres, quam ista tam inconsideratè diceres. A. Qui tandem? M. Quem esse negas, eundem esse dicis. Vbi est acumen tuum? A. Non sum ita hebes, ut ista dicam. M. Quid dicis igitur? A. Miserum esse verbi causa Marc. Crassum, qui illas fortunas morte dimiserit; miserum Cn. Pompeium qui tanta gloria sit orbatus. Omnes denique miseros, qui hac luce careant. M. Revolveris eodem. Sint enim oportet si miseri sint. Tu autem modo negabas, eos esse, qui mortui essent. Si igitur non sunt, nihil esse possunt; ne miseri quidem. A. Non dico fortasse etiam quod sentio. nam istud ipsum, non esse, cum fueris, miserrimum puto. M. Quid miserius, quàm omnino nunquã fuisse? ita qui nondum nati sunt, quia non sunt, miseri jam sunt. Ego autem non commemini antequam sum, me miserum. Tu si meliore memoria es, velim scire, ecquid de te recordere. A. Ita jocaris, quasi ego dicam eos esse miseros, qui nati non sunt, & non eos qui mortui sunt. M. Pugnantia te loqui non vides? quid enim tam pugnat, quam, non modo miserum, sed omnino quicquam esse, qui non sit?

A. Age, jam concedo, non esse miseros, qui mortui sunt, quoniam extorsisti ut faterer, qui omnino non essent, eos ne miseros quidem esse posse. Quid? qui vivimus, cum moriendum sit, nonne miseri sumus? Quæ enim potest esse jucunditas, cum dies & noctes cogitandum sit, jamque esse moriendum? M. Tu mihi videris Epicharmi acuti, nec insulsi hominis sententiam sequi. A. Quam? non enim novi. M. Dicam si potero latinè. scis enim me Græcè loqui in latino sermone non plus solere, quam in

græco latinè. A. Rectè quidem, sed quæ tandem est Epicharmi sententia?

M. Emori nolo, sed me esse mortuum nihil æstimo.

A. Iam agnosco Græcum. Sed perfice nunc si potes, ut ne moriendum quidem esse miserum putem.

M. Istuc quidem nihil negotii est; sed etiam majora morior.

A. Quomodo?

M. Quoniam, si post mortem nihil est mali, ita ne moriendum quidem esse, malum est; id est enim, perveniendum esse ad id, quod non esse malum confitemur, &c.

§. 2.

Hæc aliaque Cicero puro simplicique dialogorum sermone disseruit, & strinxit tamen, non movendo dicendi pondere, sed rationum acumine urgendo. Vbi verò deinde ad animorum immortalitatem & mortis contemptum majori disserendi vi ac copia progressus est, orationis quoque dignitas nonnihil est elevata.

Verùm illo simplici familiariq; sermonis genere primum juvenes singulari cura, per omnem penè quotidianum exercitiorum usum ducenda est, dum proprias quasque rerum voces syntaxesque apprehenderit. Deinde gravioribus sensim dialogismis, qui majori cultu splendescant, excolenda, atque eloquentiæ nobiliori initianda est. Ad quam iccirco Dialogi inprimis faciunt, quia omnem differendi materiam, ab Epistolis etiam alienam, complecti possunt, tum quævis orationis ornamenta, si graviores figuras excipias, solent admittere. Plus etiam & urbanitatis facetiarumque ad delectandum, & facilitatis ad inveniendum juventuti suppeditant, cum & interrogatis promptius aptum aliquid adolescentes reponant; & objectis resistant callidius; magnis multisque rationibus, ordine aliquo digerendis, impares.

Qua porrò via fructuque in his, cùm Magistri, cum discipuli in Grammaticæ scholis exerceri possint, jam principio hujus operis. lib. 1. c. 1. n. 3. tradidi. Cui nunc illud addendum est. Quod discipuli inter prima etiam eloquentiæ rudimenta nonnunquam in theatrum producendi sint, ut quæ inter privatas exercitationes scribendo decurre-

suxerunt, aliquando de memoria publicè recitent, dignoque ad pronuntiationem gesta habituque corporis componantur. Prima enim puerorum ætas ad hæc multò facilius eruditur, quàm firmatæ jam adolescentiæ juvenes; quos errandi metus, atque inutilis verecundia, retardat. Ad hæc tamen dicendi argumenta Magistri manum expoliendo accedere necesse est, possuntque & quædam interseri olim etiam discipulis intelligenda. pleraque tamen ad eorum sint ingenium accommodata; ne tanquam psittaci ad theatrum producti, aliis loquantur, quæ ipsi non capiant.

Quare duplicis exemplo Dialogi viam lubuit præire. Illo per aliquot historias, stylo vulgariter culto, sermonem duxi; hoc tam concipiendi, quàm eloquendi genere aliquantò sublimius extuli: ut illud mediæ Grammaticæ, hoc supremæ idoneum censeam.

CAPVT II.

Exercitatio Dialogistica.

In qua

Heroum quinque à Mundi Vanitate ad Deum Conversio totidem Dialogis exponitur.

S. BRVNO.

ADmiranda prorsus sunt quæ sparguntur in vulgus, de Parisiensis scholæ Doctore. *Laudinius.* Nihil supra fidem continent, meis ipse præsens vidi factum oculis, aures etiam dictorum testes habeo. Catastrophen hodie exspectamus Tragœdiæ. *Bruno.* Illius spectandæ gratia huc venio. *Laud.* Ibo comes. Iam enim ad templum festino, ut exequiali hymnodiæ rursus intersim. *Bruno.* Quod principium hæc tragœdia habuit? *Laud.* Hominem nosti? *Bruno.* Quid ni? magis quam Socratem Plato. Audivi in scholis magna sapientiæ laude docentē. Humanitatem cum doctrina conjunctā amavi. Mores imitatione digni

digni erant, ingenium etiam admiratione. *Laud.* Ita est. In oculis atque ore omnium versabatur; quòd duas res præstantissimas sociasset, virtutem & literas; at modò non pauci formidant, ne strumam in diphabo admirati sint. *Bruno.* Optem factū explicatius ab oculato teste percipere. *Laud.* Exequias adornavimus, ut mos est defunctis, longo Academicorum ordine, apparatu solenni, funebri musica. *Bruno.* Intelligo. *Laud.* In media templi area juxta sepulchrale monumentum substitimus, orsi deinde Psalmos Davidicos, ad illam canentium vocem pervenimus, *Responde mihi.* Vix ea, & subitò ingenti concussione quati atque etiam dissolvi tumba mortui, ac deinde ipse funesto erectus in habitu, livido exesoque vultu, in hæc verba, cum gemitu, erupit. *Iusto Dei judicio accusatus sum.*

Horruimus, steteruntq; comæ, & vox faucibus hæsit.

Nihilominus cœptum pietatis opus exitu absolvimus. Altera pòst die ad idem reversi officium verbis iisdem mortuum in has voces è capulo excitavimus; *Iusto Dei judicio accusatus sum. Bruno.* O vox terribilis! *Laud.* Talis quæ omnibus penè vocem excuteret. perstitimus tamen, contraque terrorem, nostra pietate, pectus obfirmavimus. jam urbs tota ad eventum rei suspensa tenetur. Preces exæquiales modo iterabimus *Bruno.* Accedam lectioni. *Laud.* Nihil prohibet eodem pietatis fungi munere, nisi fallor jam exordium est, faces mortuales à longè perstringunt oculos. *Bruno.* subeamus, tota cogitatione ad exitum specto. Spe juxta metuq; percellor. Immane quiddam est, quod exspecto & formido; nec hosti quidem tam atrocia imprecer. *Laud.* Festinemus, nam ad scopulum prope nuperum decurrit oratio. *Pastor. Requiem æternam, &c. Responde mihi. Bruno.* Heu diffringitur capulus, surgit mortuus horreo ad tam triste spectaculum. pandit ora, loquitur. *Doctor: Iusto Dei judicio condemnatus sum. Bruno.* O ferale tonitru! ô dirum fulmen! ô funesta, horrida, terribilis vox! Igitur divino judicio damnatur, illud lumen urbis, scholæ decus, Parisiorum gloria? O planè diversa hominum judicia! O fallax opinio nostra! O inanis exspectatio! *Pastor.* Agite vespillones, extinctis facibus, egerite hoc templo cadaver, patibulo magis, quàm sepulchro dignum. Ad fimetum, & fossas bestiarum hoc funus

spectat.

spectat. *Bruno.* Laudini, quale, quam tragicum spectaculū! *Laud.* Verba exciderunt, nihil subvenit, quo vel terrorem meum, vel illius hominis calamitatem explicem. fidem omnia & exemplum superant. Vix factum credo, quod video. *Bruno.* Ah! ah! ah! Ille sapientum, ut vidimus Coryphæus, illud virtutum, ut credidimus, exemplar, ita spem nostram suamque salutem evertit! *Laud.* Iam in fimeto, nuper in cathedra; jam vix dignus canibus, nuper penè supra homines. *Bruno.* Iam, ah infelicitas! jam in flamma, nuper in gloria; jam in æternitate est, qua nulla tristior, nulla gravior, nulla calamitosior, quæ nec finem pœnarum habet, nec modum; in qua miseria, sine miseratione; sine spe desperatio. Quid agimus Laudini? inter quos scopulos vita nostra jactatur? quid si eadem nos charybdis aliquando hauriat? periimus, & æternùm periimus. Cur non ex his periculis navem ad tutiorem portum subducimus, dum sors & vita patitur? Etiamnum tempus est. erit hora, cum nec hora pœnitentiæ cupientibus superfutura est. Illud aliquando momentum subibimus & temporis, & caussæ, & judicis, ex quo pendebit æternitas: illum vultum, illamq; vocem sustinebimus, quę huic modò infelici homini horrendam tulit sententiam. Quis nobis capitalis illius judicii successum spondet? quis, si vita nostra anceps inter vitia virtutemque fluctuet, securitatem præstabit? O nos miseros, ac malè natos, si Doctori huic similes, aut vivimus, aut morimur! *Laud.* O deplorandam, sanguineis etiam lacrymis illius hominis conditionem.

Quid profuerunt opes ad istam calamitatem transituro? quid honor ad istam infamiā servato? pauper ultimusq; mortaliū vixisset, multò satius, quàm ut talis ex opulentis primisq; moreretur. *Bruno.* Rem dicis Laudini verissimā. Fugiamus, hosce scopulos fugiamus. Adhuc integra nobis res est, aut si quid offendimus, pœnitendi nondum occasionibus dejecti sumus. Bono fortasse nostro hoc ille infortunio mersus est; periit, ut servaremur.

Declinemus mundum, tam funestis periculis infamem. Quæramus solitudinem, ubi procul à divitiis ac vitiis, procul à mundi gaudiis & mœrore, procul ab inani spe & desperatione vivamus. *Laud.* Nihil recuso, te duce ac comite malo difficilem vitam, quàm mortem, perbrevi ac futili

futili catiere illecebra, quàm perpetuæ felicitatis possessione excidere. *Bruno.* Sapis. Non erimus soli, quamvis id solitudine. Illic Christi exemplo, atque etiam societate recreabimur. Illic Angelorum interesse choris, Divorum alloquio frui, rationes inire factorum, ac Iudicis illius extremi severitatem licebit prævertere. Hanc Salvatoris basilicam subeamus, hic vota Deo instituendæ rectius vitæ nuncupabimus.

§. 11

S. BERNARDVS.

O Vanæ mortalium spes! O sævum Mortis imperium etiam in adolescentes! Quid obsecro in vita læti est, si ubiq; est lethum? *Cupido* 1. Procul his Bernarde mœroribus, in ætate jam prima vernas: procul adhuc bruma est. *Bern.* Etiam æstas flores demetit, nec bruma sæpe exspectatur, pruina ventusque asperior florem enecat. *Cupido* 1. Nescis Bernarde formę tuæ gratiam, hoc ex speculo disce qualis sis. Rosa es. *Bern.* Ah caduca rosæ gratiæ! *Cupido.* Lilium es. *Bern.* O bonum fragile! *Cupido* 2. Lux es. *Bern.* Sed, eheu in tenebris! *Cup.* 1. Fax es. *Bern:* Ah ne quenquam aduram! *Cup.* 2. Stella es. *Bern.* Vtinam in cœlo! *Cup.* 1. Mel es, & suavium omnibus. *Bern.* Vtinam ne improbis! *Cup.* 2. Amant te quàm plurimæ. *Bern* Infelix adolescens sum, si mulieribus immatutê placeo. Vtinam illarum odium mererer! *Cup.* 1. Noli tibi infelicitatem peccari, amaris. *Bern.* Amarem vicissim, si me odissent. *Cup.* 2. Suades amorem vultu, ore, oculis, noli tuis te verbis oppugnare. *Bern.* Quid ita? an non subterfugis? *Cup.* 1. Non potes quamdiu te non effugeris. *Bern.* Quid igitur peccavi? *Cup.* 1. Natura in te peccavit. formosus es. *Bern.* *Hic fulgor teneris qui radiat genis, Momento rapitur, nullaq; non dies Formosi spolium corporis abstulit. Res est forma fugax.* *Cup.* 2. Flores priusquam flaccescant, carpendi. *Bern.* Intacti magis placent. *Cup.* At nulli serviunt. *Bern.* Pascunt oculos, delectant odore. *Cup.* 1. Quo gratius vernant, citius avelluntur. rarus flos pulcher, & illibatus.

Rara est concordia formæ, atque pudicitiæ.

Bern. Certum mihi est integritatem pudoris tueri. Malo animum, quàm corpus ornatum. *Cup.* 2. Frustra es. tot mo-

nitis, totq; oculos qui tibi invigilant, non falles. *Bern.* Meus sum, quis me mihi eripiet; *Cup.* 1. Blanditiæ, eloquentia, suavis cupiditas. *Bern.* Deum habeo, viresq; quibus resistam. *Cup.* Fortior Sampsone non es. *Bern.* Pietate vincam. *Cup.* 1. Nec Sanctior es Davide. *Bern.* deflevit errorem. Sapit igitur, quisquis non facit pœnitenda. *Cup.* 2. Et Salomon sapuit fruitus tamẽ ætate est. *Bern.* sed & hic desipuit. *Cup.* 1. Illaqueabere. *Cup.* 2. Cupidinis arundine transfigeris. *Bern.* Latrones Latrones, *Cup.* 1. Ita evades minime. *Bern.* O magna Dei Mater, illibata virgo, festina auxilium. Sub tuum, tuique filii, præsidium confugio. *D. Virgo* Confide fili, vicisti. Hic meus tibi filius vires audaciamq; sufficiet. De carne & mundo triumphabis. *Bern.* *O quam amabilis es bone Iesu, &c.* O dulcissima Mater, esto mihi *in adversitate præsidium, in lubrico baculus, in naufragio portus.* O spectaculum jucundissimũ! O suavissimæ illecebræ! O innocentissima voluptas! valeat inanissima mundi cura, forma deformis, ingrata gratia, opes inopes, discors concordia, infamis fama, onerosus honos. Mihi *Iesus Maria in ore mel, & in aure melos, in corde jubilum est.* *Guido.* Quid ita exultas mi frater, qui paulò ante mœroribus conflictabaris. *Bern.* Qui ex lapidibus Abrahæ filios, idem ex mœrore excitare gaudium potest. *Andreas.* Lætamur mi frater, quod post nubila Phœbum videris. *Gerard.* Non semper gelido terra riget Iove, ver brumam sequitur. *Barthulom.* Hic mundi cursus est, Sol oritur, & occidit. *Bern.* Non Sol tantũ, sed & vita nostra. Hodie vivimus, floremus, lætamur; cras morimur, deflorescimus, utinam ne pereamus! Levis enim jactura non est, quæ æterna est. *Guido.* His cogitatis gaudiũ inficis, mi frater. *Bern.* Nullũ mihi liquidius gaudium esse potest, quam hæc meminisse. Quanquã gaudere nolim illa mundi gaudia, ut cœlorum amittam. *Guido.* Perplexa loquetis. *Bern.* verbo me expediam, Aversor mundi vanitatem, ac strepitum, solitudinem cogito. *Guido.* Mirum! itaq; fratres patriamque deserere? *Bern.* Non sed eodem, vos mecum, si obsequimini, pertraham, non amittemus patriam, sed adibimus. Illac qua vos ducam, via est. *Guido.* Quod tibi Numen hanc mentem injecit. *Bern.* Quod vos, neque servatum cupit. *Guido.* sed ubi tam opimam hereditatem relinquemus? *Bern.* Præmittemus, per manus pau-

perum, nil cœlum; ne nobis quicquam ex ea male pereat. *Andreas*. Dura res paupertas est. *Bern*. Nolo vos inopia conflictari. *Andr*. Attamen vis esse sine opibus. *Bern*. Inter inopiam abundabitis. Opes, mihi credite, illic sunt, ubi contemnuntur. Nemo eget, cui satis est, quantum est satis. An nescitis centuplicato nobis fœnore, ex pacto refundendum à Christo, quidquid ejus nomine profuderimus?

Guido. Hæc Philosophia à paucis capitur. *Bern*. sumus & nos in paucis. *Gerard*. Etiam in mundo spes ac salus est. *Bern*. Etiam ex naufragio sunt, qui enatent. *Barthol*. Ergo totus in solitudinem mundus evocandus esset. *Bern*. Plerique ad has voces obsurduerunt, pauci in animum transmittunt. Præsens voluptas multis sensum ad futuram eripit, viscosæ opes non paucos detinent, honoris illecebræ plurimos illaqueant. Sed O vanitas. O deceptio! *Quid tandem proderit superbia, aut divitiarum jactantia quid confevet? transibunt sicut umbra, & tanquam nuntius præcurrens, & tanquam navis fluctuantem aquam pertransiens, cujus deinde nec vestigium*. Sap. 5. quot ante nos potentes, quorũ nec memoria! quot divites, quorum nec umbra? ut aura fumusque evanuerunt, atque utinam penitus evanuissent! æternitatis sunt incolæ, non ex opibus, aut honoribus, sed virtute suam felicitatem metientes; hæc si defuerit, exciderunt, & divitiis, & gloria, & vita denique, brevi voluptate æternum mercati incendium. *Guido*. Nihil verius. *Bern*. Qui aliter sapiunt, desipiunt.

Andr. Sed florenti ætate vivimus adhuc procul à morte; Senium Deo! Hoc ævum mundo aptius. *Bern*.

Quo semel est imbuta recens servabit odorem
Testa diu. ———

An oleum effundes, & amurcam Deo servabis? *felix ille qui portaverit jugum Domini ab adolescentia*. *Andr*. Accedam fratri comes, Dux ipse ad meliora præeas. *Bern*. Erit qui ducat; modò qui sequantur non desint. Christus præiit, hoc duce nemo peritior, nemo securior. *Guido*. me, qui ætate sum primus, ultimũ hic esse non convenit. *Barthol*. Nec ego fratres deseram, comes ibo etiam ad mortem. *Gerard* Et ego opibus, quã vestrâ Societate malo destitui. *Nivardus*. Igitur me deseritis? *Guido*. Opulentam patris hæreditatem possidebis, hanc in te transcribimus. *Nivard*.

Nimi-

Nimirum vobis cœlum vendicatis, mihi terram relinquitis; tam stultus nundinator futurus non sum, etiamsi stultus. Quo vos itis passibus licet imparibus, sequi possum. *Bern.* O germana societas! O dilecta fratrum agmina! Felicem me, qui hanc vobiscum nascendi sortem consecutus sum, ut quos sanguinis, eosdem & pietatis socios haberem. Amentes erimus, si alium hujus vitæ Ducem, quã futuræ quærimus. Hic Christum habemus, at sub cruce illic eundem; sed in gloria. Hæc via ad cœlũ regia est, aberrant ceteræ nisi ipse nos fallat ductor, cum inquit, *qui vult venire post me, tollat crucem meam, & sequatur me.* Quid ad hæc Nivarde? *Nivard.* Quod vos fratres mei, quod alii adolescentes teneri potuerunt, cur me posse desperem? *Bern.* Laudo animum, veni ad amplexus frater charissime; crucis atque etiam gaudiorum socius. *Guido.* Excludis nos suavissime frater. *Bern.* Nisi me excluditis vestris amplexibus, aspernor neminem. O meæ deliciæ! succedamus huic ædi sacræ, ut in Christo arctius sociemur.

§. II.

S. IGNATIVS.

GRates superis, tibique inprimis Apostolorum Princeps, pedes firmantur, evanuit dolor. Quamquam quid doloribus sublatis lætor, hoc viris fortissimis, Deoque futurus similior, quo graviores æquo animo sustinuero. Hic liber Sanctorum hominum complexus historias, omnibus propemodum pagellis crucis patientiæque memoriam subjicit. Ille heroum bella, pugnas, victorias, multò feliciores explicat, quam sequar hactenus. Imbellis miles fui, nec ausus fortia, nec passus. In umbra prorsus delitui, jam solem primum, & pugnas cogito. Cum hoste nondum congressus sum me digno. Etiam cum me vincere crederem, succubui; vincebam alios, à me ipso vincebar. Nemo mihi capitalior hostis Ignatio fuit. Ab hoc quoties accepi vulnera? quoties ambitione, ira, æmulatione, incontinentia prostratus sum? ceteræ jam plagæ curantur, hæ etiamnum crudæ sunt, & medicinã respuunt. O stultum incautumq; militem! cur arma non vertis? cur nondũ castra mutari? O Christe, ac Christi Mater suavissima,

vestra ego vexilla respicio, sub vestris me juverit auspiciis militare. *D. Virgo, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, hunc sequere. Christus, confide Ignati. propitius tibi ero. Ignat.* Superi! quid video? quæ lux oculos, quæ vocis suavitas aures animumque penetravit. Tene ego afflictorum Mater; Te ego, orbis deliciæ, suavissime IESV, intueor? Quò fugitis, lucidissima sidera? ah si vestris immorari atque immori obtutibus liceret? Ignatii adhuc lecto affigeris? evigila, surge, consequere Christum. Iam pedibus abundè niteris, dolor omnis, & noxa evanuit.

I, quò te rapiunt pedes & auræ,
Quo IESVS rapit, innocensque Mater.
Tantos militiæ sequare Reges
Et certum tibi Spondeo triumphum.
Totum sub pedibus videre mundum
Sub Christo potes imperante victor.

Famulus. Quo vergit iste Domini mei impetus? rem grandem animo voluit, nihil solitum molitur. frequens lectio, meditatioque rerum divinarum prorsus occupavit. *Garsia.* Frater ubi est? lectus vacat.

Famul. 1. Iam conclave subiit, seque accingit vestibus. *Garsia.* Tam cito ex infirmo, firmus, ac validus? *famul.* 5. Hæc nox ita omnem ægritudinem abstersit, ut valetudo ipsi orta cum sole videatur. Quanquam insolito ardore animi vim omnem doloris frangi, sentirique vix credam. Ardua enim sunt, quæ se cum mente agitat: suspirat, ingemiscit, angitur, exclamat, velut inter summos doloris æstus: mox lætatur, anhelat, exultat ac prorsus natat in gaudiis. audi IESV & MARIÆ sacra excidere ore nomina, atque identidem ingeminari. *Garf.* Hæc & ego certa mutati animi argumenta habeo. *Fam.* 5. Ex lecta Sanctorum historia principium hic animi æstus duxit. En huc foras erumpit. *Garf.* Stemus silentio ad mores intenti. *Ignat.* Sustine hanc satelles per viam sarcinam, iter tentabo, si pedes ferent. *Fam.* 2. Nihilne hac de re ad familiam nuntio? *Ignat.* Nihil opus, erit cum oportunè resciscent. *Fam.* 2. Brevine igitur rediturus? *Ignat.* Id norint Superi. De crastino nihil exploratum habemus. qui enim victuros nos asserat? *Garf.* Hæc mihi oratio suspecta est, alloquor: Frater quonam hæc spectant? *Ignat.* Ad necessarium

rium iter. *Garf.* Quod iter tibi vixdum firmo necessarium?

Hanc pro te navabo operam, valetudinem cura. *Ignat.* Vicariam hæc res operam non amittit. Najatæus Dux conveniendus est. *Garf.* vereor fraudem, mi frater aliò hæc spectant cœpta. Vide ne quam familiæ tuæ ignominiam concilies. *Ignat.* Absit, hanc in fratre nondum comperisti amentiam. *Garf.* Morbus sæpe vitium afflat menti ceteroquin integræ. *Ignat.* Et morbus sæpe, qui corpus affligit, animi est sanitas. *Garf.* Familię nostrę gloriam, tuis modo auspiciis florentissimam, noli alienis ab ea consiliis evertere. Major te ætate sum, sed, hoc tuis non invideo laudibus, autoritate vincis. Hispaniæ tibi Procerum Regisque animos devinxisti, insigni fortitudine, paratis obsequiis. Si cœpto abieris, spem in qua tota familia te Duce assurgit, protinus disiijcis, & nascentem tuarum virtutum, nostrique simul honoris, segetem exscindis. *Ignat.* Vanissimas mi Frater curas alis, umbras, tantum umbras metuis. Nihil enim perinde mihi, quàm vera nostræ familiæ virtus ac honor cordi erit. In hunc scopum omnis cogitatio mea spectat. Hoc agam, ne quid mihi dedecoris imputes. *Garf.* Comes eunti accedam, fortè viam levabo. *Ignat.* Fortè oneri futurus es, meis enim viribus, meoque commodo iter metior. *Garf.* Famulos non aspernaberis, servient ubi opus. *Ignat.* Non recuso. *Garf.* Ite, ac fratrem mihi incolumen reducite. *Fam.* 1. Operam dabimus. *Garf.* Prosperum tibi iter fortunet Deus. *Ignat.* Tibi superi omnem felicitatem præstent. *Fam.* 1. Sine obsecro pallium hoc deferam. *Ignat.* Pigra ovis quæ lanam suam non ferat. *Fam.* 1. Servitii gratia adsumus. *Ignat.* Nulla servitus felicior, quam qua rationi quisque suæ obsequitur. Hujus imperia sæpe aspernamur, & alienis servimus Dominis, iræ & cupiditati. *Famul.* 1. verum; sed grave nimis illæ in nos exercent imperium: recusare difficile est. *Ignat.* Difficilia quæ pulchra, omnis virtus in arduo est. Sed hem, est quod vos moneam. Domum repetite, vestro deinde servitio opus non est, mihi sufficio. *Famul.* 5. Absit, in hoc empti sumus, ut tibi famulemur. *Ignat.* Ergo parendum vobis scitis. *Famul.* 5. scimus. *Ignat.* Abire jubeo. *Fam.* 5. Si jubes nihil contra licet, at cupimus tui manere. *Ignat.* Eritis ab-

sentes etiam. Nunc hæc accipite munuscula, & fratri ex me omnem Salutem dicite, *famul. 2.* De te quid nuntiabimus? *Ignat.* Deo me debere servitium, hoc impensum iri. *Famul. 2.* Rem molestam adferemus. *Ignat.* Molestum illi esse non debet, quod debetur superis. Valete, *Famul. 1.* vale suavissime Domine. *Famul. 2.* vale here optime. *Ignat.* Sensim propius ad portum vela admoveo. Patriam fratrem amicos deserui, meus denique fieri incipio. Suavior mihi deinde minusq; impedita cum superis futura consuetudo est. Hic montis Serrati templum surgit, ubi magna religione Dei parens gloriosissima colitur. Illic novæ militiæ rudimenta auspicabor, ut tanta interpellatrice apud Filium gratiam mereat. Hic patet aditus, hac subeo. *Magna Virgo, casta Mater, magna Princeps Angelorum, magna Victrix inferorum, magna Spes mortalium. Ecce supplex atque mœrens flecto vultum, tundo pectus. Me clientem militemq; casta Virgo suscipe. Eia Mater fons salutis, me tuæ fac servitutis, Filioq; mancipatum, fac stipendiarum.* Hujus ego voti ac voluntatis meæ anathema perpetuum, tibi ô Virgo ad aram hunc gladium, ac pugionem suspendo, tuæq; militiæ addico, quidquid in me virium est. *Pauper.* Ah optimè mi Domine, miserrimo homini stipem largire parvulam. *Ignat.* Oportunè ades. Morare tantisper, dum me hac veste exuam, aliam mihi istic paratam attuli, meo idoneam proposito, tu illa in rem tuam utere. *Pauper.* ô liberalissime Princeps, Deus tibi hoc beneficium muneret. *Ignat.* Noli mea ad superbiam abuti liberalitate, neque homini, sed Deo acceptum referas, quod accepisti. *Pauper.* ô fortunam qualem à cunis nullã habui! felici hodie omine domo egressus sum, non frustra dexter mihi saliebat oculus. *Ignat.* Hic mihi habitus magis conveniet. hoc luxuriem illam vestium inutilem jam dudum commutare debui. In hoc cultu minus invidiæ, æmulationis, arrogantiæ pertimescendum est. Hactenus, prô dolor ornando magis corpori, quam animo invigilavi. Attendi sæpius, quæ vultus species, formæ decor, quam compta cæsaries, vestis culta, cum interea conscientiæ deformis habitus, squallor ingens, nulla curatio. O male collocatas horas! O malè perditam ætatem! O vitam sine vita traductam! Quid agimus mortales? quo res spesque nostras convertimus, bre-

vis

vitæ ævi ludibria, *& tanquam folium quod vento rapitur?* Adeonе nobis ipsi vilescimus, ut nostræ animæ pretium dignitatemq; inter sordes vitiorum conculcemus? ut illa, quæ immortalis in nobis est, parte neglectâ, ad mortale, putidum, verminosum corpus, tanto opere fovendum ornandumque vertamur. Dummodo sensus nostri brevi leviq; voluptatulâ oblectentur, dummodo lingua mulso, tactus oculusq; libidine auris suavitate momentaneâ demulceantur, pereat anima & æternùm pereat. Estne qui hanc insaniam nostram mente concipere, verbis eloqui dignè possit? illas verò quas domi militiaque ac præsertim in aulis Principũ captamus vanissimi honoris auras, quantulæ, aut quæ omnino sunt? Quid aut emolumenti adferunt, aut tollunt incommodi, quo felix homo censeri possit? umbræ, somnium, fumus sunt, atque his etiam inaniores, quod nec oculos quidem incurrant. Hæc tamen, infelici errore delusus, hujusque miser consectatus sum. O stultissima vanitas! O dignissima vinculis & carcere amentia! Quantum hieme frigoris, æstate caloris pertuli! quoties inter aulæ curas, militiæq; labores, molestiâ victus ingemui! quoties hominum invidiâ hostiumq; æmulatione exercitatus sum! Perstiti, duravique contra omnem injuriam longâ patientiâ. quod nunc illius sudoris pretium, quã messem colligo? Mundo hæc omnia impendi. Ingratissimus est, nec modò nihil rependit mercedis; sed etiam sui cultorẽ ultimo exitio destinat. Hujus aliqua mei laboris pars, si Deo expensa esset, uberrimos fructus legerem, neque guttura insumpti sudoris irrita deflueret. Centuplicato fœnore redirent omnia, pro terrenis cœlestia, pro fluxis bonis æterna colligerem. Aberravi & heu, nimium aberravi, à veritatis & virtutis orbita! *Mil.*1. Quo te pedes mi homo? *Ignat.* Quò inopẽ ducunt, qui Dei hominumq; vivit gratia *Mil.*1. Ain te pauperem, fallis nebulo. *Mil.*2. scrutemur loculos. aurum hoc cultu sæpè tegitur. *Mil.*1. Sæpè etiã fraus simulatio, proditio. *Mil.*2. Fortè explorator est; nam ex martis schola, tam robustũ est corpus talisq; oris habitus. Nihil Iro simile, nisi sola vestis. *Mil.*1. Quid ad hæc præter silentium? Nunquid scelestus es? *Ignat.* Fateor. *Mil.*1. Quid igitur fateris? *Ignat.* Magnorum me scelerũ reum confiteor. *Mil* 1. Etiã proditionis? *Ignat.* Hujus culpam ignoro. *Mil.*1. Quid igitur? an plagas expectas? *Ignat.*

utinam tam felix habear, ut illas pro Christo innocente nocens perferam? *Mil.2.* Hoc tibi modio liberaliter admetiemur. *Mil.1.* Etiam ad furcam rapière, aut rotæ eris victima. *Ignat.* pro Christo mori lucrum est. *Mil.2.* Abderitæ isti cerebrum in genua defluxerit. Parum sapit. *Mil.1.* Cucullum, & nolæ tantùm desunt. *Mil.2.* Fortè, ut Orestes matrem sustulit, quod his agatur intemperiis. *Mil.1.* Fortè etiam sine Matre est, atque ex cerebro aut femore Jovis excidit. *Mil.2.* Quid obmutescis? *Mil.3.* verba homine digna non reperit. *Mil.2.* Habesne aures? *Mil.4.* Midæ, opinor, nisi ad patibulum suffixæ sint. Sed eamus ne ab insano insaniam contrahamus. *Ignat.* O IESV suavissime, quanta hæc voluptas est, pro te injuriis, contumeliisque vexari! Dignus equidem sum, qui pro insano habear, tot stultissimæ hactenus vitæ argumenta dedi. Ludibrium jam pridem cœlo fui, illis moribus sceleris atque amentiæ plenissimis, quibus orbi me probabã; nunc ut cœlo dignus videar, æquum est, ut ab orbe ludificer. Tibi innocenti Domino illusum ab improbis est, ego nocens quid deprecer? Euge servator amantissime; in tuam me scholam recipe, ubi opprobriis ac contumeliis ex merito pascar. Liceat mihi sanctissima illa vitæ tuæ vestigia legere, atque aliquid perpeti quo tuus haberi merear.

§. 3.

S. AVGVSTINVS.

ALipius. Augustine, quas illic in crypta moras ducis? an hoc forte spelæum eremicola novus habitare cogitas? *August.* O Alipi! *Alip.*

Quorsum exclamas? *August.* O nos infelices! *Alip.* Quid obsecro est? ad quem scopulum impegimus? *August.* Infelices certè quibus idiotæ illi cælum præripiunt. *Alip.* Quid vero est? ænigmata loqueris. *August.* Surgunt indocti & regnum cœlorum rapiunt. *Alip.* Quos loqueris? *August.* Paulos, Antonios, & sexcentos alios. Illi nos prævolant, illi vim cœlo occupando faciunt, nos in nostra perimus atque etiam stultescimus sapientia, gnari præsentium, futurarum rerum parum consulti.

Quis Antonio illam tradidit sapientiam, quâ totum orbem sui admiratione complevit? non ex Lyceo Stoa aut Porticu hausit, sed in silvis ac speluncis, ubi pro frequentia

tia solitudo, pro hominibus feræ. ubi postquam debellasset mundum, ipsum etiam orcum omni arte ac potentia nixum provocare est ausus. quem ne moriens pertimesceret, vivus jam subegerat.

Alip. Non omnes Lacedæmonii quotquot Græciam habitant, nec cuivis contingit adire Corinthum. Varios militia ordines complectitur, velites, peltatos, Cataphractos, hastatos, scutatos reperias, illic antesignanos & manipulares, rorarios, & triarios invenias, omnes tamen milites, omnes ad pugnam victoriamque conductos. *August.* At multi desides, & solo tantum nomine præsentes. Victoria plerumque paucorum virtuti imputatur, Quanquam non diffitear pugnandum omnibus, ferroque ac vulneribus corpus offerendum; sed alii necessitate, alii voluntate pugnant, interest quo quisque animo ad militiam accedat. Quod hactenus dura perpessus sim, ut cupiditatibus meis obsequerer, quis laude aut præmio ornabit? Pugnavi, at sine victoria, vulnera inglorius accepi, victus etiam sum. ubi triumphum cecini. mutabo arma & militiæ genus, si me Deus amet. *Alip.* Rideberis Augustine, tanta animi factorumque inconstantiâ Christianus natus es, Manichæus educatus, rursus ejurata hæresi fidem accepisti, nunc veluti in illo nondum portu tutus acquiescas, stationem rursum mutas, atque ad illa opinor animum adjicis, quæ plures admirantur, quam amant. *August.* verba me deficiunt, quibus conceptam mente promam sententiam. Sine obsecro mecum tantisper me esse, ut rationes factorum ineam. *Alip.* Age sanè: at vide ne quid constituas Augustino indignum. *August.* Scio, Deliberandum enim est diu, quod statuendum est semel. *Alip.* Invisam te haud multò post iterum. *August.* Fac animum tuum. Augustine, tecum mihi res modò est, solus solum aggredior. Degeneris Matris filius es, nihil ab illius modestia, continentiâ, pietate, demissione habes tuum. natus ad perniciē & famæ alienæ, & tuæ salutis videris. Quid hactenus dignum Majoribus, quid te ipso præstas? in sordibus ac luxuria volveris, ad lubricos honorum gradus incerto conatu niteris. sapientiæ famam aucuparis, sed stultitiæ heu nimium devotus cliens! Quid scire juverit universa, quæ totius mundi complexu tenentur, si unum Deum ignoraveris? quid ignorasse cetera oberit, ubi hunc solum animo & cogni-

tione comprehenderis; Omnibus nervis contendas licet, nec Demosthenes, nec Aristoteles futurus es. Et si fueris, Deo hac mente nihilo habendus dignior, quàm humillimus ex hara rusticus, qui ubi rudi animo superũ timorem complexus erit, cœlo accensebitur, quo neq; Philosophorum subtilitas, neque oratorum eloquentia, virtute nuda penetrabit. Vanissima est vanitas, & scientia ignorationis plenissima, quæ preter Deum omnia assequitur, ah, Augustine, quantum aberrasti hactenus! scelerum luxuriæque meminisse piget, cum nec virtutes quidem absque vitio assecutus sim. vah pudor ac dolor! quam me vitæ tædet! utinã nec natus quidem in has Dei injurias fuissem! infelix Mater quæ lucem mihi nascenti, alimentum lactenti suffecit! Augustine quid agis, quò te vertis? quid fluctuas? cur ambigis? Quin cœptam abrumpis insaniam? Subveni ô supremum Numen his angustiis circumvento. ah. ah! mæror somnusq; dolentem obruunt. *Mundus.* Augustine, Nostine Mundũ? Hic te interpellat. Ne obsecro tam amens sis, ut hunc deseras, qui tot hactenus in te ornamenta contulit, tot à te recepit. *Vita.* Illam suavissimã vitam tuam, tot annis tibi jucundè cultam, adhùc juvenilem, vegetam, robustam, tam inconsultè noli squalore obruere, enecare mœroribus. *Cupido.* Amores illos tuus, illas delicatæ voluptatis illecebras noli aspernari. *Dæmon.* Fruere gaudio annis adhuc plurimis tuo in sinu reposito. Insanum est, illis quæ Deus liberali manu obtulit, animum subducere. *Religio.* Cave Augustine, Mundum cave, Religio te admonet. fallax est, & mendaci imagine multorũ illudit oculis, credulos denique in præcipitiũ ducit. *Mors.* Ne vitæ nimiũ fidas Augustine, Mors illi à tergo imminet, non effugiet has manus, telumq; istud. Serius an ocius incertum tibi est, omnis hora periculo non vacat. *Dolor.* Fuge Augustine, fuge carnis illecebras, *nocet empta dolore voluptas.* Hoc ego te flagello persequar, urgebo, puniam, dum meliora sapias, & saniora pœnitentiæ consilia sequaris. *Angelus.* obsequere recta monentibus Augustine, vanitatem desere, amplectere virtutem & Christi Crucem, Mortem cogita, scelerum dolorem in animũ admitte. Audisne Angeli tui consilium? *Tolle, lege, tolle, lege. August.* ubi sum? quæ me rego, quis locus habet? Quid legere jubeor? Ille liber unde est? quid mysterii complectitur? legam verò, ut jussus sum; illa

illa quæ fors obtulerit legendo arripiam. Da mihi Deus, ut hinc intelligã voluntatem tuam. *Non in commessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione, sed induimini Dominum nostrum Iesum Christum, & carnis curam ne feceritis in desideriis.* cap. 13. v. 13. O sancta lectio, Apostolo & Romanis, ad quos scribit, digna. O custos Angele, hanc à te monitionẽ profectã accipio. O Mundi vanissima vanitas, procul hinc, procul ex oculis, diu multumq; satis Augustino illusisti. O vita! si tamen vita est, quam vixi hactenus! vita, mortis, offensionumq; plenissima, quid me sollicitas ficta rerum imagine? robur in te vitreum est, ætas fugitiva, flos hodie, cras fœnum es. Ah dignissimi odio amores, quo me distrahitis? quid momentanea voluptas ad æternam, seu voluptatem, seu dolorẽ comparata est? ut ego breviculo tempore oblecter, & æternum crucier? absit, absit tam vecors à mente cogitatio. Non illis me Veneris illiciis, non Dæmonis insidiis ad tam crudelem ruinam abstrahi permittam. Obstabit conscientiæ terror, mortis horror, protector Angelus. Ad tutissimum me Religionis portum ex hoc mari recipiã, ubi adversus tot pericula statio longè securior est, ubi cubile meum in solitudine, ebrietas in amore, æmulatio in virtute sit; ubi cura carnis afflictio, habitus cilicium, crux lectus, potus lacrymæ, tota societas & voluptas sit Christus, & ille Crucifixus. Suscipe me ô Pater, prodigum illum perditumque, sed filii indignum nomine, *& fac me velut unum de tuis mercenariis.* ah *peccavi, fateor, in cælum & coram te! Reminiscere miserationum tuarum Domine*, & perditæ oviculæ curam suscipe, filium agnosce.

§. 4.

S. FRANCISCVS.

PErdidi hunc diem propemodùm, quo mihi in nullum adhuc pauperem liberali esse licuit. *Stapitius.* Adeóne, mi frater, pecunia abundas, ut desint in quos possis effundere? *Franc.* Aliis largior, mihi feneror, & avarè quidem, ut scias: nam pro nummo uno, centum feneratò præstolor. *Stapit.* Ergo te pauperum beneficio ditandum speras? *Francisc.* Spero equidem. *Stapit.* Citius opinor illos divites, & te pauperẽ effeceris, quàm ut ditescas ex pauperibus.

Fran.

Francisc. Syngrapham habeo, non fallent. *Stapit.* Frustra est syngrapha, ubi nihil in loculis. *Francisc.* Fidejussorem habeo, qui abundat opibus. *Stapit.* Quis ille? *Francisc.* Is qui dixit. *Date & dabitur. Quodque uni fecistis ex minimis, mihi fecistis.* *Stapit.* Longinqua hæc nimis solutio est, qua crumenæ non impregnantur. *Francis.* Amens dictum, An in hac etiam vita profusis in egenos paupertas incubuit? Nihil equidem me ex illo egentiorem sensi factum, ex quo nemo à me pauperum indotatus abiit. *Stapit.* Midas eris, qui rebus tuo contactu aurũ allinas. *Francis.* [illegible] *Stapit.* Quid verò est? *Francis.* Ecce pauperem, sed prô quanta obsessum lepra! horreo. at eijciendus hic terror est. Salve mi amice. *Stapit.* Superi! quid aggreditur? hunc ne ille hominem in amplexus colligit? tam fœdo spectaculo etiam pascitur? infectionem nullã meruit? *Francis.* Totum hoc peculium accipe; solus mihi occurris, solus possideas. *Lepros.* Tam liberali Domino omnes superi benè velint, faxintq; *Stapit.* Adeòne etiam prodigè dona effundit, ut aurum cum sacculo largiatur? Sanè parentem hoc facinus latere non sinam, quem sic brevi ex Crœso Irum effecerit. *Francis.* ubi Stapitius? evanuit? an hæc illi hominis species terrorẽ injecit? Quid verò est illo in homine, quod esse non possit alter homo? *Christus.* Francisce. *Francisc.* Quis me compellat? *Christus* Francisce, huc oculos verte, ille ego quem ante cõplexus, cui aurum elargitus es. *Franc.* *Deus meus & omnia!* *Christus.* Francisce. *Franc.* *Domine quid me vis facere?* *Christus.* vade, & labantem domũ meam instaura. *Franc.* O mira Christi benignitas! O rarum beneficium! Ergone in illo paupere Christum tenebam? ah si iterum in ulnas rediret, tam pretioso pignori arctius inhærescerem, cur ita subitò dimisi? cur non mille fixi basia? cur non illis amplexibus immortuus sum? O felicior sponsa quæ exclamare potuit, *tenui illum, & non dimittam!* Sed nimirum is nondum sum, qui illis brachiis immorari, atq; immori possum, Meo, opinor, vultu habituq; mihi occurrit Sponsus, lepra deformis, squalore ac pedore oblitus, talis animo videor, qualis ille corpore. Sed quæ mandata dedit? forte hac te via ad sanitatem vocat. Iubet labantem domum instaurare, animã fortasse tuam tot scelerũ ruinis corruptam. Forsitan & S. Damiani ædem jam extrema prope vetustate in casum inclinatam. Utut sit, minus cunctabis,

bis, si utriusq; curam sumpseris. Ibo & collectam ex equo vestibusq; atq; etiam pretiosiore merce vendita pecunias cogam, quas æditiuo ad prævertendū templi exitium subministrem. *Stapit.* Et hoc ego consilium advertere debui, jam senex aderit, hunc ignorare nō patiar. *Pater.* ubi Franciscus agit, Stapiti? *Stapit.* Iam hinc se abstulit, ut æditiuo ad sacram ædem instaurandā aurum pararet. *Pater.* Me inconsulto? O juvenis proterviam! *Stapit.* Brevi nos iste ad manticam rediget. *Pater.* Ah nescit improbus profusor, quantis has opes impendiis laboris temporisque emerim, quoties jejunus vobis cibum, quoties egens vobis aurum paraverim. Tam nunc leviter rem contemnitis tot paratā sudoribus? Ah utinam pater nunquā fuissem! *Stapit.* Parce obsecro his querelis pater, coerceri poterit. *Pater.* Ita sanè oportet, ad triremes aut carcerem mancipandus est, aut certè eijciendus. *Stapit.* Rectè pater eliminetur domo patria, tantò tutiores erimus. *Pater.* Age fili quantocyus ad me Franciscum huc evoca, perge deinde ad Episcopi vicinam domum, meque illum palam filiis conventum velle affere, rem non levem esse, quam ad ipsius arbitrium referam. *Stapit.* Ibo. *Pater.* ut quam mox te aliosque videam. *Stapit.* Agam, ut potero, naviter. *Pater.* Hæc mihi labes ex familia submovenda est, priusquam intestino malo corripiat universa. Dignum me credidi hac domo educare filium, non infidum patri, non prodigum, non degenerem; at longè spes meas aberrasse comperio, brevi me, seque totamque familiam insperata paupertate deprimet, dum ex aliena inopia levanda insanam voluptatem captat. Opinor ut multi clament: *hic vir, hic est,* ut stipatores habeat, quiq; illi caput ac genua submittant. Tantæ ego amentiæ hodie frenum inijciam. *Franc.* Salve, mi Pater, jussus ad te venio. *Pater.* Helluo, gurges, ac pernicies hereditatis patriæ. Itane in meum tu conspectum prodire ausus? *Franc.* Ergo filius conspectum formidet? *Pater.* Tu filius sis? O pudor nostri generis! aut nasci nunquam debueras, aut pro cunis sepulchrū nancisci. Periisses multò satius, quàm ut eadem tecum ruina totam stirpem raperes. *Franc.* Quod ergo in me tantum est flagitium? *Pater.* Etiam interrogas trifurcifer? istas pecunias quas effundis, quo fonte hausisti? *Franc.* vel industria, propria, vel aliena liberalitate, vel dono parentis obvenerunt. *Pater.* An dedi, ut perderes?

Francisc. Non mi pater. Optimè collocavi omnia, in manibus sunt pauperum. *Pater.* Te, meq; tuosq; brevi omnes istâ prodigalitate habebis pauperes. Sed ecce Episcopus, à tergo adsta, dum alloquor. *Episc.* Intellexi rem tibi esse necessariam cui me adhibitum cuperes. *Pater.* Est verò, religiosissime Domine. Habeo filium, qui insigni profusione quidquid curis laboribusq; hactenus peperi, temerè prodigit. *Episc.* Magnũ scelus, & pœnis castigandũ. *Pater.* Hereditate illum patria exclusum vellem, ne se suosque immaturis largitionib' perditum iret. *Episc.* Iustè, nisi quæ illum necessitas in hoc consilium adigat. *Pater.* Nulla; sed audax quædam libertas & impunitas. *Episc.* Corrigendus est. *Pater.* sine exclusione ab opibus nihil fiet, radicavit malum: nisi alimenta subtrahamus, corrigi non poterit. *Episc.* Obmutescis mi adolescens? *Franc.* Si loquendi facultas est, dicam sanè, nihil effudi, nisi in pauperes. *Pater.* Quid interest, quo tu egeras; careo. spolior. denudor. *Francisc.* At pauperibus largiendũ suasit Christus. *Pater.* Etiã suasit obsequendum parentibus. *Franc.* Modò perperam nihil imperent. *Pater.* Quid perperam? volo te rerum mearum tuarumq; custodem esse. *Franc.* Hac lege pauperibus intereundum erit, nemo dabit. *Pater.* Tua quid interest, si pereant alii, tute tibi prospice. *Episc.* Mitiora verba. parum hæc Christiana sunt. *Pater.* Ne quis mihi mea intervertat postulo. *Episc.* Filius est, rem malam non egit, profusionẽ siqua est corriget. *Pater.* ut corrigat frustra exspectamus, nisi hereditate excludatur. Facultas illi prodigalitatis auferenda est. *Episc.* Immite est facinus, ita filium domo paterna à patre eijci. Olim, Dives ille, prodigum recepit filium, etiam post opes malè consumptas. *Pater.* Emendavit scelus, hic pertinaciam noxæ addidit, excusat etiam flagitium. *Franc.* Frustra hæc contentio, faciam quod postulas, plura etiam quàm postulas, maneant tibi fratribusq; perituræ opes, omni ego hereditati lubens obnuntio. Has tibi quoque vestes ultrò detraham, ne quid possideam tuum. Accipe, deinde liberiori voce dicturus sum, *Pater noster qui es in cælis*, cum in terris patrem non reperiam. vale. & quem nudum genuisti, nudum relinque. *Episc.* Huc ades, & hoc pallium nuditati tegendæ humeris impone. *Franc.* Obsecro, noli hanc felicitatem invidere, ut nudus Christum sequar. *Episc.* Noli aspernari, eleemosyna est.

Franc.

Franc. Hoc titulo lubens amplector, ut pauperibus accensear. *Episc.* Durum patrem, quem ista filii pietas non flexit, sed heu! lacrymæ me ex conspectu abigunt. *Franc.* O me beatum, quem ad istam fortunam servavit Deus! Alio ad Christum portu, quam inopiæ tutius recipi non poteram. Nullum mihi majus in vita beneficium impendit parens, quàm quo omnia sustulit. *Multa* petentibus, desunt multa.

Quanto quisque sibi plura negaverit, à Dis plura feret, nil cupientium,

Nudus castra peto, & transfuga divitum Partes linquere gestio.

Felicissima sorte ad hanc infelicitatem delapsus sum. Opes amisi materiem vitiorum, superbiæ alimentum, fomentum luxuriæ. Perdidi illas, Superis volentibus, ne me perderent. Spem alii ad aurum, ego ad Deum transferam. tutius illius patrocinio, quàm opum nitar, quæ sunt præsidium discriminis plenissimum, in portu scopulus, in copia sollicitudo, quarum in augendo desiderium, in amittendo metus. Dulcior paupertatis possessio est, in qua pro cura securitatem, pro labore quietem amplectar. Ita tibi, ô Christe, videbor dignissimus, cum nullas extra te opes desiderem, nullius, extra te, partis fruar solatio, cum nec patriam quidem in orbe extra cœlum reperiã. Ah utinam suavissime mi Iesu, hac tibi nuditate placeam. dignusque habear, qui crucis tuæ amplexibus inhærere possim! utinam illis tuis vulneribus oscula figere! utinam pretioso irrorari liceat sanguine! utinam illas accipere plagas, aperto corpore, quę pro nocente tulisti innocens. Illa, illa meis ego promeritus sceleribus, novo etiam inflixi scelere, ad has pœnas jam dudum vocandus, nisi cruore tuo mea etiam supplicia extingueres. Sed accipe me socium pœnæ, qui dux & autor flagitii sum, O pretiosa crux! ô pignus desideratum! ô flagella meo irriganda sanguine! spinæ meo flectendæ capiti! clavi & lancea meo corpore excipienda! O dolor, ac gaudium meum! O mœror ac lætitia! spes ac metus! O horror & amaritas! hic quiescam, hæc sedes, hæc requies, mihi futura est.

Eia IESV fons amoris,
Fac me Crucis, fac doloris
Esse tecum compotem.

CAPVT

CAPVT III.

Certamen Dialogisticum.

In quo Sapientia hujus mundi cum Stultitia committitur.

§. 1.

Sapientia Mundana suas dotes ipsa deprædicat.

Sapient. SApientia Mundi dicor. eosdem cum primo homine natales sortita fui, eundem præstolor exitum. Vix Adam conditus, quando illius ego agendæ cum ratione vitæ Magistra exciti. Amœnissimis cum ipso Paradisi delitiis interfui, innocentiæ custos, atque etiam propagatrix futura, nisi improbis Stultitiæ consiliis in transversum actus delirasset.

Candor. Fucata sunt verba. Amor immaturus Sapientiæ protoplasto mentem abstulit. tunc periit, cum diis parem Scientiam ambiret. utinam suo se pede mensus esset, neque Iovis imprudens occupasset sandalia.

Sapient. Alieno magis ore, quam meo laudari me patiar. Quamvis passim mundi deliciæ Sapientum oculus, disciplinarum inventrix, legum repertrix, magistra morum, verbo, ornamentum humanæ vitæ, censear.

Candor. Alpha & Omega Sapientum hæc est, ante primum, & post septimum locanda.

Sapient. Sine me Religio inter homines, & cum illa pax omnis intercidisset. Igitur mille Deos & reperi, & suasi, ut varietate delectarem, multitudine curam hominibus injicerem, ne quem præterirent. Occupatis enim religione Numinum animis, facilè imperatur. hac discussa, nullum imperium stabile est.

Candor.

Candor. Insana hæc fuit sapientia tot religionibus, & pax & vera religio interturbata concidit. Qui enim se, cum non pugnent homines, tot devoti Diis inter se pugnantibus?

Sapient. Prima ego artium liberalium Magistra fui, primi illiberalium. Prima docui Poëtas fingere, Rhetores perorare, Sophistas argutari, sapere Philosophos, leges Iuridicis, herbas Medicis subjeci. Sine me nec stivam scitè rusticus, nec ligna faber, nec subulam sutor, nec sartor acum tractaret. Per me aurum in usus hominum traductum est; per me honori sua stetit æstimatio; per me bella ad injurias refutandas; pax ad stabiliendam amicitiam, excogitata sunt.

Candor. Nassam multis collocasti, citius graviusque interituris, tuo hoc beneficio.

Sapient. Nunc age fidelis mihi semper assecla, versutissime Mome, Insanæ illius stultitiæ, quam nobis adversari in omnibus nosti, explora consilium, & conatus illius justis apud homines reprehensionibus delude. Invenies credo Midæ auriculas, quas stulto capiti opportunè adhibeas.

§. 2.

Mundi Stultitia suam originem ingeniumque, ac cultores exponit.

Stult. MVndi Stultitia habeor, cui tamen Deus, & cœlites Sapientiæ nomen tribuunt. Originem per longam proavorum seriem ad protoplastum refero. Paradisum vix inspexi. Prima suum Adamo sceleris, nuditatisq; ostendi dedecus, ligonem tractare, esuriem sitimque perpeti, frigoris calorisque injurias subire docui. Opes necessitatis, non luxuriæ alimenta esse monstri, honores fumi vanitatisq; plenos, nec puerili dignos bulla ostendi. Hanc cum deinde, per Adami nepotes, disciplinam vivendi propagarem, despecta, ut apparet, cultu, vultuque neglectui sensim inter homines, illudque esse cœpi, quod Corchorus inter olera, inter ligna ficulnus. Alij mihi ciconiis tergum pinsunt, aut Bacchi affingunt cornua. Attagen multis videor, aut upupa: in qua nihil præter colores. Sed posticas has sannas nihil moror, atque illud subinde

regero. *Loripedem rectus derideat. Æthiopem albus*: Stultam me tamen non diffiteor; sed propter Christum, neque ignoro hujus stultitiæ non paucos numerari asseclas, digniores purpurâ, quam illi regnorum Porphyrogeniti.

Momus. Principatus Cyrus est, aut si mavis Bœoticus, ubi personatam hæc agit Reginam. digna quæ sub Embari, qui filiam stultam mactavit Diis, manibus, ad manes transeat.

Stult. Olim ego per umbram Philosophis cognita, Diogenem in dolio tanquam solio, collocavi, ubi ille non minus augustè regnaret. quam in tota Alexander Persia ac Græcia; ubi dominaretur omnibus, subesset nemini præterquam sibi; ubi neminem, præter Deos, metueret, omnes, præter seipsum, despiceret. Vbi sanus absque medico, satur absque coquo. Dives absque opibus viveret.

Momus. Sibyllæ sunt folia. Nulla enim manifestior delirantium turba quam illa, sive ex porticu sive ex Lyceo, seu denique ex Stoa prodiret Philosophorum secta. Vt geminos hujus noctuæ pullos scires, qui in solem non prodibant, nisi ut hominibus, tanquam avibus, ceteris ludibrio essent.

Stult. Modo larvam Stultitiæ mundo induisse videos; paucis tamen sub illa Sapientiæ imagine, qua superis placeo, agnoscor. His solitudo deserta incolitur, Asceteria implentur, Divorum basilicæ resonant. Illi lætari inter calamitates, exultare inter opprobria solent. Infamiam pro honore, indigentiam pro divitiis amplectuntur. Sibi imperant. Deo serviunt, tanquam è specula Mundi insidias, ex portu naufragia contemplantur. Hæc disciplina non paucis admirationem, nonnullis risum; amatoribus tamen suis voluptatem parit.

Momus. Ω φιλαυτία! ut hæc simia suum lambit fœtum! hoc proprium Stultitiæ est, sibi nunquam displicet.

Stult. Idipsum verò, ante ceteros, de cœlo Tonantem ad meum institutum traxi. Siquidem ille hominum servator Deus, ita natus est, vixitque; ut *Iudæis scandalum, gentibus stultitia esset*. Rideat hæc licet Sapientiam mundi, meque etiam *naso suspendat adunco*. Ego insipientia mea gloriabor. Quia *stulta mundi elegit Deus, ut confundat sapientes*. Tu mihi aperti pectoris adolescens, divine Candor,

Fide-

fidelis ubique comes adhæsisti, tuo unius consortio stipata, omne facilè purpuratorum famulitium, & vafrorum hominum consuetudinem aspernabor. Sedulò illud ages, ut omnibus, Sapientiæ adversum nos machinis ac cuniculis, tempestivè prævertas, meque deinde ceteris virtutibus concilies.

§. 3.

Sapientia hujus mundi Dei unius oblita, cum sceleribus vana Deorum Numina reperit, ac venerata est.

Sapient. VEni ad summum optimumque Deorum senatum, cui maxima orbis pars, inventâ à me primùm religione, adducitur; quod non ignorarem, interesse plurimum ad omnem politicæ vitæ rationem, numinis alicujus reverentia animos mortalium occupari, ne in omnem vitæ licentiam dissoluti, suis, ubi religio abesset, quisque cupiditatibus obtemperaret. Quocirca nisi beneficia ignoretis, vobis ego primùm nomina, vobis honorem contuli, vestro addixi mortales obsequio. Quod mea apud illos disciplina potui, cujus vos & fautores, & promotores reliqui.

Iupiter. Non ignoro quantum tibi hoc Deorum collegium debeat. Ingratus essem Iupiter, nisi agnoscerem imperia tuis potissimum institutis gubernari. Principum virorum mores, aulæ cultus nobilitatis insignia tuis auspiciis servantur. Tu prima mille artes Procerum, quibus, & se ornarent, ditarentque, & digno vulgus servitio premerent, reperisti. Quam angusta essent Principum æraria, quam parcæ subditorum manus, nisi tuo consilio illa acciperent, illæ numerarent.

Amor Dei. Præclara Laus quæ etiam furibus danda sit, modò sine arte non furentur.

Sapient. Dignus es, cui thure ad aram litetur. Nam gratum te facis, qui beneficium agnoscis.

Mars. Scio quantum humanæ Sapientiæ donorum Mars acceptum ferat. Nullos sine te censerem sub signis

 milites,

milites, bella non essent, armati non concurrerent exercitus, non fumarent villæ & oppida, non squallerent cadaveribus agri. breviter, sine te Mars non esset, sed pace torperent universa.

Amor Dei. Equum Trojanum Ilio ille Sinon commendat, quo perdere nos ac perire cupit.

Apollo. Multum verò etiam tibi laudatissimus Musarum, Artiumque liberalis chorus tribuit, qui sine tuo ingenio neglectus contemptusque hominibus vilesceret. Nisi Grammaticis inter literarum apices nescio quid exquisitum, Poëtis elegans, ornatum Rhetoribus, Philosophis argutum ostenderes, quo se veluti studiorum pabulo inter diuturnos labores alerent.

Amor Dei. Nimirum regnum aliquod literarium excitatum vidimus, ex quo omnis in orbem dissentiendi libertas existere creditur, quæ pravis homines opinionibus imbutos, sententiis primum, ac deinde gladiis hostilibus committit.

Mercur. Per te urbes, atque in urbibus rerum venalium tabernæ & emporia, per te villa & messis, arationisque tempora, per te rustica, civilisque Respubl. constat, per te fabrórum officinæ, opificumq; cæterorum domus atteque excoluntur, nundinæ confluunt, vigent mercimonia & contractu familiari amicitia, usuque rerum ac hominum mutuus sustentatur.

Amor Dei. Verba nunquam Mercurio, nonnunquam deest veritas. linguam, ni fallor, capit ex victima, neque gratis vult encomiasten agere. Lucerna, cum eget, affundendum est oleum.

Sapient. O bene locatam operam, nihil surdis, ut video, ac mutis. Agnoscitis & prædicatis beneficium. Gratum erit singulorum copias inspicere, earumque lustrare & numerum, & mores, ut de indole, ac profectu cognoscam.

Iupiter. Dabimus operam ut de singulorum ingenio industriaque perspectum habeas. Hic te iterum cum suo quisque exercitu conveniet.

§. 4 Styli

§. 4.

Stultitia hujus Mundi, cum uno Numine, veras amplexa virtutes est.

Stultitia. O Pulcherrima virtutum corona, illustre comitium. Ignoscite, si in illo vobis occurso habitu, quo à mundo depingor. Indolem, non vultum attendite. Non ignoratis opinor, quantum ego Rempubl. vestram auctiorem digniorémq; meo instituto, reddiderim.

Prudentia. Agnoscimus Sapientiæ Divinæ regnum quotquot habet fastidiosos aularum transfugas, superbæ potentiæ hostes, ambitionis vanitatisque contemptores, tua totidem disciplina imbutos, possidet.

Amor mundi. Rectè hos tales aula respuit. Nam cur strumas diphabo tegat? asinos Leonis pelle induat? Plures eijciuntur, qui aulæ non placent, quam quibus aula non placeat.

Iustitia. Intelligit verò etiam Divina Iustitia, quantum Stultitiæ præceptionibus debeat. Siquidem illa Legum Sanctarum reverentia, illa proborum hominum indoles, à mundi ingenio prorsus aliena, ille cælo cœlitibusq; tributus honor, ille mortalibus propter immortalem Deum impensus amor, ex tuo instituto manare creditur.

Amor mundi. Amorem multi cœcum, ego stultum magis pingendum existimo.

Temperantia. Ducem te Magistramq; sequuntur, quoscumque mea Schola complectitur. Nam quotquot sibi voluptatum interdicunt usu, quotquot luxum à mensa & vestibus, Luxuriam à domo & corpore arcent, quotquot famam moderatè aut tuentur, aut negligunt, ex tua disciplina has vitæ instituendæ rationes depromunt.

Amor Mundi. Morbus est cui helleboro medendum sit. Namque illi omnes mentem mihi Abderiticam ex hac disciplina trahere videntur.

Fortitudo. Heroas ego fortissimos habeo qui Tyrannorum minas, tortorum immanitatem, suppliciorum gravitatem eodem accipiunt vultu, quo alii favorem Principum blanditiasque adulantis fortunæ experiuntur. Qui inter catastas, rotas, equuleos, cruces, tanquam inter di-

versos pratorum flores obambulant, lætioriq; vultu mortem, quam alii vitam amplectantur. Hos tuis præceptionibus ad omnem patientiam instructos non ignoro.

Amor mundi. Strychnum hi mihi omnes bibisse videntur, qui adeo in vita insaniunt, ut vivere nesciant.

Stultit. Laudò animos atque indolem vestram. Hæc via ad rectam sapientiam proxima est. *Qui volet esse sapiens inter vos, Stultus fiat, ut sit sapiens.* 1. Cor. cap. 13.

§. 5.

Sapientia Mundana, honores, opes, nobilitatem per fas nefasque occupat.

Sapient. AVlam Iovis ingredior, ut meæ illic operæ fructum cum voluptate intuear. Nullum enim majus jucundiusque solatium Magistris obvenire potest, quam insignis discipulorum in exposita disciplina progressus.

Iupiter. Occurrimus ad viæ temporisq; moram amputandam. Ecce palæstræ nostræ proceres.

Sapient. Quis iste in auro & purpura? *Cæsar.* Sum Cæsar. *Sapient.* Qua tibi arte parasti imperium? *Cæsar.* Armis & largirionibus. *Sapient.* Potentissima hæc duo sunt tela, ut homines subijciant. Sed quo ingenio hæc intorsisti? *Cæsar.* Pro Reipubl. incolumitate tuenda me arma simulabam induere, ut voto potirer. *Amor Dei.* Nullum aptius est pallium, quo Reges privatam cupiditatem obumbrent. *Sapient.* Quid deinde actum? *Cæsar.* Potentiores quosq; adversarios muneribus clam expugnavi, ut vel faverent, vel non obsisterent conatibus, reliquos deinde aut metu, aut favore facilè traxi. Hæc sapientiæ mundanæ est regula. Nullũ esse flagitium, quod regnandi gratia admissum excusationem non habeat. *Sapient.* Obtentum porrò imperium qua industria administrasti? *Cæsar.* Dignitatem mihi esse propriam volui, onera inter alios partitus sum, ne omnem voluptatis gustum inter curas amitterem. *Amor Dei.* Pauci omnino Imperatorum sunt, qui subditis imperent, pauciores qui sibi suis plerique aut aulicis, aut cupiditatibus permittunt imperium. *Cæsar.* Illuc mentem imprimis converto, unde, vel regni, vel ærarii amplificandi

spes

spes fulget. Etenim sine magnis opibus diu nulla florent imperia, nec sumptuosa Principum vita absque ære multo constat.

Amor Dei. Nimirum hinc tot nova exactionum artificia, quibus vastissimorum regnorum opes, ad unius, vel paucorum satellitum cupiditates insumuntur. Qui nunquam plura destruunt, quam cum ipsi ædificant; nunquã plures habent infelices, quam cum ipsi felicitatem suam tributis subditorum alunt, atque illatis armis propagant.

Sapient. Alium hic intueor quem Majorum ceras atque insignia evolvere gaudeo. Hæc enim merito nobis imago ante oculos versatur, ut ex Proavorum nostrorum virtutibus non minus, quam ex Miltiadis trophæis Themistocles ad gloriæ amorem concitemur. Quis verò tu, & qua stirpe natus es?

Nobilis. Ad Romanorum Imperatorum sanguinem longâ retro gentilitiorum insignium serie pertineo. nullum in successione vitium est.

Amor Dei. Laus hæc aliena est, imò tuum dedecus, quod majoribus impar vivas. certè quod Heroum filii noxæ sint, his Proavorum ceris probas.

Sapient. Rarum hujus ævi ornamentum habes, quo non tantum Principum aulas; sed etiam aras in templis Divorum principes obtinere licebit, vulgo ignobili excluso.

Amor Dei. ὕστερον πρότερον. Quærendum primò qua quisque virtute ornatus accederet, deinde qua generis sui gloria: Equorum, boum, ceterarumq; animantium indolem, non stirpem exploramus; cur non & hominis?

Sapient. Quid illi? *Iupiter.* Candidati sunt qui ad diversorum officiorum honores aspirant, alius Ecclesiæ, alius Militiæ, alius Reipub. præesse desiderat.

Amor Dei. Hæc vota mortalium sunt: cum imperio quisque magis, quam sub imperio esse cupit.

Sapient. Quo tu aspiras? *Canonicus.* Iam in cunis à parentibus Ecclesiæ destinatus sum, obtento in hanc rem lauto beneficio. Nunc quemadmodũ aliorum illud beneficiorum accessione locupletem, magis advigilo.

Amor Dei. Præclarũ studiũ de beneficiis potius cumulandis, quã explendo officio laborare. An ignorant homines, beneficia hæc esse quibus respondendũ sit. Quantum vero

vero scelus, hæc pietatis quondam alimenta, nunc superbiæ ac luxuriæ fieri?

Sapient. Quis tibi animus? *Miles.* Militiam cogito, illic cognati opera tribunatū exspecto. *Amor Dei.* Tuo hic opere ac virtute exspectandus erat. Hæc malitia nunc militia est; officia non virtutibus, sed favoribus dantur. Ita plerique non ad opem ferendam, sed auferendas opes intenti, defendendo Rempubl. opprimunt.

Sapient. Tu verò quam vitam spectas? *Consul.* civilem, atq; in ea consulatum propediem exspecto, quem familia nostra jam dudum obtinet. ne tamen fallar, præcipuos mihi fautores pretio demerui.

Amor Dei. Optimum virtus pretium est. Neque enim aurum consulem faciet dignum; sed prudentia.

Sapient. Laudo ingenia, qui & mundi indolem, & temporum necessitatem explorare tenetis. Serviendum enim tempori est, ut aliquando tibi serviat tempus. Qui opibus ad largiendum opportunè uti nesciet, nunquam affluet. effundendum tibi primò est ut affundatur, uno asse benè collocato, centum facilè paraveris; amicitiis deinde nitendum magis, quam virtutibus est, illæ perurgent; hæ tantum suadent; illæ ubique, hæ tantum inter paucos æstimantur. Ad has tamen vita componenda est, ut saltem dissimulatione vitia delitescant: ne vulgi opinione lædaris, quæ sola vitiorum famâ exsperatur.

§. 6.

Stultitia hujus mundi honores opesq; aversatur.

Stultit. VT copiolas meas lustrem advenio. Tu, ô Divina prudentia, quæ meo instituto comprimis delectaris, aperi Gymnasii tui valvas, ut indolem tuorum experiar. *Prudent.* Ecce vivam meæ disciplinæ imaginem.

Stult. Quis ille senex coronam ac purpuram abjiciens? *Prud.* Est Carolus ejus nominis Imperator quintus, qui post imperium armis ac virtute suâ defensum amplificatumque, post innumeras victorias, post hostium Duces Regesque triumphatos, didicit imperium nihil esse aliud quam curarum, periculorumque ingentium materiam,

splen-

splendidam invidiosamque molem, quam pauci ferre queant, plurimi expetant. Igitur ne succumbat, humeros oneri subtrahit, solitudinem quærit.

Amor mundi. Quid mirum sit delirare jam senem, & cum hostes vincere non possit, fugere, nisi fallor, cum Phrygibus deinde sapere rursum incipiet.

Stultitia. Quem illic intueor aurum vestesque in pauperes effundentem?

Prudent. Lojoleæ familiæ homo est Ignatius. Is deserta militia amicisque nudus Christum sequi instituit.

Amor mundi. Quasi vero nostrâ Deus nuditate delectetur, aut otiosa mendicitate, qui contra illam vestes, contra hanc labores suasit. extrema hæc dementia est.

Stult. Quis illic aversatur Cupidinem, seque in angulum latenter proripit?

Prud. Alexius est Romanæ filius nobilitatis, qui delusa nuptiali die Sponsa, sese & thalamo conjugis, & paternâ aulâ subduxit; ac deinde redux, illo quo vides Codri habitu Parentibus mundoque imposuit.

Amor mundi. O præclaram fraudem qua neminem præter seipsum delusit gravius, Cumanis, quam Romanis dignior.

Stult. Eruditos in mea disciplina viros alo. Caroli animum paucis explorabo, præteribo reliquos. Heus Carole, quæ tibi mens, ut ad hoc institutum venias, quod plerique Stultitiæ esse arbitrantur?

Carolus. Vincere mundum destinaveram. Id cum armis non possum, fugâ experior, cum sapientia nequiverim, aggredior Stultitia. Etenim Apostolus me docuit, quod *quæ stulta sunt mundi elegerit Deus, ut confunderet fortia.* *Stult.* Sed purpurati latus non stipant.

Carolus. Nec adulatores. *Stult.* Nemo famulatur. *Carolus.* Nemo etiam insidiatur. *Stult.* Amicos habes perpaucos. *Carol.* pauciores quoq; inimicos. *Stult.* Invidi lætantur, de tua abjectione. *Carol.* magis tamen lætor ego. *Stult.* Imperium à te opem operamque exspectat. *Carol.* Proximus quisque sibi est, mihi illam debeo.

Stult. Sine imperio inglorius occides. *Carol.* Laudatissimum imperium est, quod in se ipsum quisque obtinet. *Stult.* Ergo mundum deseres?

Carol. Preoccupavi ne prior ab illo desererer. *Stult.* Rident

multi hanc tuam stultitiam. *Carolus.* Sed ego illorum magis, qui tam longâ experientia didici, quod *Sapientia hujus mundi, sit stultitia apud Deum.* *Stult.* At cui bono arma tanto labore per Europam Africamque circumlata sunt? *Carolus.* Nullius sanè, neque meo, neque aliorum, ad me enim præter laborem, ad alios præter cladem, nihil pervenit. *Stult.* Sed cur tot regna momento deseris, quæ omni retro tempore tuis desideriis angustiora etiam visa sunt? *Carolus* Animadverti ad plenum imperium occupandum in orbe, non adijciendum regnis, sed detrahendum cupiditatibus. In has igitur arma converti, ut victor essem, & jucundius regnarem. *Stult.* O dignum hac Schola virum! Erit cum amplissimos hujus conatus tui fructus colliges, eorumq; ridebis Stultitiam, qui modo rident tuam. *Perge age*, & tot gentium victor, nobilissima hac tui victoria fruere.

Amor mundi. Iam usque adeo desipimus insani mortales, ut, si ea desperatione rerum in solitudinem aliquam, cucullumq; nonnulli se abdant, hos prædicemus beatos.

§. 7.

Sapientia mundi vana perversaque eloquentia, & pseudopolitiæ inventrix.

Sapient. EVge literarũ supreme Præses Apollo. Tuam gymnadem inspectura veni. *Habesne quibus* illa artium Sapientia cordi sit?

Apollo. Habeo verò strenuos omnino in hac arena pugiles, qui non levius sæpe pro syllaba, aut vocula unica contendunt, quam si Trojam expugnandam suscepissent, aut pro libertatis vitæq; periculo disceptarent. Non pauci sibi persuadent rem literariam funditus interiturã fuisse, nisi ipsi pro illius defensione calamũ, tanquam gladium strinxissent.

Sap. Quem te facis mi homo? *Scaliger.* Muti de Scaligero libri abundè quis sim loquuntur. Rempub. artium infinitis propemodũ erroribus liberavi; Poësim jam prope sepultam ab inferis ad vitam lucemq; pulcherrimã revocavi, omnium scientiarũ adyta sine Duce penetravi, emendavi tempora, & Historiam suis quamque annorum cancellis inclusi. Grammaticus, Poëta, Orator, Historicus, Philosophus, Theologus, ac penè omnia. *Amor Dei.* Hæc fortasse

fortasse magis tibi curæ, quam ut bonus Christianus esses. Mirum sanè est, quanto hic Grammaticus fastu reliquos præ se artium magistros despiciat, quamque tyrannidem tanquam imperio sibi tradito, in reliquos usurpet.

Apollo. Hic tibi facilè exposuerit, quidquid Xantippe murmuraverit adversus Socratem, quot Reges Trojam obsederint, quot Græcis naves, qui Penelopes proci, quantus Polyphemi oculus, quot Briarei manus, quæ tela, atq; id generis sexcenta, tanquam ex Iovis diphthera recitabit, si quis contra senserit, is protinus Arcadicum germen habebitur, nec posse cum Militide quinarium censere in digitis existimabitur.

Amor Dei. Mirum quam hi grammatici in alios liberè grassentur, quamque inter se invicem hi muli scabant; Muneratorib. suis mercenario præconio adulantur. Laudem etiam laude vendunt, quam ubi negaveris, mille in te stylos acuent, mille tua dicta scriptaque obelis verubusque configent.

Apollo. Ornant hi grammatici mirificè artes ceteras quibus suo illo verborum lenocinio, pigmentisque nescio quem colorem illiunt, ut purpuratam te potius, quam pedestrem aliquã Musam intueri credas. Erasmus, quem hic juxta aspicis, quàm elegante penicillo Theologiam ornavit; quam multa argutè non minus in oratione multorum, quam vita reprehendit!

Amor Dei. Erasmus ille, sutor ultra crepidam progressus, fœdissimis, erroribus in aliorum errores invectus est, nec tam correxit vitia, quàm admisit. In Theologia plusquam Cumanus asinus.

Sapient. Nullum Erasmum sapientius opus tractasse memorant, quàm quo laudavit Stultitiam. Mallem tamen Sapientiæ ita diligens laudator extitisset. Plures eam venerarentur hodie, quibus nunc Erasmi Stultitia placuit. Chiliades ipsius, quot sententias, tot singularis industriæ monumenta complectuntur.

Amor Dei. Erasmus erat mus, qui & furtim multa congereret, & imprudenter carperet. Stultitiam rectè laudavit, quia stultè. Ceterum illius facilè ordinis habendus Princeps, cui familiares, in sua Moria, inquit, sunt, φιλαυτία καὶ κολακία.

Sapient. Quem illic intueor? *Apollo.* Palladis germen, Philo-

Philosophum, qui nisi fallor entia rationis in capite, tanquam alter Iupiter Minervam, concipit.

Sapient. Quid iste? *Apollo.* Siderum naturam explorat, ut futurarum inde rerum veritatem eliciat. *Sap.* Nimirum illi sunt, qui supra mortalium vulgus mentis aciem intendunt, cœlosque & occulta Cœlitum decreta inspiciunt. Digni qui ad Sapientiæ concilium, tanquam literarij senatus proceres, admittantur.

Amor Dei. Nasturtium hi omnes edere videntur, ac plusquam Chrysippeo acumine illa etiam penetrare, quæ Iupiter Iunoni in aurem dictitat.

Sapient. Sunt ne in hac artium palæstra alii, qui meo se instituto dignos probent?

Apollo. Sunt verò. Illic Lutherum conspicis Germanorum oratorem disertissimum, Theologorum lumen, sidus Europæ; qui tam acutè multa religionis fideique secreta inspexit, *quam nec Aquila, nec serpens Epidaurius.*

Amor Dei. Homo tam cœcus, quam nec Homerus, nec Tiresias, qui in dubiis fidei rebus Andabatarum more pugnat, & ubique, antè victoriam triumphat, fœmineâ dicacitate & inconstantiâ Omnes velut sub pedibus mundi Principes, Cæsarem Pontificemque, cum re non licuit, verbis certè conculcat.

Apollo. Is Calvinus est, qui oracula magis, quam verba videtur fundere, eandem ille cum Luthero fidei morumque censuram, tanta circumspectione atq; elegantiâ scribendi occupavit, ut ad supremam Christianæ religionis dictaturam aspirare possit.

Amor Dei. Inter cœcos potest regnare luscus. Ceterum nemo extra orbitam sanæ religionis longius exerravit, nemo scabiem suis amatoribus pestilentiorem affricuit. Ita enim nos ad fidem divinam instituit, ut plerosque asseclas sine omni fide relinquat.

Sapient. Machiavellum illic contueor. Magno illum operæ pretio instaurasse politicę vitæ disciplinam memorant, multorũ simplicitate propediem collapsuram. Heus te, verbo compellare libet. Quod vitæ ad politicas rationes exactæ fundamentum asseris?

Machiavellus. Religionem. Nihil enim ad regni pacem concordiamque firmandam certius, quam religionis confessio. Hæc ubi nutaverit, regni nutat incolumitas, ut spe-

ctati

ftati amplissimorum regnorum casus testantur. Nec multùm interest, ad Reipubl. quietem; cujus Religionis censeantur incolæ, modò ne discrepent, hac in re, sententiis; hæc enim dissensio seditionum facilis origo est.

Candor. O Portentum! an non interest ad Reipub. Salutem? Deo famuleris, an Dæmoni? fidem, an perfidiam sequaris?

Sapient. Te novis quibusdam regulis hanc vitam stabilire intelligo.

Machiavellus. Longo usu comperi. Politicam hanc vitam tanquam famulam in scena adornandam esse. Illud primum maximumque; ut vultum quisque, verba, mores loco personisque aptet, comis omnibus, etiam inimicis; Illorum ubique officiorum sit largissimus, quæ verbis absolvuntur. Blandè salutet, copiosè laudet, polliceatur liberaliter. Nonnunquam etiam munusculis alterius benevolentiam sibi necessariam occupet, modo hamo non piscetur aureo. Amico utatur tanquam hoste futuro; hoste tanquam amico. Fidem nulli omnem tribuat, nulli non videatur tribuere. Effundere in sinum amicorum se totus credatur, & totus lateat. Neminem inimicum, quàm amicum malit, nulli apertè sit injurius, iram potius obtegat, dum vel rectè, vel securè noceat. Aliena vitia dissimulet, magis etiam sua, ubi eguerit quispiam, lateri potentium iis se moribus applicet, quibus eos delectari compererit. Postquam lautas res fecerit, his se iterum opportunè subtrahet; fragilis enim res est favor potentium. Si Princeps fueris, ac bella domi metuas, extra regnum inimicitias quæres, ut inquietorum ingenia occupes, & vires contra hostem atterat. Mores tuos ad Reipubl. Studium favoremque compones; ut quidquid tuis emolumentis contrahis, isto sub pallio honestatē induat. Prima tibi ærarii locupletandi cura sit, artes non deerunt favoresque procerum, modò in partem commodorum veniant. Etenim hæc pacis certissima præsidia, hæc adversus improvisos hostes prompta auxilia. Nemo tutius regnat, aut militat certiùs, quam cui æris quam plurimum in gazis est.

Sapient. Intelligo me habere discipulum, qui cum ipsa possit sapientia de palma contendere. *Candor.* O Sinonem Troiâ dignum! O Pandoræ pyxidem. O jam non Helenæ,

sed

sed disciplinæ omnis ac sanctitatis corruptorem Paridem! Hæc nimirum illa est sapientia, de qua suprema æquitas: *perdam Sapientiam sapientum.*

Stultitia hujus mundi scientiam rerum divinarum ceteris præfert.

Stultitia. Literariam ego etiam Palæstram excolo, sed ubi istæ rectè loquendi artes arti omnium maximæ rectè vivendi serviunt. Ex hac schola præclarissima Ecclesiæ lumina Chrysostomi, Ambrosii, Hieronymi, aliique non pauci censentur.

Prudent. Accede propius. Illic Augustinus nuper ex profanæ sapientiæ lyceo ad nos transfuga vertatur.

Stult. Augustine quæ te mens huc compulit, ut ad despectam hanc Stultitiæ gymnadem transires? *August.* Animadverti sapientiam hujus mundi stultitiam esse apud Deum. Indoctos surgere, & regnum occupare cœlorum, nos cum nostris interire scientiis. Ego mutato clypeo ad hæc castra me transtuli. *Stult.* At stultorum in numero censeberis. *August.* Ita cupio. Nam Apostolus me admonu . *Qui videtur esse sapiens inter vos, stultus fiat, ut sit sapiens.* *Stult.* At Mundus adversabitur. *August.* Et ego mundo. *Stult.* Caro dissuadebit. *August.* Compellam. *Stult.* Multa patiere. *August.* Id teneras ante me virgines Iuvenesque pertulisse non nescio. quod illi & istæ potuerunt, ego non potero? δύσκολα τὰ καλά.

Momus. Corynthum multi cogitant, ut vivant molliter. Rectius ambulant qui communi incedunt via. Sapiendum ut multi.

Stult. Quos in imo subsellio conspicio Dominicos, Franciscos, Thomas à Kempis, quo profectu hanc scholam adeunt? *Prudentia.* Ciceronem & Maronem ignorant, in literis rudes satis, in pietate eruditi. *Stult.* *non omnia possumus omnes:* imò omnes possunt omnia, qui pietatem literis anteferunt. *Stult.* Thoma quid tu illic in angulo cum libello!

Thomas. Illud Christi expendo: *Qui me sequitur, non ambulat in tenebris.* Et illud Apostoli: *noli altum sapere.* Denique mecum sic statuo, *quod melior sit humilis rusticus serviens Deo, quam superbus Philosophus, qui se neglecto cœlum considerat.*

Momus

Momus. Melior etiam est vivus asinus equo mortuo.

Stult. Francisce idiota es, atque ex taberna mercatoria in hoc gymnasium progrederis, qua oratione persuadebis superis, qui artem Rheroricam ignoras.

Francisc. Vnam orationem calleo, *Deus meus & omnia*, hæc una instar omnium est, hanc exhaurire hactenus nondum potui, quantumvis indisertus orator. *Stult*. Quid ita nudus ab omnibus ornamentis incedis?

Francisc. Nudiorem in cruce Deum intueor. *Stult*. At stultorum ille, quo indueris cucullus est. *Francisc*. Deo me ornavi, non hominibus. *Quæ stulta sunt mundi, elegit Deus*. cui si placeam lubens ceteris displicebo.

Momus. Sapientissimus vir fuit, qui asseruit *Stultorum infinitum esse numerum*. *Temperantia*. Et meum hic regnũ quę sobriã moderatamq; vivendi rationem in hoc phrontisterio exerceo. Nihil Eremicolis parcius educo. Nullo hi ventri fumo sacrificant. Non illic ex Apicii culina pavonũ cerebella, aut phœnicopterorum linguæ, non Lydorum carycæ, aut bellaria Attica, sed herbæ frigida subactæ, & vix sæpe mucidi panis fragmentum. Antonium hic coram habes, tam continentis vitæ exemplar optimum.

Momus. Ex Trophonii antro novus, opinor, Heraclitus prodit. Titanico aspectu, macilentior Thaumantide, Ephicratis barba clypeatus. Thymbrâ, ni fallor, & cumino victitavit: rore ut cicada potus est.

Stult. Itane verò in ista rerum egestate vitam Antoni exigas?

Anton. Egere non possum, cui magis ad votum omnia suppetunt, quam Samiorum Polycrati. *Stult* Nihil possides. *Anton*, Nec quicquam me possidet, libertatem habeo, ac totus sum meus, possessione amplissimâ. *Stult*. Vix salinum in mensa. *Anton*. Fames pro condimento mihi est. Afras volucres superat sumptum ex horto olus.

Stult. Cum hominibus non vivis. *Anton*. Cum Deo malim, unus instar omnium est, ubi adlubuerit præsto ille est, aures exhibet, ad nutum mihi vacat, nunquam tædio affligitur, curis abstrahitur, invidia odioque inflammatur, is est quem volo, non fallit in amore, non fallitur, amicum habeo, qualis Theseus nulli fuit.

Stult. Hanc esse fabulam mundus credit, ista surdis canimus.

Anto-

Antonius. Veriora quam si ad cribrum, aut ex tripode loqueremur, amicum habeo. quo nemo ad intelligendum sapientior, ad bene faciendum potentior sit; quique non minus ad largiendum quam ego ad petendum, sit promptus.

Stult. Hæc velut de homine Platonico dicta accipiunt. Quid apud Antipodas fiat citiùs persuaseris. *Anton*. Scio, nam uti inexpertis dulce est bellum; sic amara est solitudo. utrobique experientia optima est magistra.

Momus. *Credimus? an qui amant ipsi somnia fingunt.* Nimirum hemisanthropi, quia ut feræ solitudinem quærunt, nihil humanum retinent. Laudant illi magis Diogenem in dolio, quam Platonem in Republica, ut si crimen jam esset Deum sociasse homines, neque urbibus ullus aut agris cultus deberetur. Ad Bœotos cum hac Philosophia.

Sapientia Mundi ejus errores defendit, Stultitia ejusque assecla Virtutes accusant.

Sapient. Opportunè te nobis obviam fers, ô Mercuri. Ad tuum ego forum venio, ut intelligam, quam sapientes alas tuæ Reipubl. cives. Mereanturne in albo meorum clientum censeri. *Mercurius*. Hinc mercatores, illic opifices ac rusticos educo.

Mars. Militarem hic etiam palæstram tuo instituto exerceo.

Iustitia. Injuriam nobis facitis, qui tot mercatorum Opificumque tabernas iniquâ auri cupiditate corrumpitis. *Fortitudo*. Et ego de violentia usurpata jure conqueror: Mars enim luxuria luxuque omnem enervat militiam, ubi ante hæc vitia virtuti locus deberetur.

Mercur. Homines sunt, à quib. humani nihil alienū putes. *Mars*. Et cedri cadunt, & franguntur silices, & elemēta corrūpuntur; quis adeò demens igitur, ut hominē omnis corruptelæ innoxium velit? *Mercur*. aliquando fortunæ aliquid indulgendum. *Mars*. Aliquando & ætati. *Iustit*. in omni re cavendum ne quid nimis. *Fortit*. *Blanda patrum segnes facit indulgentia natos*. *Sap*. Placet, O Divæ, egregia in vobis juncta cum honestate voluntas est, favōrem ac benevolentiam omnium meritò occupatis. *Iustit*. Multi nos laudant, pauci sequuntur, exempla quam verba malumus. *Fortit*. Procul à militari atque etiā civili ordine relegamur

gamur in exilium. Sed ecce sorores nostræ eadem nobiscum queruntur. *Sapient.* O gratæ hospites! opportunè adestis. *Temperant.* Metuo ne ante tertium etiam diem vilescamus. *Sapient.* Quid ita? *Temperant.* Nam Martem Mercuriumque injuriarum postulamus, qui nos debitis jam pridem possessionibus eliminant, contraq; vitiorum in sago togaque invalescere imperium patiuntur. *Sapient.* Inconsultè actum, neque hac in re meum aut Iovis suffragium unquam ferent. *Mars.* De plaustro hæc sunt convitia, libera magis, quàm vera. *Mercur.* serunt ocyma solenni cantu. Pergite, cantilenam pertexite.

Iustit. Nimium picatas militum, mercatorum, Opificum, & sartorum inprimis, manus esse querimur, quidquid tangunt adhærescit. Militia inprimis raptorum, latronum atq; incendiariorũ esse schola videtur, ita passim in fortunas ac corpora mortalium grassantur. Cùm tamen ad propulsationẽ non propagationem injuriæ reperta sint bella. Mercatorum verò tabernæ, cum ad ditandam Rempubl. sublevandamque necessitatem apertæ sint, jam in specus usurariorum quæstusq; enormis æratia conversæ, publicarum opum sunt sepulchrum. Leviora opificum furta dissimulo.

Mars. Quis Briareus tot manus habeat, ut omnes militum manus constringeret? *Mercur.* Quis Ianus tot vultus, aut argus tot oculos, ut omnium mercatorum angulos artesque inspiciat? *Mars.* Nisi aliquid militi indulseris. quis vitam pro Republ. exponet? arma abjicient, aut necessitate, aut tædio victi. *Temperant.* Vtinam nemo esset qui arma indueret. hostis non esset. *Mars.* & virtus multorum languesceret otio, fortitudo non esset. *Fortit.* *Fortior est qui se, quàm qui fortissima vincit Mœnia.* *Temperant.* omnis temperantia à militia exulat. Nam *malè parta, malè dilabuntur.*

Mars. Abundare norunt & penuriam pati. Nulla hebdomas sine festo est die, succedunt nubila Phœbo, & Phœbus nubilis. *Sapient.* *Quod caret alternâ requie durabile non est*, gravis militiæ, tanquã maris, æstus, jucundâ aliquando malaciâ indiget. Sed tamen corrigenda sunt vitia. Nullum tam grave ulcus, quod medicum non inveniat. *Prudent.* scimus, at multi pollicentur medicinam, qui malum exaspe-

exasperant. Non omnes coci quotquot machæram gerunt, nec Æsculapij omnes, quotquot medicantur. *Temperant.* Multis præceptis militi ad sanitatem non est opus. Duo Epicteti sufficiunt verba ἀνέχου καὶ ἀπέχου.

Mars. Nescis illud Poetæ. *Miles ita ut canis est, qui malus, ille bonus. Sapient.* Nec extremam pietatem in milite commendo, ut ad omnia anxius de conscientia hæreat. Illi enim ad monachos scrupuli amandandi sunt. neque impietatem probo: nam cui omnis virtus, & salus etiam propria vilescit, quam fidem præstabit alteri? medius sic oportet, qui nec pro camelo culicem glutiat, nec camelum pro culice. Leviore crimine ne terreatur miles, graviora si cavere nequeat, saltem obtegat, ne ubi semel derubuerit, pudorem amittat cum scelere. Nihil enim formidabit cui palam non pudet esse impudentem. *Instit.* Etiamne hæc præcepta Mercatoribus relinquis? *Sapient.* Aliquid ignoscendum est, ne mercimoniorũ omnis usus tollatur, quis enim sine lucro opes suas periclitari velit? pretiosa debent esse discrimina, ut amentur. Fures esse mercatores nolo, adeo tamen rerum suarum providos cupio, ne ubi semel fortuna mutaverit, cedendum protinus sit foro. Arte ad quæstum opus est, lucrique ratio per tempus, resque varias partienda est, ne ex una merce, unoque tempore opulentiam sperent. Ita enim aversis à se emptoribus infamiam pro lucro colligent.

Prudent. Nimium ea subtilis interpretatio est, quia denique nulli virtuti locus relinquetur, omni dabitur sceleri venia, modò cum lucro conjunctum fuerit, vulgique oculos subterfugiat. *Sapient.* Scelus non est, quod cum propriâ atque aliena utilitate conjunctum est. *Mercur.* Illæ maximè florent Respubl. ubi magnæ sunt Mercatorum opes. *Mars.* & bellum ubi Regum Ducumque turgent loculi, privatorum inanes sunt, ut illi suppeditare præsidia, hi sperare possint. Miles locuples pugnam metuit, objecto fortunarum discrimine, inops spe prædæ ad prælium accenditur. *Fortitudo.* Vtinam non pauci prædam magis spectarent, quàm victoriam! nec Duces potius augendarum opum artibus, quàm ad hostium triumphandorum studia incumberent! Illud dissimulo, quod sæpe Hercules aliquis apud Omphalam, & colum: Achilles in gynæceo apud Brisei-

Bellēdem delitescat; cum sub armis pro castris aut contra hostes standum esset. *Comm.* Deest hic qui mappam mittat, ut ad pugnam eatur. Nam inter cattos muresq; citius gratia, quam inter hoc collegium speretur. *Sap.* Nobiscum tecto succedite, de hac cōtroversia rectiùs inter pocula deliberabitur. Sęp nascitur sub manu consilium, & levi momento discordia infringitur. *Prudent.* Tam inconsultæ non sumus, ut tecum foro aut scenæ deserviamus. Malumus nostro in habitu ac moribus persistere sine fucó simplices. *Stult.* His ego asseclis hucusque stipata incessi, quid tibi cum hac societate negotii est? *Sapient.* Fugiamus, ne quid nobis noxæ aut contagionis ab hac Moria hæreat.

Stult. Heus siste, nisi pedem conferre pertimescas? *Sap.* Picem rari sine labe contrectant. Aves discolores tarò simul volitant, graculus graculo, pica picæ societur. Tamen ne quid me formidare existimes, aut causæ diffidere, pedem pedi opponam. *Stult.* Pugnabimus rationibus: neq; enim delector sanguine. *Sapient.* Qui capiti in bello nimium cavet, meticulosus est. Sed age mitiori congrediamur prælio, quo sanguine careat. Lite experiamur, cujus nostrum causa sit æquior, ad jus provoco. *Stult.* Summum jus, summa injuria! ne contentione atq; odiis collidamur metuo. Lis tarò sine delicto absolvitur. *Sapient.* Advocatū habeo. *Stult.* Quis ille? *Sapient.* Mercurius. *Stult.* Vafer est, & rapax. *Sapient.* Hæc prima advocatorum dos est. quot causæ subitò interciderent, nisi hi patroni à fraude haberent patrociniū. quot egerent causidici, nisi ut captarent, caperent, misera ars quæ artificem non alat. *Stult.* Decipi, quàm decipere multò mavelim. cum hoc absque flagitio nequeam. Egere etiam sine crimine satius est, quàm abundare cum scelere. *Sap.* Optimi ex Advocatis censentur, qui pessimas ornare causas queant. Bonis enim causis patrono vix op' est. Malę inprimis indigent. *Stult.* Qui malo patrocinatur, bonus esse non potest. *Sapient.* Quis igitur causas aget, si bonę patrono non indigeant, malę non admittant? Quorsum tot Iuridici, tot scholæ, tot Iudicia, tot Iudices? *Stult.* utinā hæc quidem mundus non agnosceret nomina! *Sapient.* Si omnem à mundo amentiam, omnia flagitia abstuleris, hæc etiam cauteres. *Stult.* Prô dolor! quod scelus nullum absque patrocinio sit, quodq; aliqua Causidicorū natio tam sit avida, ut erucarum instar, omne quod viret

devoret non tam defensatrix quàm consumptrix opum. *Sapient. Bovi trituranti os non obligabis.* Qui causas agit, ex causis vivat necesse est. *Stult.* Advocatorum pluralitas, litium infinitudo est. Neque de nobis hodie absolvendi spes ulla est, nisi tu ingenium mutes. *Sapient.* Citius camelus pilos mutet, constantiam amo. *Stult.* Hæc, in malo, pervicacia est. *Sapient.* Lis hæc mundi totius finiatur arbitrio. *Stult.* Cœli potius, nam mundus deceptioni obnoxius. *Sapient.* Abderitarum ingenio es. Nihil sani in te judicii est. *Stult.* Apage, namque inter lupos & oves ante conveniet, quam tecum mihi. Vulpinari non lubet cum vulpibus. *Sapient.* Heus fida societas, circumvallate insaniam. Quod libera negat, coacta præstabit. *Stult. Ergone* vim pro jure adhibes? non dimovebis sententia. *Sapient.* Ad carcerem ocyus. *Stult.* Vinciri potero sed nunquam vinci. Animus in captivo corpore libertatem suam possidebit. Ad æquos provoco Iudices. *Sapient.* Audieris, sed me Iudice. *Stult.* Iniquum; ut accusator idem sit, & Iudex. *Sapient.* Abripite obstreperam.

Timor Dei. Ehodum hæc tuba aures penetrabit omniū. Adstate, supremi judicis voluntate hæc denique absolvetur controversia. Pronæa jam nunc consequitur, cujus arbitrio standum erit. *Sapient.* Inducias postulo.

Timor. Frustra. Iam adest, ut audiat, dicatque sententiam. *Stult.* Eja collegæ, gaudete, nostra in vado est salus. *Pronæa.* Hinc atque illinc lateri adsistite, quæque in hac lite sentiam, accipite. Controversię hujus capita non ignoro. Sapientia mundi omnes suæ addicere disciplinæ cogitat, & sola haberi artium bonarum Magistra. Obnititur illa, quam vos dicitis mundi Stultitia, ac diversam palæstram instituit, aliamque disciplinam condit illi adversariam. Inde æmulatio pugna, violentia, Verene? *Stult.* nihil verius. Exemplum violentiæ adhibitæ esse possum. *Pronæa.* Quænam ista tam audax temeritas; vi occupare, quod jure nequeas? quem ratione non possis, ferro opprimere. Huc agite virtutes, larvam fictæ huic Palladi detrahite. *Sapient.* Parce obsecro, & meo pudori consule. *Pronæa.* Depuduisti jam dudum, frustra obluctaris. *Prudent.* Iam tandem in luce tuæ fraudes patescent. Ecce Asinus sub leonis exuvio. Stultitiam sapientiæ velatam pallio. *Amor*

Dei.

Amor Dei. O præclarum ſpectaculum, ipſa Moria an alio depingi habitu poſſit? *Pronæa.* Hæc perſonata iſta ſapientia mundi eſt, Stultitia apud Deum. *Fortitudo.* Vbi nunc vires illæ tuæ, ubi robur Amazonium? *Iuſtitia.* Vbi illa, quam promittebas veritas? Heu nimium fucata! *Temperant.* Fraudem fecit, & paſſa eſt.

Pronæa. Nondum omne flagitium patuit, Dii iſti quos venerata eſt, ſuo etiam nudentur ſchemate. *Mars.* Etiamne in Deos hæc veſtra armatur audacia? *Prudent.* Ad veritatem, quamvis per vim, connitimur. En veſtrum mortales Deum, tetrum ex orco Alaſtorem. hæc illa tam præclara ſunt lumina, ubi ceteri? *Timor Dei.* Fuga ſeſe omnes ſubtrahunt, pudet eſſe, quod ſunt. *Pronæa.* Ecce mi homo his tuam ſalutem patronis credis, hos audis, hos ſequeris. Agnoſce, quia *Sapientia hujus mundi ſtultitia eſt apud Deum.*

Machiavel. O nos inſanos qui tam ſtultæ ſapientiæ operam dedimus. *Pronæa.* Euge, & illi, quam Mundus Stultitiam dixit, velum detrahite, ut quid ſub iſto lateat mundus non ignoret. *Prudent.* O dignam ſapientiæ divinæ ſpeciem! O plenum honeſtate decus! *Machiavel.* Ergo *erravimus à via veritatis, & lumen Iuſtitiæ non luxit nobis.* *Amor mundi & aſſeclæ.* Nos *inſani vitam illius æſtimabamus inſaniam, & finem illius ſine honore.* *Pronæa.* Hæc mundi hujus ſapientia eſt, errare apertis oculis, in luce media cœcutire, amplecti pro virtutibus vitia. Denique dum jam morte claudendi ſunt, aperire oculos, & interitum non ante videre, quam excipere. *Vtinam ſaperent, & noviſſima providerent!*

CAPUT IV.

De Epistolis, earumque artificio,

DE Epistolarum artificio, quanquam penè sine arte illud sit, non pauci scripsere. Nobis itaque qui per omnem eloquentię partem rudi saltem Minerva ferimur, non erit omnino prætereundum. Demetrii Phalerei Epistolica extat Institutio, Lipsii epistolis adjecta. Libanius quoque Sophista, homo perquam eruditus, de Epistolarum Characteribus, elegantia & ornatu disseruit. Posterioribus hanc rem seculis plures aggressi sunt Lippus Brandolinus, Macropedius, Verepæus, Erasmus, Rochus Perusinus, quem præter Paulum & Aldum Manutios etiam Dionysius Lambinus locupletavit: deinde & Buchlerus, qui per singula Epistolarum genera, præter exempla ex Cicerone deprompta, varias scribendi formulas congessit. At præter Ioan. Voellum nostrum, Iustus Lipsius perbrevem, sed eruditam de Epistolis instructionem suis quas ad varios conscripsit literis præmisit. Nos præcipuum Epistolarum artificium, varietatemque ac naturam, compendio prosequemur, ac sua in luce, cuivis facilè apprehendenda, collocabimus. Qui prolixiora volet, jam adductos consulere poterit.

§. I.

Quid nominis, & quid rei Epistola.

EPistolæ vox Græcis debetur, ἀπὸ τ͂ ἐπιστέλλειν, hoc est, mittendo desumpta: solita olim, ante chartæ & membranarum usum in tabellis ligneis, cera illitis, suo etiam literarum ductu, per stylum, exarari. Vnde *tabulæ, tabellæ, vel codicilli* dicti sunt, quanquam & *literæ*, ab ipsis scriptionis characteribus nuncupentur. Tabellariorum quoque nomen inde ad ipsos nuntios manavit.

Est autem epistola, si naturam ejus spectes, *animi sententia brevi scripto ad alterum exposita:* non semper absentem,

tem, cum & præsentibus quandoq; animi nostri sensum, per literas oblatas, exponamus, quanquã ad hoc præcipuè reperta sit, ut absentibus, hac veluti arte, præsentes adsimus, latentemque animi sententiam cõmunicemus, quod præsentibus voce natum est fieri, Muto tamen aut indiserto, aut etiam firmiorem sui propositi memoriam requirenti, literarum ad præsentes usum denegare non possumus, neque enim soli cognitioni aliis communicandæ, sed & recordationi, vel excitandæ, vel firmandæ, Epistola serviet.

§. 2.

De præfatione, subscriptione, & inscriptione aliisq; Epistolæ adjunctis.

QVædam Epistolæ adjuncta antè prosequar, quam de corpore deliberabo. Vt quemadmodum à salutatione ducendum exordium; claudenda denique atque obsignanda sit.

1. In salutatione veteres laudabili usu, nomen scribentis, cum illius ad quem scribebant, nomine atque officio, paucis soliti fuerunt præmittere; hoc modo *M. T. Cicero P. Lentulo Procos, S. D.* id est, salutem dicit. Græcorum id more Romani fecerunt, ubi sic usitatum. Ισοκράτης Φιλίππῳ Μακεδόνων βασιλεῖ χαίρειν. *Isocrates Philippo Macedonum Regi, gaude*, id est, gaudiũ vel salutem precatur. alii etiam scribebant χαίρειν gaudere, vel εὐπράττειν, bene agere, vel ὑγιαίνειν sanum esse. Hebræis & D. Paulo placuit solennem pacis apprecationem prætermittere; unde illa Christianis hodiedum usitata salutatio ad Epistolas prævia: *Pax Christi.* Cujus loco horum temporum Novatores, ne quid immotum relinquant, sæpe substituunt *Emmanuel*, hoc est, nobiscum Deus: politici malunt, *Salute, & obsequiis præviis.* Rectè verò quivis Christianus à crucis signo in memoriã honoremq; patientis Christi scriptionẽ ordietur.

Vt à salute ordiri, ita valedictione amici claudere olim Epistolam visi sunt. Græci quidem ἔρρωσο vale, vel εὐτύχει felix esto, usurpabant, at Romanis solenne erat suum *vale*, aut *fac*, vel, *cura, ut valeas.*

Christiani etiam consueverunt addere: felicem divinæ gratiæ, vel protectionis apprecationem: præcesque etiam illorum, ad quos scribunt, demissè postulare. Sed & plerisque

risque consuetum, salutem notis amicisque ceteris dicere, ut eorum apud se memoriam superesse declarent.

2. Sub hæc moris est, tempus locumque, unde literæ deferuntur, signare, quod Græci quidem per Olympiadas, mensesque suos, Romani per annum conditæ urbis, ac sæpius per consules, tum, ut diem etiam adjicerent per calendas, nonasque, ac idus putabant. Hoc modo Datum (scriptum) vel datæ (literæ) IV. *Calendas Iunii Pragæ.* Hoc est, quarto die ante calendas Iunii, qui est dies 28. Maii. Hic enim quatuor diebus antecedit ipsas Iunii calendas, qui primus est ejus mensis dies. Poterat & dici IV. calendarum. Primus tamen cujusque mensis dies, dicitur ipsis calendis Iunii, vel Iuniis. Annus vero sic à Tullio signatus legitur. Calendis Februarii M. Messala & M. Pisone Coss. qui erat annus urbis cond. 692.

Sed ut illa dierum per annum calculatio Tullio ubique familiaris, adolescentibus constet; hæc ratio observanda est. Prima cujusque mensis *Calendæ* dicuntur, à calata, hoc est, vocata ad capitolium per Pontificem plebe, qui nonas quinto, aut septimo, post die pronuntiabat, quibus velut ad nundinas populus confluebat; ne quid, ut rebus divinis humanisque, hoc mense faciendum esset, intelligeretur, quatuor igitur, aut sex dies post ipsas calendas dicti sunt *nonæ*, post quos octo sequentes sunt *idus* appellati, ab antiquo, ut putant, iduare, quod est dividere; cum medium velut mensem occupando (excurrunt enim ad decimum tertium, vel quintum diem) dividant. Reliqui porrò dies quotquot cujusvis mensis supersunt, respiciunt calendas. seu primum diem, mensis insequentis, ideoque calendarum dies vocantur, sicuti primi dies nonarum aut iduum dicuntur, quod ad ipsas nonas, vel idus (ultimum in suo ordine diem) referantur. Ideoque retrograda in omnibus numeratio est.

Ita ut, e.g. secundus dies in Iunio (qui quatuor nonas habet) dicatur quarto nonas (vel nonarum) h. e. quarto ante nonas die; & sextus dies Iunii, octavo idus (vel iduū) hoc est, ante idus, sed tamen ipsos in hoc numero idus nonasque includendo, post absolutos verò *tertio decimo* die idus qui sequitur decimus quartus Iunii, decimo octavo calendas (vel calendarum) h. e. ante calendas Iulii inscribi-

scribitur, quia cum ipsis, quas involvunt, sequentis Iulii calendis, dies censentur à decimo quarto Iunii decem & octo superesse. Quare qui hæc assequi voluerit, hic cum nonæ & calendæ mensium varient, solæque idus eodem in numero consistant) duo observare cogitur, primum qui menses sex nonas habeant (quos esse quatuor constat) qui deinde plures, aut pauciores, quam triginta dies, ex quorum numero calendarum simul numerus variatur. Hoc igitur carmen geminum, ad hanc nomenclaturam dierum, memoriæ ingenioque scribentis profuerit.

Dies mensium singulorum.

Iunius, Aprilis, September, itemque November
Ter denas numerant, reliquis lux additur una:
*Tolle duas Februo, bissexto * dempseris unam.*

Distinctio singulorum dierum.

Prima dies mensis cujusque est dicta Calendæ.
Sex Majus Nonas, October, Iulius, & Mars.
Quattuor at reliqui; tenet Idus quilibet octo.
Inde dies alios omnes dic esse calendas.
Quas retro numerans dices à mense sequenti.

* Bissextus dicitur quartus quilibet annus, quod cum hic annus (ob sex horas quotannis resultantes) unum diem suprà reliquos annos computet, hoc est, 366. ideoque in Februario hic dies post 23. ejus mensis diem, intercaletur: sextus dies ante calend. Martias bis numeretur, ex instituto C. Iul. Cæsaris Dictatoris.

3. Subiici denique Epistolis hac ætate plerumque solet nomen scribentis, cum officiosa obsequiorum delatione, ut si ad Consulem inferior aut æqualis scribat. *Amplissimæ T. D. servus NN.*

Si superior: *Fidelis amicus, vel perpetuo amore devinctus N.*

Inscriptiones vero jam clausę Epistolę adijciendę sunt, quibus & nomen & dignitas officiumq; personæ ad quam destinanda est complectimur. ut si Pontifici Romano deferantur, inscribendum est.

Beatissimo, vel *Sanctissimo Patri ac Domino, Dn. Alexandro VII. Pontifici Maximo, B. Petri Apostolorum Principis, successori ac Iesu Christi in terra vicario, Domino suo clementissimo.* Breviusaliqui sic tantum inscribunt. *Beatissimo*

Patri Alexandro VII. Pontifici maximo vel *Papæ Roman*, *&c.*

Cardinalibus *Reverendissimi & Eminentissimi* titulus competit, ut & Electoribus Ecclesiasticis. Iisdem cum ex regia stirpe sunt, Serenissimi, si minus, *Illustrissimi* titulus defertur.

Reges *Serenissimi ac potentissimi* dicuntur.

Imperator. *Augustissimus*, vel *Sacratissimus*.

Principes & Marchiones *Illustrissimi*. comites primarii uti & aulæ pontificiæ supremi ministri, *Illustrissimi* sæpe, alias communi & recepto jure *Perillustres, Illustres & gratiosi* isti: hi *Reverendissimi* scribuntur. Episcopi, Abbates & Prælati Ecclesiarum metropolitanarum ac Cathedralium *Reverendissimi* titulum ferunt, ceteri *Admodum Reverendi* dicuntur. Liberi Barones Imper. aliqui *Illustres*, plerique ex recepto usu *Generosi*, Ecclesiastici Cathedrales *Gratiosi* nominantur. Qua in re consuetudo cuique lex esse debet potissima, cùm adulatione atq; arrogantia misceri & corrumpi hac ætate titulos sæpe videamus; Vt Barones Comitum, hi Principum, nobiles verò Baronum titulos occupent.

Nobiles. Hoc titulo donantur, si novi sunt; si veteris familiæ *Prænobilium* titulum ambiunt. nonnulli etiam *generosi*.

Consules Imper, urbium *nobiles & amplissimi*. Doctores & Licentiati Theologiæ *eximii*, Iuris *Clarissimi & Consultissimi*, medicinæ, *expertissimi*, ceteri inferioris ordinis *Ornatissimi* titulum ferunt. Hæc paucis & crassa Minerva ad brevem aliquam rudiorum instructionem placuit adijcere usus Magister docebit.

CAPVT V.

Quæ sit Epistolarum materia, & quot ejus genera.

MAteria Epistolarũ varia est ac planè multiplex, quid enim, vel humanarũ, vel divinarum rerum est, quod scriptis ad alios literis nequeant communicari? ut igitur res aliæ humiles, & vulgo obviæ; aliæ sublimes, atque à vulgi oculis ingenioq; submotæ, ita Epistolarũ aliæ familiares

liares, quæ res obvias prosequuntur, aliæ subtiles, quæ, pro materiæ diversitate, historicę, politicæ, ethicæ, Philosophicæ, aut etiam Theologicæ esse poterunt, quanquam hæc minus propriè ad Epistolæ rationē spectent. In prioribus nullum disponendi artificium, inveniendi nullus labor. Nemo enim ad scribendum, argumento scribendi destitutus vertitur: neque ordinem sequitur, nisi quem natura gesserit. ut enim à familiari colloquio, ita & literis familiaribus hanc curam abesse convenit. fucum enim insidiasque sermonis fastidiunt. quidquid hic nimis elaboratum est, eruditionem sapit affectatam. At in ceteris, quę rem adferunt majorem, hanc dignitate sua fas erit extollere, vel siquid persuadendum sit, non inutili aut incomposita rationum vi pertentare animum; ne nihil egisse videaris, atque id tibi vendicasse muneris, quod parum aptè exequaris. In his igitur Epistolis, cum alia, vel inventionis, vel dispositionis ratio esse non possit, quam quæ Rhetorum in scholis de eloquentia traditur, ad alteram hujus operis partem, te remitto, ubi per singula orationum simul & graviorum epistolarum genera decurremus: cum iisdem ex fontibus argumenta promantur. Nunc quoniam Cicero pręcipuus est, qui in utroq; excellat genere, illudq; etiam non rarò misceat: cum in familiaribus non paucæ sint, quæ suadendo, hortando, & defendendo remagant; lubet paucis & illarum varietatem designare, & legenda imitandaque ex M. Tullio exempla juventuti ostendere.

Vt triplex Orationum genus demonstrativum, judiciale, & deliberativum statuitur, ita & Epistolarum jure censetur, ad quæ cetera universè referantur.

Ad demonstrativum I. *Nuntiatoria* quæ historiam rei exponunt, meritò spectant, quales in familiaribus. Cic. plurimæ sunt, ut lib 1. epist.2. *Id. Ian.* Et epist.4. *ad 16. Cal. Feb.* Et epist.5. *Tametsi nihil.* Et ep.8. *de omnibus rebus.* Ita lib.2. ep.15. *Non potuit.* Et lib 4. ep.12. *Etsi scio.* Et lib.5. epist.6. *Cum ad me Decius.* Et lib.7. ep.2. *Mandatum tuum,* lib.8. epistolis plerisque.

II. *Gratiarum actoria,* ut lib.3. ep.13. *Quasi divinarem.* Et lib.10. ep.4. *Gratissima.* Et lib.15. ep.11. *Quanta tibi.*

III. *Gratulatoria,* ut lib.2. ep.9. *Hac negotia.* Et ep.9. *Primum.* Et lib.15. epist.9. *Te & pietatis.* Et epist.8. *Maxi-*

Maxima sum. Et epist.8. *Marcellum.* Et epist.12. *Et si mihi unquam.*

IV. *Lamentatoria*, ut lib.9. epist.11. *Vel meo ipsius interitu.* Et lib.14. epist.1. *Et literis.* Et epist.3. *Accepi ab Aristocrito.*

V. *Officiosa* ut lib.6. epist.10. *Ego quanti te faciam.* Et lib.5. epist.8. *Quantum meum studium.*

Ad genus Iudiciale referuntur I. *Criminatoria*, ut lib.8. epist.13. *Pudet me.* Et lib.11. epist.3. *Literas tuas legimus.*

II. *Defensoria*, ut lib.3. epist.7. *Pluribus verbis.* Et epist.8. *Et si quantum.* Et lib.5. epist.2. *Si tu exercitusq.* Et lib.11. ep.27. *Nondum satis constitui.* Et epist.28. *Magnam voluptatem.*

III. *Expostulatoria*, ut l.3. epist.6. *Cum meum factum.* Et l.5. ep.7. *Si tu exercitusq.* Et l.7. ep.9. *Iam diu ignoro.* Et l.16. ep.26. *Verberavi te.*

IV. *Exprobratoria*, ut l.5. ep.5. *Etsi statueram.*

V. *Excusatoria*, ut lib.1. ep.1. *Ego omni officio.* Et ep.9. *Perjucunda.* Et lib.10. ep.2. *Meum studium.* Et ep.23. *Nunquam.* Et ep.31. *Minimè.* Et lib.11. ep.13. *Iam non ago.* Et l.15. ep.5. *Quod & Resp.*

Ad deliberativum genus spectant, I. *Suasoria*, ut lib.2. ep.18. *Officium meum.* Et lib.4. ep.7. *Etsi eo te.* Et epist.8. *Neque monere te.* Et ep.9. *Etsi perpaucis.* Et l.8. ep.16. *Exanimatus sum.* Et l.9. ep.9. *Si vales.*

II. *Dissuasoria*, ut l.2. ep.3. *Rupa studium.* Et l.7. ep.10. *Amabilior.* Et lib.8. ep.5. *Qua tu curasis.* Et lib.10. ep.20. *Lectis tuis.*

III. *Exhortatoria*, ut lib.2. ep.4. *Epistolarum.* Et lib.4 ep.10. *Etsi nihil.* Et l.10. epist.5. *Binas à te.* Et l.12. ep.24. *Ego nullum locum.* Et l.16. ep.23. *Tu verò confice.*

IV. *Petitoria*, ut lib.3. ep.2. *Cum & contra.* Et l.5. ep.12. *Coram me tecum.* Et lib.6. ep.16. *Si mihi tecum.*

V. *Commendatitia*, ut l.1. ep.3. *Aulo Trebonio.* Et lib.2. ep.6. *Nondum erat.* Et lib.6. ep.9. *Cum A. Cacinna.* Et l.6. ep.5. *Vide quam mihi.* Et l.13. Plæreque sunt.

VI. *Consolatoria*, ut l.4. ep.5. *Posteaquam.* Et l.5. ep.16. *Etsi unus ex omnibus.* Et epist.17. *Non oblivione.* Et epist.18. *Etsi egomet.* Et lib.6. ep.1. *Etsi ea.* Et ep.4. *Novi quod ad te.* Et epist.21. *Etsi cum hac.*

Respon-

Responsoriæ ad *Consolationem*, ut l.5. ep.13. *Quanquam ipsa consolatio.* Et l.4. ep.9. *Ego, vero, Servi.*

VII. *Monitoria*, ut l.7. ep.8. *Scripsit ad me.* Et l.9. ep.8. *Etsi munus.* Et l.14. ep.18. *Considerandum vobis.*

Has velut in brevi tabella, ex Epistolis familiaribus Cic. (nam ad Atticum pleræque humiliores, ad Q. fratrem grandiores sunt) sibi, tum Magistros, tum discipulos propositas habere conveniet; ut per quælibet genera decurrendo illi paria ad scribendum præfigant argumenta, hi imitando sequantur. Ita enim plerasque illarum formulas in usum succumque dictionis suæ traducent. eritque cum legendi major alacritas, tum facultas promptior scribendi. Quod apes in florenti campo, hoc juventus in Musarum viridario, copiam amat ac varietatem; illa pascitur, hac etiam oblectatur.

CAPUT VI.

Quæ forma ac habitus orationis, in Epistola, esse debeat.

De forma ac habitu dictionis in Epistolis gravior est tam in opinando controversia, quam difficultas in scribendo. Nam ut illic multis ingenium ad materiam sufficit, ita vix paucis hic ars satisfacit, alii sermonem concisè strictum, alii circumductè effusum malunt, alii suum hic ornatum: alii cultum sine cultu requirunt, ajuntque familiarem in Epistolis sermonem, & brevem esse debere, & simplicem. Quibus rectius definiendis, videndum quænam illa sit, quam exigunt brevitas, simplicitasque. neque enim hæc in orationis magis, quam hominis natura posse laudari videntur.

I. *Brevitas* in tribus potissimum, hoc est, rebus, verbis, & compositione spectatur. *Res brevis* censetur, quando, præcisis supervacuis, ipsa rerum substantia tantum exponitur adjuncta, quæ legenti ultrò subveniant, reticentur, nihil otiosè repetitur. *Verborum* brevitas non tam in syllaba-

syllabarum dimensione, quàm proprio nudoq; ad rerum expositionem, usu consistit, ne pluribus enunties quod paucis licet: ne ad pompam apparatumque sermonis, sed necessitatem omnia serviant. *Compositionis* succincta vis in adstricta syntaxi est, in membris, incisisque crebrioribus. Luxuriem omnem effusionemque dictionis, arcto limite, castigat.

2. *Simplicitas* & Styli, & sententiarum est. Ille simplex sermonis est habitus, qui omnem affectatæ dictionis speciem, ut in sermone quotidiano, aspernatur, sine cultu tamen lucet, sine cura acuratus est; ut, & barbaries omnis proscribatur, & nata magis omnia, quàm quæsita videantur. Sententiæ illa simplicitas est, quæ mentis imaginem ita scriptioni inprimit, ut quem legis, ejus te mores animumque intueri credas. Epistola hac virtute scripta ingenium dolem scribentis exprimit. Et sane latere ejus ingenium diu non poterit, qui cum literas frequenter communicat: ut enim quandoque te fallat, nulla tamen simulatio poterit esse diuturna. Verum de hac sententiæ simplicitate, in Epistolis exprimenda, nemo poterit ambigere, de illa Styli solum licebit.

3. Quibus, ut par est cognitis, sic denique existimo, brevitatem simplicitatemq; sæpe quidem decere Epistolam, non semper atque inprimis duarum hic rerum, materiæ videlicet personarumque, rationem esse habendam. Materiæ quidem, ut, pro illius velut corpore statuque, vestis ipsi elocutionis aptetur, nam, ut absurdum sit, iisdem armis habituque gigantem ac pygmæum induere hominem, pari lana & rusticum vestire & Regem: ita rem quamvis eadem brevitatis simplicitatisque mensura definire in Epistolis velle, juxta mihi ridiculum videbitur. Scribis grandia, & in conciliis Principum agitanda Martia & furori bellico obnoxia, tristes casus eventusque rerum, tum quidquid gravitatem magnitudinemq; adfert, iniquum erit hæc concisa brevitate, & humili vulgarique sermonis simplicitate abiicere: ac trivialibus æquare rebus, purpuræ ac solio inserenda: aut in tragœdia adornare comœdiam. Corpori vestis, non vesti aptanda sunt corpora. Suo quæque colore statuque adumbranda sunt, ut parem rebus imaginem delineasse videaris. Ludatur, exul-

tan-

timque vibretur sermo, in jocosis & risui idoneis: vulgaria habitum induant sermonis vulgarem: majestate digna coronis ornentur & purpura. ubique placet effigies rerum quam simillima: nec elegans quæ deformia, nec deformis quæ elegantia exprimat, decori est.

Sed & magni refert ad quos scribas, sæpe enim, de iisdem aliter juveni, aliter seni, aliter plebeio, aliter senatori, aliter subdito, aliter domino scribendum. Reverentia, ac personarum dignitas, & longiorem, graviorem orationem postulabit. Quos ex illis brevi simplicique Epistola conveneris, videberis aspernari. Ut amicum hospitem rudi mensa, ita & Epistola licebit excipere. Nimio hic facilius ornatu, quàm simplicitate offendes. Videndum & quo quisque, sive ad legendum, sive ad intelligendum ingenio fuerit. Occupatum hominem longa, & parum doctum erudita compellare Epistola, est ocreas cursori porrigere, citharædo tubam.

Iam qui adolescenti, inter prima eloquentiæ incunabula, jejunam illam brevitatem, simplicemque dictionis habitum suaserit; is lætam eruditionis segetem, in qua semper amamus luxuriem, in ipsa herba opprimet. Copia in flore arborum semper gratissima est, ubi rarus flos, multò rarior fructus exspectandus est. Ego qui juventuti hæc scribo, luxu aliquo styli abundare, quàm ariditate sterilescere malui, & quamvis non in epistola, tamen in loco non multum ultra ipsius dignitatem assurgenti. Sed quid vetat quandoque delectare, etiam dum erudias? In florido eloquentiæ vere, quam arida frigidaque hieme versari malo. Interea juventuti autor sum, ne quam brevitatis simplicitatisque curam magnopere suscipiant, ad copiam potius ornatumque illum aspirent, qui in optimis quibusque Ciceronis epistolis visitur. ætate, si quid nimium fuerit, facilè atteretur. non enim quidquid in fæcundo agro germinat, ad maturitatem perducitur.

CAPUT

CAPVT VII.

Quæ maximè Epistolicæ dictioni sint propria.

PRopria cujusvis Epistolæ virtus est perspicuitas, venustas, ac decorum, quod Græcis τὸ πρέπον dicitur. Quantum à dotibus hisce Epistola abfuerit, tantum à laude cultæ eruditionis. Paucis singulas expendamus.

1. Vt *Clarus perspicuusq;* in Epistolis sermo sit, nemo non agnoscit necessarium. Quid enim magis ratione alienum sit, quàm non intelligenda perscribere, cum calamum ea mente sumas, ut animi tui sententiam lectori communices? Hanc si ita tradas, ut simul obtegas, destruis una manu, quod altera ædificas, oleum operamque perdidisti. Cogis sæpe amicum aliorum arbitrio credere, quod tecum cupiebas: sæpe ambiguum suspensumque tuis ducis ænigmatibus. Cave itaque, quisquis vel ingenium obscurius, vel fastidiosius à natura sortitus es; ut, neque minus explicatè soleas, neque vulgariter scribere cupias. Aperto potius sermone malis, quam recondito uti. si enim alterutro errore peccandum sit: malo minus eruditus, quàm parum clarus videri. Epistola mentis nuntia esse debet, quod licet nonnunquam balbutiendo fecerit, fecerit tamen, cum intelligetur. Quocirca propriis primum utere, nisi fortè translata majori etiam claritate exponant sententiam. Deinde noli peregrinis atque ab usu quotidiano remotis oblectari, potius circumloquaris, & perspicua descriptione utere, cum non suppetunt usitata: neque enim cuivis semper Calepinus ad manum est. Postremò ne producta nimium vel etiam concisa (nam utroque obscuratur oratio) ne amphibologica, ne trajectis, ac malè concinnatis verbis dictio vacillet. Quidquid Epistola dicit, distinctè, sine phaleris verborum, & anhela phrasium productione, in aperta luce collocandum est. Hic illud Socraticum valet. *Loquere, ut te videam.*

2. Per-

2. Præterea *venustus* epistolaris *sermo sit*, cùm, velut forma elegantissimi hominis, nativa colorum suavitate temperata, lucet; ac procul fuco omni, candidus simul alacerque incedit, suam in proverbiis, veterumque dictis ac factis, gnomis aptè sparsis; doctorum hominum sententiis, argutiisque opportunè insertis, jocis salibusq; jucundè mixtis, gratiā occupans. His enim, tanquam vivis quibusdam coloribus, Epistola ad venustatem formatur.

3. Denique *suum* Epistola habeat *decorum*. Quod non ab arte solùm, sed judicio cujusque petendum est; ideoque, ut in vita, sic in oratione (Tullii ore loquor, ad Brutum in orat.) nihil difficilius, quàm, quid deceat, videre. Aliud verò rerum, aliud personarum decorum est. Res enim, ut sæpe naturâ diversæ Epistolam subeunt; ita suo quæque dictionis habitu ornari postulant: ne vestis corpori ineptè hæreat. Vt iccirco nec Epistolas quidem rectè scripturus sit, qui pleraque styli genera, de quibus supra disserui, non fuerit assecutus. Sed neq; personarum negligenda est ratio; cùm, & suæ conditionis scriptor, & illius, ad quem scribit, meminisse debeat, neque enim juvenem, vel arguta sophistarum, vel subtilis Philosophorum; vel sententiosa virorum prudentum, vel brevis & imperiosa senum oratio deceat: contra senes molli, circumducta, & culta juvenum dictione profluere, nemo æquus sermonis æstimator probaverit. hi copioso flore luxurient, illi parcioti fructu maturescant; hi precentur, illi imperent; hi ut licet, rationibus, illi etiam autoritate impellant. Suam quæque ætas indolem nacta est, quam ut in vita, sic in literis spectari decorum est.

Hæc de forma sermonis epistolici universè dicta suffecerint, Reliquum esset, ut de verbis, ac phrasi singulatim quoque observanda monerem: cum in *utriusque elegantia, ac proprietas*, aut certè *latinitas* requiratur. De quibus cum jam supra lib. 2. de fontibus eloquentiæ. §. 1. n. 2. & §. 2. n. 2. quædam sint tradita, plura etiam parte altera tradentur, nihil hic seorsim attinet dicere. Illud meritò cum Lipsio in mentem revocavero, quod & principio hujus operis monui, lectione hæc magis, quàm auditione haurienda esse. cum quod audita, non perinde, ut lecta, hæreant; cùm his animum magis figere, quàm illis, sæpe obiter

prætervolantibus, liceat; tum quod rarus ea, qua scribit, cura ac puritate loquatur: sæpe etiam doctissimi, sermonem inquinatum, calamum purum ducant: cum in illo neglectum contemnant, in hoc reformident. Sed nec sola te lectio satis erudierit, nisi junxeris imitationem. In qua rursum ea tibi ad memoriam usumque revocanda erunt, quæ jam ante tradidimus, præsertim ex Campiano, de triplici imitatione.

CAPVT VIII.

Quæ in Lectione Epistolarum Ciceronis maxime observanda, atque ad imitationem traducenda sint.

NE inutili lectione per multa, tanquam fucus in flores, effundaris, nihil mellis colligas, hæc tibi cum fructu sic instituenda erit; ut, cùm probatum à viris eruditis autorem, atque inprimis Ciceronem in manus sumpseris, ejusq; aliquam evolueris meditatè Epistolam; eam deinde à capite repetas. quæque in illa magis fuerint illustria, hæc in libello, vel universè signes; vel etiam singulatim excerpas, sextuplici ad hanc rem instituto signandorum capite, supra de Grammaticorum lectione discerni.

2. Primum voces rariores, alterum Phrases, tertium particulas, quartum minùs usitatum, attamen elegantem verborum ordinem, quintum varia dictionis ornamenta: sextum formulas diversas complectatur. Neque enim distincta hæc rerum verborumq; observatio parum cuique ad eloquentiam profutura est. Quod si tamen quatuor prima malueris confundere, ad tres ordines cuncta cum Lipsio referes, formularum, ornamentorum, & dictionis.

2. Lectioni succedat imitatio, & quæ suo te magis cultu, quæ raritate, elegantiâ traxisse senseris, hæc aliquo tibi, quo supra de imitatione tradidi, modo, familiaria reddas, nec pudeat alienâ primùm, tuo corpori aptatâ purpu-

purpurâ splendescere; donec inter eloquentiæ proceres, jam proprio liceat ornatu fulgere. Si quid è verbis, phrasibusq; placuit, finge locum ubi servire idem possit, si debilior es parem, si robustior etiam disparem. Exempli causâ legis. *Da operam, ut valeas. propediem te videbo. Iamdiu ignoro, quid agas. Tu tibi deesse noli. Lacrymæ tempore exarescent, dolor recrudescit.* His equidem, ubi res locusque tulerit, nec litera quidem mutata utar, & sine cujusquam reprehensione. Sed in re dispari, non minor earum gratia. quid enim sic loqui prohibeat, si non phrasi eadem, Tulliana certè elegantia *Dabo operam, ut bellum finiatur. propediem exspectamus pacem. Iamdiu quiete destituimur. Crassus sibi in hoc bello minimè deesse visus est. Accepta in bello vulnera tempore sanantur. Bellorum cicatrices licet obductæ, levi nonnunquam offensione recrudescunt.* Vides ad eundem penè scopum, sed à Cicerone diversum, pleraque inflexa esse. Ita enim in succum sanguinemque nostrum aliena denique transmittuntur.

3. Pergamus ac paulò etiam majora, non in sola dictione, sed ornamentis quoque spectemus. Sic ad Tironem S. Cicero scribit, lib.16. Ep.8.

Magna nobis est sollicitudini valetudo tua: nam tametsi qui veniunt, ἀκίνδυνα μὲν, χρονιώτερα δὲ nuntiant. tamen in magna consolatione ingens inest sollicitudo, si diutius à nobis abfuturus est is, cujus usum & suavitatem desiderando sentimus. Attamen quanquam videre te tota cogitatione cupio, tamen te penitus rogo, ne te tam longæ navigationi, & viæ per hiemem, nisi bene firmum committas, neve naviges nisi exploratè. Vix in ipsis tectis & oppidis frigus infirmæ valetudine vitatur, nedum in mari & via, sit facilè abesse ab injuria temporis. In his quædam cum virtute imitaberis, quædam mutabis, quædam etiam omittes. bis enim *sollicitudo*, ter *tamen*, totiesque *te* juxta se positum, majori gratia deflectetur. (neque enim ad omnem semper ornatum vigil Cicero) Avertatur itaque ad belli, de quo cœpimus, institutum hæc oratio.

Susceptum à te bellum magna nobis haud immeritò curæ est. Etsi enim qui ad nos transeunt ἀκίνδυνα μὲν χρονιώτερα δὲ

b *nuntiant: tamen in hac consolatione ingens dolor inest, si diutius nos optata pax remoretur, cujus usum ac suavitatem desiderando tantum percipimus. Verum licet pacem videre tota cogitatione cupiam, rogo tamen, ne præpropere, nec nisi rebus ante bello firmatis, de pace cum hoste constituas; cui vix imbecillo, nedum adhuc valenti credendum satis existimo. Quantum poteris, ab omni te injuria abesse convenit.*

Prior hic periodus Ciceroni adhæret propius, forma scribendi retenta; posterior in hac etiam abscessit longius, ut nihil Tullianum videri possit: Habitus solum & figura quædam sermonis relicta est. Et hæc imitandi ratio magis perfectorum est, qui etiam sine traductis propalam à Cicerone phrasibus Ciceroniani esse non desinunt. Ut igitur tria potissimum inter legendum, ita & imitandum signanda erunt, dictio, ornamenta, & formulæ. Sine his & sterilis lectio, & parum utilis futura est imitatio.

b *sine periculo quidem, sed tamen diuturniora.*

CAPUT IX.

Exemplum longioris, sed elegantis, ex Seneca Rhetore, Epistola.

PLacuit denique, pro conclusione hujus argumenti, exemplum Epistolæ ex Seneca Rhetore, claro elegantique exaratum stylo, subjicere. Quod illo & item lectu perjucundam memoriaque de se ac Latrone dignam complectatur, & formam scribendi sequatur, qua, extra Ciceronem, Epistola magis consentaneam, me legere, non memini. Tam aptum in simplicitate cultum, in brevitate gratiam exprimit. Dedi, quia in manibus paucorum est. Longior cum sit, plurium tibi vicem Epistolarum præstabit.

EPI-

EPISTOLA PROOEMIALIS.

M. Annæus Seneca Rhetor.

Argumentum.

DOcet 1. sibi jucundum ad antiqua studia in senio redire. 2. Memoriam sibi olim fidam adhuc sufficere. 3. Studium perquam honestum juventuti luxuria malè enervari. 4. Diversas fuisse exercitationes dicendi. 5. Porcium sibi familiarem ab ingenio memoriaque & indefesso studio commendat. 6. Subtilitatem Porcio non defuisse, sed latuisse; amasse illum sententias, figuras verò orationis aspernatum esse.

Novato & Senecæ Melæ filiis Salutem.

Ex lib. I. Controvers.

1. Exigitis rem magis jucundam mihi, quàm facilem. Iubetis enim, quid de his declamatoribus sentiam, qui in ætatem meam inciderunt, indicare, & si qua memoriæ meæ nondum elapsa sunt, ab illis dicta colligere: ut quamvis notitiæ vestræ subducti sunt, tamen non credatis tantum de illis, sed etiam judicetis. Est, fateor, jucundū mihi redire in antiquā studia, melioresque ad annos respicere, & vobis querentibus, quod tantæ opinionis viros audire non potueritis, detrahere ipsam temporum injuriam.

2. Sed cum multa jam mihi ex me desideranda senectus fecerit, oculorum aciem retuderit, aurium sensum hebetaverit, nervorum firmitatem fatigaverit: inter ea quæ retuli, memoria est, res ex omnibus partibus animi maximè delicata & fragilis: in quam primam senectus incurrit. Hanc aliquando in me floruisse, ut non tantum ad usum sufficeret; sed in miraculum usque procederet, non nego.

Nam & duo millia nominum recitata, quo ordine erant dicta, reddebam: & ab his qui ad audiendum præceptorem nostrum convenerant, singulos versus à singulis datos, cum plures quàm ducenti efficerentur, ab ultimo incipiens usque ad primum recitabam. Nec ad complectenda tantum, quæ vellem, velox erat mihi memoria: sed etiam

ad continenda quæ acceperat. Nunc autem & ætate quassata, & longa desidia, quæ juvenilem quoq; animum dissolvit, eo perducta est, ut etiamsi possit aliquid præstare, tamen promittere non possit: & diu ab illa nihil repetivi. Solebat bonæ fidei esse. Nunc quia jubetis, quid possit experiar; & illam cum cura scrutabor.

Ex parte enim spero bene. Nam quæcunque apud illam aut puer, aut juvenis deposui, quasi recentia, & modo audita, sine cunctatione profert. At si qua illi intra proximos annos commisi, sic perdidit & amisit, ut etiamsi sæpius ingerantur, totiens tanquam nova audiam. Itaq; ex memoria, quantum vobis satis sit, superest. Neque enim de his interrogatis, quos ipsi audistis; sed de his, qui ad vos usq; non pervenerunt. Fiat quod vultis: mittatur senex in Scholas. Illud necesse est impetrem, ne me quasi certũ aliquem ordinem velitis sequi, in contrahendis quæ mihi occurrent. Necesse est enim per omnia studia mea errem, & passim quicquid obvenerit, apprehendam. Controversiarum sententias fortè ponam pluribus locis in una declamatione dictas. Non enim dum quæro aliquid, invenio: sed sæpe quod quærenti non comparuit, aliud agenti præsto est. Quædam verò quæ obversantia mihi, & jam ex aliqua parte se ostendentia non possum occupare, eadem securo & composito animo subito emergunt. Aliquando etiam seriam rem agenti & occupato, sententia diu frustra quæsita intempestivè molesta est. Necesse est ergo me ad delicias componam memoriæ meæ, quæ mihi jam olim precariò paret.

3. Facitis autem juvenes mei, rem necessariam & utilem, quod non contenti exemplis sæculi vestri, prioris quoque vultis cognoscere. Primum, quia quò plura exempla inspecta sunt, plus eloquentia proficitur. Non est unus, quamvis præcipuus sit, imitandus: quia nunquam par fit imitator auctori. Hæc natura est rei. Semper citra veritatem est similitudo. Deinde ut possitis æstimare, quantum quotidie ingenia decrescant: & nescio qua iniquitate naturæ, eloquentia se retro tulerit: quicquid Romana facundia habet, quod insolenti Græciæ aut opponat, aut præferat, circa Ciceronem effloruit. Omnia ingenia quæ lucem nostris studiis attulerunt, tunc nata sunt. In

dete-

deterius deinde quotidie data res est: sive luxu temporum, nihil est enim tam mortiferũ ingeniis, quam luxuria: sive cum præmium pulcherrimæ rei cecidisset; translatum est omne certamen ad turpia, multo honore questuq; vigentia: sive fato quodam, cujus maligna perpetuaq; in omnibus rebus lex est, ut ad summũ perducta, rursus ad infimũ, velocius quidem quam ascenderant, relabantur. Torpent ecce ingenia desidiosæ juventutis, nec in ullius honestæ rei labore vigilatur. Somnus languorque ac somno & languore turpior, malarum rerum industria, invasit animos.

Cantandi, saltandiq; nunc obscœna studia effœminatos tenent: & capillum frangere, & ad muliebres blanditias vocẽ extenuare, mollitie corporis, certare cum fœminis, & immundissimis se excolere munditiis, nostrorum adolescentium specimen est. Quis æqualium vestrorũ (quid dicam, satis ingeniosus?) satis studiosus, imo quis satis vir sit? Emolliti, enervesq; , quod nati sunt, inviti manent: expugnatores alienæ pudicitiæ, negligentes suæ. In hos nec Dii tantũ mali permittant, ut cadat eloquentia: quam non mirarer, nisi animos in quos se cõferret, eligeret. Erratis, optimi juvenes, nisi illam vocem non M. Catonis, sed oraculi crediris. Quid enim est oraculũ? Nempe voluntas divina, hominis ore enunciata? Et quem tandẽ Antistitem Sanctiorem invenire sibi divinitas potuit, quam Catonem, per quem humano generi non præciperet, sed convitium faceret? Ille ergo vir quid ait? Orator est, Marce fili, vir bonus, dicendi peritus. Ite nunc, & in istis vulsis atq; expolitis, & nusquã, nisi in libidine, viris, quære ite oratorem. Meritò talia habent exempla, qualia ingenia. Quis est, qui nunc memoriæ studeat? quis qui non dico magnis viribus, sed suis placeat? sententias à disertissimis viris factas, facilè in tanta hominum desidia pro suis dicunt: & sacerrimam eloquentiam, qua præstare non possunt, violare non desinunt. Eo libentius, quod exigitis, faciam.

Et quæcunque à celeberrimæ facundiæ viris dicta teneo, ne ad quenquam privatim pertineant, populo dedicabo. Ipsis quoq; multum præstaturus video, quibus oblivio imminet, nisi aliquid tradatur posteris, quo memoria eorum producatur.

4. Ferè enim aut nulli commentarii maximorum declamatorum extant; aut quod pejus est, falsi. Itaque, ne aut ignoti

ignoti sint, aut aliter quam debeant noti, summa cum fide, suum cuique reddam. Omnes autem magni in eloquentia nominis videor audisse.

Nec Ciceronem quidem ætas mihi eripuerat, sed bellorum civilium furor, qui tunc totum orbem pervagabatur, intra coloniam meam me continuit. Alioquin in illo atriolo, in quo duos grandes prætextatos, ait, secum declamare solitos, potui illud ingenium, quod solum populus Romanus par imperio suo habuit, cognoscere: & quod vulgo de alio dici solet, sed de illo propriè debet, potui vivam vocem audire Eloquentiæ. Declamabat autem Cicero, non quales nunc controversias dicimus, nec tales quidem, quales ante Ciceronem dicebantur, quas thesis vocabant. Hoc autem genus materiæ, quo nos exercemur, adeò notum est, ut nomen quoque ejus novum sit. Controversias nos dicimus: Cicero causas vocabat. Hoc vero alterum nomen Græcum quidem est, sed in Latinum ita translatum, ut pro Latino sit. Scholastica controversia multò recentior est, sicut ipsa declamatio. Apud nullum auctorem antiquum, ante ipsum Ciceronem & Calvum inveniri potest, qui declamationem distinguit. Ait enim: Declamare est, jam non mediocriter dicere. Bene alterum putat domesticæ exercitationis esse, alterum veræ actionis. Modò nomen hoc prodiit. Nam & studium ipsum nuper celebrari cœpit. Ideo facile est mihi ab incunabulis nosse rem post me natam. In aliis autem, an beneficium vobis daturus sim nescio: in uno accipio.

5. Latronis enim Porcii, carissimi mihi Sodalis, memoriam, sæpius cogar retractare, & à prima pueritia usque ad ultimum ejus diem perductam familiarem amicitiam cum voluptate maxima repetam. Nihil illo viro gravius, nihil suavius, nihil eloquentia sua dignius. Nemo plus ingenio suo imperavit, nemo plus indulsit. In utraq; parte vehementi viro modus deerat: nec intermittere studia sciebat, nec repetere. Cum se ad scribendum concitaverat, jungebantur noctibus dies, & sine intervallo gravius sibi instabat; nec desinebat, nisi defecerat. Rursus cum se dimiserat, in omnes lusus, & in omnes jocos se resolvebat. Cum verò se silvis montibusque tradiderat, omnes illos agrestes, in sylvis ac montibus natos, laboris patientiâ, ac

venan-

venandi solertiâ provocabat; & in tantam sic vivendi pervenerat cupiditatem, ut vix posset ad priorem consuetudinem retrahi. At cum sibi manum injecerat, & se blandiendo, unde abduxerat, revocarat; talis viribus incumbebat in studium, ut non tantum nihil perdidisse, sed multum acquisivisse videretur. Omnibus quidem prodest subinde animum relaxare. Excitatur enim otio vigor: & omnis tristitia, quæ continuatione pertinacis studii adducitur, feriarum hilaritate discutitur. Nulli tamen intermissio manifestius proderat. Quotiens ex intervallo dixerat, multo acrius violentiusque dicebat. Exultabat enim novato & integrato robore; & tantū à se exprimebat, quantum concupierat. Nesciebat dispensare vires suas, sed immoderati adversum se Imperii fuit. Ideoque studium ejus prohiberi debebat, quia regi non poterat. Itaque solebat & ipse, cum se assidua & nunquam intermissa contentione fregerat, sentire ingenii lassitudinem: quæ non minor est, quàm corporis, sed occultior. Corpus illi erat & natura solidum, & multa exercitatione duratum. Ideoque nunquam eum ardentis impetus animi deseruit. Vox robusta, sed sordida lucubrationibus, & negligentia, non natura, infuscata, beneficio tamen laterum extollebatur: & quamvis inter initia parū attulisse virium videretur, ipsa actione accrescebat. Nulla unquam illi cura vocis exercendæ fuit. Illum fortem, agrestem, & Hispanæ consuetudinis morem non poterat dediscere: utcunq; res tulerat, ita vivere: nil vocis causa facere: non illam per gradus paulatim ab imo usque ad summum perducere, non rursus à summa contentione paribus intervallis descendere, non sudorem unctione discutere, non latus ambulatione reparare. Sæpe cum per totam lucubraverat noctem, ab ipso cibo statim ad declamandum perveniebat. Jam verò cum rem inimicissimam corpori faceret, vetari nullo modo poterat. Post cœnam fere lucubrabat, nec patiebatur alimenta per somnum quietemque æqualiter digeri, sed perturbata & dissipata in caput agebat. Itaq; & oculorum aciem contuderat, & colorem mutaverat. Memoria & natura quidem felix, sed plurimum adjuta arte. Nunquā ille quæ dicturus erat, ediscendi causa relegebat: edidicerat illa, cum scripserat. Tum id in illo magis mirabile videri possit, quod nec lentè

& anxiè, sed eodem penè, quod dicebat, impetu scribebat. At illi qui scripta sua torquent, qui de singulis verbis in consilium veniunt, necesse est quæ totiens animo suo admoverint, novissimè affigant. At quorumcunque stylus est velox, tardior memoria est. In illo non tantum naturalis memoriæ felicitas erat, sed ars summa, & ad apprehendenda quæ tenere debebat, & ad custodienda; adeò ut omnes declamationes suas quascunque dixerat, teneret. Iam itaque supervacuos sibi fecerat codices. Ajebat se scribere in animo. Dicebat ita, ut in nullo unquam verbo eum memoria deceperit. Historiarum omnium summa notitia: jubebat aliquem nominari ducem, & statim ejus acta cursu reddebat. Adeo quæcunque in animum ejus semel descenderant, in promptu erant. Video vos, juvenes mei, plus justò ad hanc ejus virtutem obstupescere. Alia vos in illo mirari volo. Hoc quod tam vobis mirum videtur, non operosa potest tradi arte. Intra exiguum paucissimorum dierum tempus, poterit quilibet facere id, quod Cyneas fecit: qui missus à Pyrrho legatus ad Romanos, postero die novus homo & senatum, & omnem urbanam circumfusam senatui plebem, nominibus suis persalutavit. Aut quod ille fecit, qui recitatum à Poëta carmen novum, suum esse dixit, & protinus memoria recitavit: cum hoc ille cujus carmen erat, facere non posset. Aut quod fecit Hortensius, qui à Sisenna provocatus, in auctione persedit diem totum, & omnes res, & pretia, & emptores ordine suo argentariis recognoscentibus, ut in nullo falleretur, recensuit. Cupitis statim discere. Suspendam cupiditatem vestram, & faciam alteri beneficio locum. Interim hoc vobis, in quo jam obligatus sum, persolvam. Plura fortasse videor de Latrone meo vobis, quam audire desideratis, exposuisse. Ipse quoque hoc prævideram futurum, ut à memoria ejus, quotiens occasio fuisset, difficulter avellerer. Tamen nec his contentus ero, sed quotiens memoria me invitaverit, libentissime faciam, ut illum totum & vos cognoscatis, & ego recognoscam. Illud unum non differam, falsam opinionem de illo in animis hominum convaluisse.

6. Putant enim fortiter quidem, sed parum subtiliter eum dixisse: cum in illo si qua alia virtus fuit, etiam subtilitas

tilitas fuerit. Id quod nunc â nullo fieri animadverto, semper fecit. Antequam dicere inciperet, sedens, quæstiones ejus, quam dicturus erat, controversiæ proponebat, quod summæ fiduciæ est. Ipsa enim actio multas latebras habet: nec facile potest, si quo loco subtilitas defuerit, apparare; cum orationis cursus judicium audientis impediat, dicentis abscondat. At ubi nuda proponuntur membra, si quid aut numero, aut ordine excidit, manifestum est. Quid ergo? unde hæc de illo fama? Nihil est iniquius his, qui nusquam putant esse subtilitatem: & in illo cum omnes oratoriæ virtutes essent, hoc fundamentum tot & tantis superstructis molibus obruebatur. Nec deerat in isto, sed non eminebat. Et nescio an maximum vitium subtilitatis sit, nimis se ostendere. Magis nocent insidiæ, quæ latent. Vtilissima est dissimulata subtilitas, quæ effectu apparet, habitu latet. Interponam itaque aliquibus locis quæstiones controversiarum, sicut ab illo propositæ sunt. Nec his argumenta subtexam, ne & modum excedam, & propositum tam meum, quam vestrum, cum vos sententias audire velitis, & quicquid ab illis abduxerit, molestum futurum sit. Hoc quoque Latro meus faciebat, ut amaret sententias. Cum discipuli essemus apud Marillium Rhetorem, hominem satis aridum, paucissima bellè, sed non vulgato genere dicentem: cum ille exilitatem Orationis suæ imputaret controversiæ, & diceret. Necesse est me per spinosum locum ambulantem suspensos pedes habere: ajebat Latro. Non me hercules tui pedes spinas calcant, sed habent. Et statim ipse dicebat sententias, quæ interponi argumentis tum maxime declamantis Marillii possent. Solebat autem & hoc genere exercitationis uti, ut aliquo die nihil præter Epicheremata scriberet, aliquo die nihil præter Enthymemata, aliquo die nihil præter has translatitias, quas propriè sententias dicimus, quæ nihil habent cum ipsa controversia implicitum, sed satis aptè & aliò transferuntur: tanquam quæ de fortuna, de crudelitate, de sæculo, de deliciis dicuntur. Hoc genus sententiarum supellectilem vocabat. Solebat schemata quoque per se quæcunque controversiã reciperent, scribere. Et putant illum homines hac virtute caruisse: cum ingenium quidem eius hac dote

abun-

abundaverit, judicium autem fuerit strictius. Non pla-
bat illi orationem inflectere, nec unquam recta via di-
dere, nisi cum hoc, aut necessitas coëgisset, aut magna
fuisset utilitas. Schemata negabat decoris causa inventa,
subsidii: ut quod palam aures offensurum esset, si pal-
diceretur, id obliquè & furtim surreperet. Summam q
dem esse dementiam, detorquere orationem, cui rec
esse liceret. Sed jam non sustineo vos morari. Scio qu
sit odiosa Circensibus pompa. Ab ea autem controv
incipiam, quam primam declamasse Latronem me
memini, admodum juvenem, in Marillii schola, cum j
cœpisset diem ducere.

CAPUT X.

Quid, ac quotuplex Historia, quantaque ejus, ad omnem scientiam, utilitas.

ILlud nobis studium minimè negligendum est, q
tam in legenda, quàm scribenda, cum res fert, histo
honestissimè juxta, utilissimeque collocatur. Historia
ἱστορεῖν spectando, sive inquirendo deducta, amplissim
quodam sensu, est *imago veritatis*, quæ rem quamq
prout, vel nata est, vel gesta, suis propriè coloribus ex
mit, quo sensu Plinius Historiam naturalem scrip
dicitur. Pressiori intellectu, est *rerum gestarum exposit*
Cicero lib. 1. de Invent. ait, quæ si per singulos annos
rum expositionē distribuat. *Annalium*; si per dies eti
Ephemeridum; si strictim; *commentariorum* nomine p
ponitur. Ceterum ubi pro dignitate res splendidè vel
citer gestas prosequitur, historiæ titulum occupavit. Q
paulò illustrius sic à Tullio describitur, *testis tempor
lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ.* Et de hac
lum disserimus, cùm reliquæ species vix arte dirig
tur.

1. Ad illius lectionem Basilius Imperator Leonem
lium in parænetico c. 56. his verbis excitat. *Per vete
historias ire ne recuses; ibi enim reperies sine labore, qua
cum labore collegerunt; illinc hauries & bonorum virtu
& improborum scelera. Varias humanæ vitæ inclinati*

rer

virumq; in illa conversiones. Mundi hujus inconstantiam, & præcipites Imperatorum casus: utque verbo complectar universa, malorum facinorum pœnas & bonorum præmia, quorum illa fugies, ne in divinæ Iustitiæ manus incidas, hæc amplecteris. Præclara in tanto positi fastigio Imperatoris admonitio, dignaque quæ non unius adolescentis regii Leonis, sed omnium ad veram sapientiam adspirantium auribus excipiatur.

2. Quid enim, sive ad virtutem, sive ad eruditionem, illa historiarum meditatione potentius esse poterit? tam illustris rerum bene gestarum imago, ad egregiam laudem, ad æternam memoriam, ad posteritatis admirationem proposita, mirificè contemplantes in sui favorem amoremque rapit: præmia alliciunt, exempla impellunt, paria audebit, qui sperat paria. Nec minimum detestanda vitiorum turpitudo eminet, ubi suum à scriptore colorem, horroremque induit. Minus tantam in Scelere fœditatem amabit lector, minus amplectetur. Quod in alio tantopere aversatur, in se verebitur admittere, pari à posteris execratione damnandum: fugiet infamiam, pœnam reformidabit. Iam si expendat, quantum ad omnem sapientiam erudiat: sive illam, quæ in contemplatione rerum humanarum divinarumque consistit; sive quæ in actionem omnem hominis transfunditur, maximum semper deprehendes ab historia esse emolumentum. Nullo in speculo præsentior elucet divinæ imago providentiæ, admirabili quodam rerum ordine, progressu, exituque administrantis universa, nullibi rerum terrestrium major certiorque, quam in historia, vanitas deprehenditur; ubi tam frequenter levi temporum momento vertuntur omnia, & summa imis, ima summis exæquantur; nihilque tantæ esse felicitatis in mundo intelligitur, quod brevi annorum circulo evolutum in cineres non abeat. Nullibi veriores prudentia rectè sentiendi agendique leges invenit, offensiones cautius vitare, eventusq; rerum metiri discit. Aliorum sæpè consilio Lector regitur, errore emendatur. Scimus quantas ab experientia vires habeat cauta prudensq; vitæ ratio. De gravioribus reipub. causis non facilè audimus, nisi in repub. diu versatos, bellorum momenta neminem rectius expendere credimus, quàm multorum stipen-

diorum

diorum militem. Solus historiarum gnarus lector medi-
tatorque plus nonnunquam domi, quam in foro atque
acie plures hauriunt. Hic causas suo principio & exitu
ponderat, hostium consilia sine dolo, arma sine periculo
explorat, alios cadentes ipse securus intuetur, plurimis
ipse onulis animisque certius utitur, sua rem quamque
origine, progressuque metitur. quorum multa sæpe unum
fallunt, non omnia præsenti, ut par est, oculo æstiman-
tem. Iam verò quam esse artem ingenuam, quam disci-
plinam scientiamque dicemus, quæ nihil ab histo-
mutuetur, magnumque ab illa decus non hauriat? Tolle
à dicendi facultate, illa historiarum vel ornamenta, vel
argumenta etiam; quid nisi aridum incultumque elo-
quentiæ corpus relicturus es? nulla sine naturalium re-
rum traditione nec philosophia, nec medicinæ cognitio
futura est. Politiæ ac Iurisprudentiæ vix nomen sine
historia mansurum est. Quare cum oratorem in quavis
disciplina facundum esse conveniat, nulla ex re, majori
studiorum compendio, variam illam rerum cognitionem
quàm ex historia, hauriet. Hinc succo ac sanguine in venas
derivato, totum eloquentiæ corpus alet, ac vegetabit. De
historicorum itaque cùm veterum, tum recentium le-
ctione primò universim differam, tum ex his imitatione
dignissimos, ad historicam quoque dictionem stylo for-
mandam, designabo, postquam ante laudati historici
conditiones, tam ad materiam dispositionemque,
quàm ad formam scriptionis spectantes
exposuero.

CAPVT

CAPVT XI.

De materia historiæ, ejusque delectu, ac dispositione, tum officiis ad bonum historiæ scriptorem requisitis.

HIstoriam non inepta Virginis imagine Ioan. Anton. Viperanus in lib de scribenda histor. adumbravit. Ait enim, *se*, cum de bello Melitensi scriberet, *historiam, tanquam liberam quandam Virginem intuitum esse, quæ incorrupta, nullique serviens appetitioni, veritatis cultrix esset: moribus gravis, succo sana, colore suavis, omni membrorum magnitudine, & compositione perfecta, non levibus rebus, & inanibus dedita, sed gravibus magnisque studens, ornatu modico & decente gradiens, illoque non ad voluptatem, sed honestatem exquisito, qualis matronæ conveniat.* Ceterùm olim Dionysius Halicarnasseus, & ipse historiarum scriptor, de Thucydide cum Herodoto collato judicium reliquit, in quo boni historici munus complexus est.

§. 1.

Atque inprimis statuit, ut scripturus historiam, pulchram jucundamque materiam deligat, quæ & animos legentium honesta voluptate demulceat, & digna ad posteros memoria propagetur. quo in delectu Herodotum Thucycidi præfert, quod communem ille Græcorum ac barbarorum historiam, magna gestarum rerum memoria, factisque admirandis illustrem; hic unius tantūmodo belli, nec honesti Græcis, nec fortunati calamitates sit prosecutus.

Sed ut hanc universè probem, nondum adducor. Nam si in scribentis arbitrio hic materiæ delectus sit, manus ego unius herois res gestas immortali memoria calamoque illustris scriptoris dignas habeo, quàm diffusam per varia rerum personarumque capita historiam. Vt enim in heroica, vel tragica poësi, ita hic quoq; delectat unius præcipuè bellatoris virtus ad quem cetera spectant, tanquam

minora

minora ad ſolem in cœlo ſidera. Verùm, ſæpe integrum ſcripturo non eſt, ſuo ex guſtu materiam decerpere. Alius amore patriæ à ceteris ſcriptoribus neglectæ: alius Principum, quibus ſubeſt, voluntate ad hoc ſtudium impellitur. ille Provinciæ integræ: hic familiæ nobilioris res geſtas animo calamoque complectitur; neutri tamen, contra bonæ leges hiſtoriæ, licet prævaricari. Materia igitur ſæpe imperatur, diſpoſitio, partiumque cùm diſtributionum delectus noſter eſt; in quibus æquum eſt, leviora vel reijcere, vel curſim ſolum delibare, in gravioribus ſenſum moramque conſumere: ut modò videbimus.

§. 2.

Alterum hiſtorici munus eſt; exordium, progreſſum, finemque aptum hiſtoriæ, tanquam corporis, aut tragœdiæ cujuſpiam, ſuas in partes, velut membra, diſponere. Qua in re præſtat à magnis potius cum per veritatem licet, quàm abiectis auſpicari, ut antiqua gentis vel familiæ origine, magna bellorum primò naſcentium exſpectatione cauſiſque improviſis, ne humili abjectoq; hiſtoriæ ingreſſu ſtatim lector alienetur. Exitum verò, in re potius læta, & cunctis exoptata hiſtoria, inveniat, quam tragica & injucunda: quod ſuavis in iſtis animus legentis acquieſcat, ad hunc ſine aliquo acerbitatis ſenſu non devolvatur. Progreſſus verò ab ipſa rerum temporumq; ſerie totus dependet, cum mutare hunc ordinem hiſtorico ſine vitio non liceat. Eſt enim utrorumque imago quædam, quam ſuis quæque non membris tantùm; ſed & nexibus repræſentare æquum eſt. monſtroſum videbitur, ſi vel brachia ventri, vel pedes humeris copulentur. ſuum, ut placeant, quælibet locum occupare neceſſe eſt. Hoc in munere rurſum Thucydidem Herodoto poſtponit Dionyſius, quod hic à cauſis bellorum, à Barbaris in Græcos cœptorum, exorſus, in illorum punitione & horum libertate clauſerit; ille à parum felici rerum Atticarum ſtatu narrationem ingreſſus, prælio navali Athenienſium cum Peloponneſiis abſolverit, quam poterat in admirando exoptatoq; reditu exulum à Phyle terminare.

§. 3.

Tertium hiſtorici officium eſt, noſſe quæ res expoſitione dignæ, quæ præteritione diſſimulandæ, aut non

mi-

nisi strictim tangendę sint, cum historię finis sit, cum delectatione erudire lectorem; ut jucundo quodam pabulo ad sapientiam nutriatur, atque ex præteritarum memoria, præsentibus discat rebus consulere: Regionum igitur, urbium, munitionum, atque ipsarum adeo personarum, quæ in præcipuam rerum agendarum partem veniunt, descriptio exspectatur; ut quæ legentem inprimis delectet, nec res tantum magnæ exponendæ sunt; sed eorum principia, causæ, eventusque, tum agitata in utramque partem consilia, quid temerè, quid prudenter gestum, judicio etiam Scriptoris ad probandum improbandumve, siquid rectè, aut secus consultum, actumque sit, adhibito, quo Lector ad patia, vel sequenda, vel fugienda instruatur: hic enim præcipuus historiæ, ad posteritatem propagandæ, fructus est. quæ eadem Tullius, supra de stylo circumscripto adductus, lib.2. de Orat. sapienter advertit. Qua re futurum est, ut insigni quadam varietate rerum maximarum & condiatur, & velut per respirationes quasdam suspendatur narratio, cum rara legentis voluptate, & animi, hinc rerum magnitudine detenti, illinc ad exitum spectantis, cupiditate: Quibus dotibus Herodotus quoque Thucydide est potior. Cum ille Homerum secutus, egregia rerum varietate narratione, tanquam insertis aurum gemmis, ornaverit. hic apparatus sibi invicem bellicos, & pugnas pugnis, orationes orationibus coacervaverit, ut satietate magis obruat, quam constanter delectet. Modus ubique rebus adhibendus est; & si factorum ratione atque ordine gravia atque acerba aut læta etiam cumulentur, ingenio scriptoris ita sunt interponenda, ut voluptatem conciliare, & veritati nihil detrahere videatur. Misceantur animorum motus, & consilia prudentum, veterumque nonnunquam in pari fortuna, vel temerè, vel consultò gesta paucis interserantur; ut comparatione magis elucescant, orationibus quoque & epistolis quandoque insertis, rerum agendarum momenta ponderentur, explicentur, consilia, animi impellantur: ita grata varietas, dignumque rebus pondus accessurum est.

§. 4.

Quartum est, ut suum res quævis locum in historia opportunum teneat, & temporum quidem rerumque simul

ratio constet; sed tamen ubi ab alterutra nonnihil, continuandæ narrationis gratia, deflectendum est, res tempori præstet. Iniquum enim sit vertente anno, rem quamque in medio florentem cursu abrumpere, atque ad diversa longè orationem transferre, redituram ad priora, ubi ad eandem postrema temporum metam provexerit. Ita enim turbatis dissipatisque illa animi sensibus hauriri necesse est, quæ disjecto rerum temporumque natura cohærentium ordine exponuntur. Temporũ mensura ad quam historicam narrationem definimus, non ex mensium annique unius spatio, sed rei, aut facti cohærentis ingenio desumenda est, ut hoc deniq; evoluto, velut aliquo in scena actu, ad ceterorum, quæ temporibus æquantur, expositionem transeamus. Victus iterum hac in parte ab Herodoto Thucydides est. Ille rerum, hic temporum complexionem secutus, obscurâ, atque inamœna distributione volvitur. Res hinc imperfectas deserit, inde apprehendit desertas, gestaque confundit, & tempora, dum servit nimium tempori. Non tamen qui multa simul una historia aggreditur, ita scribat, una re post aliam ad finem actionis decursâ, ut multas dare historias, non unam videatur. Narrationem leviorum rerum incidentium illi servet tempori, ubi suo fine evoluta est, ceteraque ex annis præteritis, quæ huc faciunt, cum sua temporum nota adijciat; ita & memoriæ lectoris, & dignitati rerum consultum erit, neque annorum etiam ratio intercidet. Graviores momenti res, & longius agendo ductas, in suos, tanquam in tragœdia, actus partiatur, singulisque, quantum poterit, annis admetiatur: ne, vel malè discerptæ, vel temporum ratio neglecta sit. Magno ad historiam rectè scribendam judicio opus est.

§. 5.

Postremò animus scribentis nullo in partes diversas affectu, nisi omnibus æquo, & nemini indulgenti, ferri debet; illa quoque apud se moderatione regi, ut nullis affectionibus, vel deprimatur immodicè, vel efferatur: hæc enim ejusmodi sunt, quæ & veritatem facilè corrumpunt, & à rebus alienas in lectorum animis inclinationes generant. Quocirca pauci sub suis Principibus, quibus vivunt obnoxii, illum historicæ integritatis candorem tuentur, quo

quo plenam veritatis imaginem suis lineamentis usquequaque exprimant. Virtutibus plusquam justum colorem daturi sunt, vitiis nec justum quidem. Multa dissimulabunt scribenda, nonnulla etiam non scribenda loquentur, tantùm ut placeant. Qui verò privato etiam in favorem odiumque, præsertim religionis ac nationum, reguntur impetu, his vix tutò hanc provinciam rectè administrandam credideris. Mirum est quantam in historias temporũ confusionem superior ætas attulerit, cum scissa per Europam religione, tot novi scriptores suis quisque opinionibus famulari historias voluit, quod veritate non potuit, fictione extorquere conatus est. Nec suscepta Gallorum cum Hispanis æmulatio parum huic integritati obstitit; cum ad hasce nationes veritas, aut intacta aut impunis penetrare vix potuerit. Quare præter Italos Germanosque scriptores vix invenies horum temporum incorruptos; & nec hos quidem, nisi antiqua majorum religione steterint inconcussi. Et hac in parte Thucydidem quoq; Herodoto palmam reliquisse existimandũ est; quod hic exilii recordatione à patria alienus, vitiorum censor acerbior, quàm virtutum æstimator fuerit; ille bonis recensendis cum gaudio, malis cum dolore immoretur, parem rebus affectum induens.

§. 6.

His legibus à Dionysio quidem sumptis, & magis vel adstrictis, vel illustratis, historiæ, quoad inventionem dispositionemq; materiæ, dotes pleræq; continentur, quanquam plusculum Herodoto adversus Thucydidem favisse videtur, illius credo laudes attenuare veritus, quem velut historiæ scribendæ exemplar absolutum adumbrare statuerat, ut primum tempore, primum etiam faceret dignitate. Sed non defuerunt, ex veteribus quoque, ut Ctesias, Plutarchus, Strabo, qui plura in Herodoto carperent, & universè scriptorem haberent fabulosum, quique poësin magis, quàm historiam amare visus, ipsos etiam libros Musarum nomine inscripserit; & nec temporũ, nec Geographiæ rationẽ idoneam secutus sit. Quæ quidem omnia nec prorsus admisero, nec omnino excusavero. Plutarchum tamen, ob Thebanos, populares ab illo gravius perstrictos, infensiorem habuit. Ceterùm, cum primus, qua

auditu hauserat, pleraque literis Herodotus mandaverit; mirum non est, si quandoque in rebus, præsertim externis hallucinatus sit. Quæ verò ipse etiam fabulis credidit propiora, hæc minimè dissimulavit. nec continuò ut res quæque ad aures stupenda allabitur, existimandum est, inter figmenta referendam esse; sic enim, ut priscorum monumenta taceam, nec Sacris quidem literis fides debebitur.

§. 7.

Lubet nunc deniq; Thomæ Porcacii Itali, quod Guicciardini historiæ præfixit, judicio, hujus doctrinam capitis absolvere. Tria ipse ad historiam ornamenta requirit: pulchritudinem, mensuram, veritatem. Pulchritudinem spectare asserit, quidquid primò in rationib⁹, mox in judicio, in descriptionibus, in concionibus, in gravitate sententiarum, in eloquentiæ varietate cernitur. Mensuram sive legem historicam requirere, & materiæ nobilitatem, & rerum memorandarum delectum, & notitiam consiliorum, & judicii sui, ad docendos impellendosq; legentium animos expositionem. & nonnunquam opportunam reprehensionem, nonnunquā laudem. Quibus adsit & judicium acre, & reipub. administrandæ peritia, & memoria tenax, & apta divisio; argumenta denique solida, & moralium politicarumque rerum idonea, cum fert usus, pertractatio, munitionum locorumq; oportuna descriptio. Hæc cuncta ad majestatem dignitatemq; historiæ conciliandæ jure facere existimat, ac postremò ad veritatem postulat, ut integrè (quamvis minutiis rerum submotis) quæcunq; acciderunt, narratione digna prosequatur.

Porrò quisquis illa jam exposita historici officia studiosè expenderit, de quovis facilè historiarum scriptore æquum feret judicium, & quo quisque loco censendus sit, statuet. Sed de materia ejusque dispositione hactenus; de stylo pauca quædam observanda supersunt, quæ nunc aggrediar.

CAPUT

CAPVT XII.

De forma scribendi, & dictione historica, ejusq; proprietatibus.

CVm de stylo historiæ loquimur, ejusdem, quà licet, Dionysiii vestigiis insistemus. Operæ pretium tamen fuerit scriptori, ad historicæ dictionis perfectionem aspiranti, illa quæ de styli diversitate supra lib. 2. c. 7. & seq. disseruimus, ante habere explorata.

§. 1.

Neque enim ubique eadem rerum sese offert gestarum facies, quam non minus historicum diversis calami, quam pictorem distinctis penicilli ductibus coloribusque exæquare necesse est. aliter hic equitem in cursum effusum, aliter stationarium pro excubiis peditem: aliter cunctatorem Fabium, aliter Alexandrum in hostes invectum adumbrabit. alia triumphantium, quàm cadentium in agmine species futura est. Et historico suis opus pigmentis, & non idem omnium color est. Erit, quæ deceat res afflictas oratio, lætas dedeceat, aliter superbè exultantem, aliter timidè desperantem loqui credimus. non idem in ergastulo describendo fucus, qui in pratis cultissimus adhibendus est. Gravius strictiusque Dux imperans, demissus circumductiusque miles supplex loquetur. Mores lectorum scriptor gravibus crebrisque formabit sententiis, qui ad impellendos animos acervatis pugnabit rationibus. Tantum ad historiam rectè scribendam intererit, omnem styli ductum pernovisse. Quid tamen universè historicum comprimis deceat, modò exploremus.

§. 2.

Proprius parcusq; ante omnia *sermo* in historia à Dionysio rectè postulatur. Etenim si rebus maximè convenientem hic debes imaginem, quî id aptius, quàm propriis, & velut nativa rerum lineamenta exhibentibus, feceris? In lætioribus tamen cultu aliquo sermonis efflorescere æquum sit, ne debitam his amœnitatem invidere credaris.

§. 3.

Altera virtus *dictionis* historicæ *perspicuitas est*, quæ cum priore est conjungenda. Quamvis enim in historia supra epistolæ dignitatem in stylo assurgendum sit, & ad quendam poëtarum ornatum enitendum propius, quod historia non ad solam instructionem; sed ad quandam delectationem quoque sit componenda; id tamen sine perspicuitatis jactura curandum est; ne quod præcipuum in historia est, præteritorum cognitio, obscurari videatur. Quid verò perspicuitatis obtinendæ gratia scriptori præstandum sit, jam supra in Epistolæ bonæ dotibus satis credimus explicatum.

§. 4.

Tertia *brevitas circumspecta est*, non enim oratoria dicendi facultate res historicæ amplificandæ sunt: sed nuda veritatis imago requiritur. quidquid præter hanc adjicitur, supervacuum est; sed nec suis illa partibus truncanda est; integra, non mutila poscitur. Iusta brevitas requiritur; quidquid ab hac detrahitur, jam quoque in vitio est. Circumspectam hanc igitur esse cupimus. quæ suam rebus quibusque mensuram tribuat, neque pygmæum gigantis specie, neque gigantem pygmæi formet. excessu defectuque peccabitur. Hæc brevitas stylum juxta & res complectitur, à qua Livium deflexisse constat, scholis magis, ad ubertatem adolescentibus suppeditandam, quàm curiis castrisque idoneum. Quod si de styli solius circumscriptione sermo sit, malim hunc universim latius cum Curtio effundi, quàm stricta Salustii, vel obscura Taciti brevitate arctari. Siquis tamen cum Salustio nonnunquam mores instruat, cum Tacito decreta Principum coarctet, cum Livio in concionem descendat, cum Floro magnificum elatumque hominem exprimat, is justæ nihil violasse brevitatis, varietati etiam dignitatique historicæ egregiè consuluisse judicabitur, cum voluptate legendus, & autoritate audiendus. Causa autem, quæ circumductum historici stylum præfert ceteris, non una est. Nam & gravior minusq; desultorius hic sermo est, qui virum sapientem maturumque, qualem historiæ scriptorem esse cupimus, magis decet, exornatque; & rem aptius suis vestitam adjunctis explicat, claraque in luce spectandam proponit

cum

cum sermo concisus minus autoritatis, plus obscuritatis plerumque adferat. Has virtutes historiæ in Herodoto ac Thucydide penè ex æquo Dionysius extollit, Herodotum Ionica, Thucydidem Attica puritate ac proprietate laudat: perspicuitatem utriusque, at brevitatem magis Thucydidis asserit commendari.

§. 5.

Quarta virtus est modò *lenium*, modò *vehementium affectuum expressio* Quæ inprimis historico necessaria est, ut res gestas, tanquam sua animatas vita, lectorib⁹ repræsentet. Sine qua, mortui corporis instar jacere historia videbitur. In quo ut summa pictorum ars ingeniumque versatur, sic & historicorum perfectio sita est. Ita describendæ pugnæ sunt, ut strepitum te armorum, clamorem concurrentium haurire auribus, vulnera exanimesque cadentium vultus spectare oculis videaris. ita exhortantium ad arma ducum martius ardor oratione exprimendus est, ut lector concitari sanguinem; exardescere pectus sentiat, & nil sibi, nisi ad pugnam arma hostemq; deesse intelligat. Pari rursum vicissitudine ad dolorem mœroremque revolvatur, ubi inexspectati tristium calamitatum eventus calamum quoque scribentis depresserint. In hac facultate & Herodotus & Thucydides, aliquam uterque, sed diversam quisque, partem assecutus est.: moderationibus & remissis ille; hic gravioribus & concitatis affectibus plenior. ille leni suavique delectat eloquio, hic acri vehementique impellit. Vtrumque si uni dederis opportunè usuro, perfectum hac dote historicum feceris, quanquam ars hic naturæ suffragari debeat, natura arti.

§. 6.

Ingenium magis, quàm ars, Thucydidem ab Herodoto separasse creditur. De his Cicero. In Orat. ad Brutum. *Alter* (Herodotus) *sine ullis salebris quasi sedatus amnis fluit; alter incitatior fertur, ab bellicis rebus canit etiam quodammodo bellicum. Primisque ac in his* (*ut ait Theophrastus*) *historia commota est, ut auderet liberius, quam superiores & ornatius dicere.* Quintilianus verò lib. 10. Institut. inquit. *Historiam multi scripsere praeclarè; sed nemo dubitat, duos longè ceteris praeferendos, quorum diversa virtus laudem penè parem est consecuta,* *Densus*

& brevis, & semper instans sibi Thucydides; dulcis & candidus, & fusus Herodotus: ille concitatis, hic remissis affectibus melior; ille concionibus, hic sermonibus, ille vi, hic voluptate. Sed de hac affectuum expressione paulò disertius & ad usum propius in *Palæstra Oratoria* agendum est.

§. 7.

Quinto denique virtutem historiæ maximam censet Dionysius, *τὸ πρέπον*, *decorum esse*, quod Herodotum præ Thucydide observasse existimat, cum illius dictio hilaris, & magis, ut historicum decet, ad delectandum composita; hujus quodam horrore perfusa tristior appareat. Verùm hic Dionysio, suo nimium populari adducto, non prorsus assentior: neque enim minus ad decorum spectat, de bellicis rebus bellicum quodammodo canere, quam in levioribus sedatè ferri; si illud neglexit Herodotus, & hoc præstitit; hoc Thucydides potuit, & non illud; neutri contra alterum palma adjudicanda est. Vterque in parte decori excellens, in parte negligens, & vicit, & victus est. Quod verò tam in rebus, quàm personis decorum ubique observandum sit, jam in Epistolæ dotibus supra traditum, videre cuivis licebit.

Qui plura de ratione legendæ, tradendæque historiæ cupiet, is Iovianum Pontanum in Dial. Francisc. Robertellum, Franc. Patricium, Vbertum Folietam, Dionys. Lambinum in Æmilii Probi vita, Ioannem Benartum, Possevinum nostrum in sua bibliotheca, ac denique Gerardum Vossium de hac arte differentem adeat. Bodinus & Chytræus, in historica methodo, non paucis erroribus depravati sunt; noscendi, ut evitentur.

(o)

CAPVT

CAPUT XIII.

Lectio historicorum cum scriptione jungenda, & illorum primò, qui universam historiam breviter complexi sunt.

AD Lectionem nunc deniq; historicorum rectè instituendam vertamur, ut quæ artium scientiarumq; alimentum est optimum, vires his suas, atque ornamenta potissimum sufficit, inamœnas præcipuè exhilarat, steriles fœcundat.

§. 1.

Hæc generali quadam divisione in veterem novamque, ratione temporum; at materiæ causa, in sacram profanamque; gentium verò, in Græcam, Romanamque, & ceterarum nationum prorsus variam separatur. Quarum quæ maximè nos spectant, atque eruditæ antiquitatis vestigia retinent, harum ego cognitionem censeo esse utilissimam. At cum spurii quidam autores, pro veris, in lucem emerserint; cavendum, ne, vel hos, vel inquinatas illorũ commentis historias amplectamur. Quocirca qui vitandi inprimis, in historicorũ veterum lectione sint, videamus.

Inter scriptores veteres minimè dubium est, Berosum, Metasthenem, ac Manethonem censeri, cum Strabo, Plinius, Iosephus, Eusebius, Hieronymus eorum meminerint. Annius igitur Viterbiensis, ut vel librarios ditaret, vel mundo perversè imponeret; ausus est, hos velut ab inferis excitatos, in lucem revocare, & suam cuique vendicare historiam, quæ tamen cum reliquis eorum locis quibus ante memorati scriptores usi sunt, minimè consentiunt; ut iccirco Raphael Volaterranus, Blondus, Melch. Canus, Bened. Pererius fictitios hosce partus jamdiu exploserint. Decepti verò Annii fraude in suis historiis plures sint, ut in sua Chronologia Massæus, in Chronico Lucidus, in Generationibus Nauclerus, & multò gravius Sebast. Münsterus, tum in sua Sicilia Phaselus, in Italia Leander, in Danielis Hebdom. Driedo aliique. Est verò etiam

suppostititius Annii ille Philo de temporibus, &c, nescio cujus opera, protrusus Dyctys Cretensis, ac Dares Phrygius Trojanæ nimis frigidus autor historiæ, cum epistolis C. Septimii & Corn. Nepotis Rom. quæ in Diodori Siculi bibliotheca reperiuntur, & fabulantium ludibria sunt, veritatis nihil possident.

§. 2.

Historiam igitur lecturo ante omnia universalem aliquam illius comprehensionem, vel brevem, vel longiorem, pro temporis indulti capacitate suaserim, ut res præcipuas sacræ profanæque historiæ suis norit distinguere seculis, & velut membra, in corpus unum generalis historiæ, distribuere; quæ res deinde lucem voluptatemque ad singularia transituro adferet, ut dum insigne quippiam reperit, id suis noverit temporibus assignare, jam gentium Regumque ac Cæsarum florentes maximè ætates & nomina animo complexus.

Quare occupato *Tursellini* epitomen aut *Petavii* Rationarium aut *Genebrardi* vel *Gordoni* Chronologiã suaserim, plus verò otii nacto, in veteri quidem *historia* tomum *Saliani* tertium, primo alteroque tomo præcipuis tantum locis evoluto. post Christum verò *Spondani* tomos geminos, ex Baronio magno studio, judicioque digestos. quanquam illi, quos adjecit proprio digestos studio in posteriorum temporum historia (ut Carolo V. bellisque, contra Germanos, Gallo Suecicis) nonnunquam, utriusque partis autorum defectu delectuque, aberrent.

His alios, antiquiores quidem brevioresque, sed minus ex universa historia rerum complexos reperiet, quas signare tamen hic lubuit, ut ne lateant ad fontes adspirantem. In his facilè primum est *Chronicon Eusebii* Cæsariensis, quamvis Ariani, in historia (nisi ubi laudat Originem) fide digni, quod ab orbe condito ad annum Christi 300. productum est, cui *D. Hieronymus* annos adjecit 50. *Prosper Aquitanicus* 40. denique *Palmerius Florentinus* posterioribus seculis 111. *Arnoldus* verò *Pontacus* à multis erroribus expurgavit. *Beda* Chronicon ab orbe ad an. Christi 700. excurrit. *Ado Viennensis* in suo ad 900. *Helmandus* ad 1066. *Hermannus Contractus* ad 1067. *Marianus Fuldensis Scotus* ad 1088. *Honorius Augustodunensis* ad

1120.

1120. *Sigebertus Gallus* à fine historiæ tripartitæ (quæ *Socrati, Theodoreto, & Sozomeno* tribuitur) hoc est, an. Christi 381. ad 1113. *Vincentius Belluacensis* ab orbe Cond. ad annum Christi 1201. *Abbas Vrspergensis* ab orbe Cond. ad 1229. progreditur, singuli ad suam penè dum viverent ætatem; sed hi plerique angustioribus, ut dixi, terminis historiam strinxerunt.

§. 3.

Prolixius in eadem Chronologia versati sunt, *Antoninus Archiepisc. Florentinus,* qui in orbe Cond. ad an. Chr. 1484. se extendit. Et *M. Anton. Coccius Sabellicus* ad an. 1490. *Donatus Bossius* Mediol. ad an. 1489. *Ioan. Nauclerus* ad an. 1500. sed, cum judicio legendus, ubi Annium Viterbiensem deceptus sequitur. *Raphael Volaterranus,* cum historia quoque Geographiam comprehendit, *Gottofridus* quoque *Viterbiensis* 20. libris omnium seculorum res sacras profanasque complexus, anno 1559. Basileæ, vulgatus est. Quod si quis igitur rerum aliquam toto orbe gestarum imaginem animo comprehendere desideret, is quempiam ex his autoribus ad hunc usum lectionemque vendicet: eis, quæ memoriæ fidelius insidere voluerit, in tabulas adversariorum relatis. Caveat verò, ne superioris seculi autoribus, seu novam, seu veterem historiam tractantibus, fidat, qui schismate à veteri Ecclesia divulsi hoc ubique agunt, ut suæ defectionis colorem, in historiis, seu veris, seu adulterinis reperiant; sola Romanæ Ecclesiæ vitia eruant extollantque: ceteris, quæ ad illius virtutem constantiamque in religione faciant, vel dissimulanter prætéritis, vel iniquè obliteratis. Et quid ab his speremus integrum, ita partium studio implicatis, à quo historicum fide dignum decet esse quàm remotissimum? Favor odiumque maligni semper veritatis habentur interpretes.

CAPVT

CAPVT XIV.

Præcipui Græcorum historici, quæque in iis potissimum vitanda, quæque observanda videantur.

QVibus propositum est in abdita historiarum profundius se immittere, his Græcam inprimis, ac Romanam deinde suis è fontibus hauriendam suaserim historiam. Quod nulla ab orbe condito gentium (si Hebræos in sacris bibliis celebres exceperis) vel rerum gestarum magnitudine, vel scriptorum monumentorum claritate illustrior fulserit. Quanquam verò Græcis, levioris ingenii fideique hominibus minus credendum sit; tamen cum armorum eruditionisque gloria ante Romanos celebrentur; æquum erit ab his ducere noscendæ antiquitatis principium.

§. 1.

Ergo, quod in historico primum esse studio convenit, brevem ex tabulis Ptolomæi, ac Philippi Cluverii Geographica introductione, Græciæ totius cognitionem hauriat; ut Epirum, Peloponesum, Thessaliam, Macedoniam, Achaiam, Atticam, Bœotiam, Phocidem, Eleam, Laconiam, Æoliam, Ioniam, Doriam, Arcadiam, Corinthum, Cretam, &c. norit distinguere. Quarum plerarumque nationum studia *Pausanias Cæsariensis* vetus scriptor attigit. Deinde ex *Carolo Sigonio* Atheniensium præcipuè & Lacedæmoniorum, mores, studia, bella, Reges, Archontes, Oligarchias, aliosque dominatus, diversis temporibus diversos, intelligat; ita enim facilius hærebit, quidquid indistincta sæpe historicorum volumina suggerent, dum locis, temporibus, personisque illustrioribus Lector affiget fluctuantem memoriam. Hoc verò ordine lectionem deinde auspicabitur.

§. 2.

Primus erit *Herodotus Halicarnassæus*, qui de Græcis, Persis, Assyriis, aliisq; gentibus, tempore Esdræ ac Nehemiæ,

fmiæ, historiam scripsit, ac per 240. annos ad fugam usque Xerxis è Græcia, victoriamque Leonidæ, cum 300. vicies mille Persarum cadentis, producit. Huic *Thucydides* subjungendus est, qui à Xerxis fuga bellum civile Græcorum Peloponesiacum, per annos 90. prosecutus est, quibus utrisque legendis intelligendisque Dionysius Halicarnassæus (quanquam populari suo, contra hunc faventior) lucem daturus est. Post hunc *Xenophontis* Athen. libri 7. quibus per Annos 43. res Græcorum, à fuga Xerxis, usque ad prælium Lacedæmoniorum, & Thebanorum ad Mantineam describit, evolvendi sunt. Neque illius Cyropædia negligenda est, quam in Regis Cyri gratiam (cui adversus Artaxerxem junctus fuit) concepit; ut Principis tanti ideam formaret, non historica veritate referret. Xenophonti *Georgius Gemistus* succedat, qui strictim, ex Plutarcho, & Diodoro Siculo, res à prælio Mantineænsi usq; ad Cheronæam cladem, & Philippi Macedonum Regis mortem persequitur.

§. 3.

Qui sequuntur pleriq; Romanam historiam cum Græca prosecuti sunt. quamvis idiomate Græcorum Ex quibus *Polybius Arcas*, qui ante Christum an. 200. Scipioni Iuniori, Carthaginis expugnatori, à consiliis, Romanam historiam à primo bello punico exorsus est, ex cujus libris quinque priores nobis relicti, sequentes duodecim in epitomen redacti sunt, in quorum altero, quattoque, & reliquis, res etiam Græcanicas, cum Alexandri successoribus gestas, complectitur. Post hunc *Diodorus Siculus* Bibliothecam rerum gestarum, ab orbe condito usque ad initium belli Romani adversus Celtas, libris 40. condidit, ex quibus viginti posteriores, & quinque, inter undecimum & quintum medii, intercidêre, ideoque postremis, qui extant, res Philippi & Alexandri exposuit, ut iccirco lectione Polybio anteponi possit. His *Plutarchus Cheronensis* Trajani Principis moderator accedat, qui multa de Græcis ac Latinis, clarisque inter illos viris, egregia laude scripsit; nisi quod de pueris minus purè, & in Romana quandoque antiquitate offenderit. His igitur historiam Græcorum ante Christum absolvamus, post Christum scriptoribus usuri Christianis, quanquam Græco plerisque

infe-

infectis schismate, adeoque Romanorum iniquis non rarò censoribus.

§. 4.

Philo Judæus sacerdos illius gentis, multa quæ veteris testamenti historiam, aut scriptis comprehendit, & S. Marci apud Alexandriam discipulos, eorumque vitam & monasticam dignis laudibus, illius ævi testis, excellit. Haud multum à Platone scribendi genere dissidens ut vulgo diceretur, ἢ Πλάτων φιλωνίζει, ἢ Φίλων πλατωνίζει. *Josephus Judæus* in veteri Hebræorum historia maximè quidem at non sine censura, legendus est. Cum ut multa prosecutus est, ita nonnunquam offenderit.

§. 5.

Joannes Zonaras Constantinopolitanus, Ordinis S. Basilii Monachus, ab exordio mundi historiam, ad suam ætatem, prosecutus est, & tomo quidem primo Judæorum historiam usque ad excidium Solymorum deduxit, altero ab urbe Cond. usque ad Constantinum Magnum terra marique gesta breviter comprehendit: tertio, à Constantini in oriente piè fortiterque actis ad ann. Dom. 1117. excurrit. Collegit & septem œcumenica concilia, & præter SS. Patrum epistolas, canones 85. Apostolicos, sed de Ecclesia bene meritus, ab ea tamen schismatico errore divulsus est.

Nicephoro Callisto minus etiam tribuendum, ubi Romanis, tanquam infensus schismaticus, adversatur, ejus in Græca historia varios errores Baronius tangit, & *Possevinus* in sua bibliotheca notavit.

Laonicus Chalcocondyla Græcorum historiam usque ad tempus Byzantii à Turcis capti perduxit, cui Sigismundus Ferabendius ab Amurathe historiam usque ad superioris ævi res gestas adjecit, & Minadous res persicas addidit.

Nicetas Choniates in rebus Græcis, à Joanne Comneno, Alexii filio usque ad Balduinum Flandrum, illius Imperii possessorem, progressus est; fide ac scribendi genere commendando, nisi cum Religionis contra Romanos tractat argumentum.

Nicephorus Gregoras qui Sozomeni, Socratis, & Theodoreti historiam majori temporum ordine texuit, Nicetæ impar-

imparem in scribendo laudem tulit: quanquam in judiciis, & causis eventuum æstimandis prudens, in controversiis religionis iniquus arbiter.

Ioannes Cantacuzenus imperii quondam administrator, & postea Monachus res ab Andronico Palæog. Imp. & se gestas prosequitur, Gregoramque de fide historici adversus se suasque res gestas violata, sub aliena scriptoris persona, accusat.

Quamvis autem Schismaticus, egit tamen cum Clemente VI. Pont. de Ecclesiarum rursus uniendarum concordia.

Sunt & alii quorum nonnulla extant, ut *Pachymerii, Cedreni, Glycæ, Constantini, Manassis, Ioannis, & Gregorii Curopalatæ,* quæ infestum adversus Romanam Ecclesiam spirant animum.

Zosimus historiæ scriptor, gentilis homo, sub Arcadio & Honorio Imp. pro Iuliano Apostata adversus Constantinum Imp. scripsit, ubi de Crispi filii & Licinij nepotis cæde multa falsa, ex Eusebio, Sozom. Cassiodoro, Evagrio aliisque corrigenda.

Iornandus Gothus Episcopus, ab orbe condito, ad Iustinianum Imp. Chronicon scripsit.

Procopius sub Iustiniano Belisario Duci à secretis fuit, plerisque quæ scripsit præsens. Bellum verò Gothicum, Italicum, Persicum, Vandalicum, diversis diversa libris complexus fidem & diligentiam lectoris meretur.

Agathias Smyrnæus eadem ferè bella, non tamen pari fide styloque exaravit.

Suidas post hunc maximè historiam Ecclesiasticam est prosecutus, sed versione hominis hæretici quandoque eversus. De pluribus Græcorum historicis Photium in Græca bibliotheca consule, ubi aliorum nomina, aliorum etiam historiam compendio recitat.

CAPVT

CAPUT XV.

Præcipui Romanorum, ac deniq; & aliarum gentium historici, cum censura eorundem, & cautione legentium.

IN Romana historia posteritati tradenda Græcorum etiam, sed Romanis familiarium; desudavit industria quorum facilè princeps est.

§. 1.

Dionysius Halicarnasseus Varroni & Pompeio Magno conjunctus, ideoque arcanis urbis & actis publicis ad scribendam historiam potitus, majori illam fide, quam quisquam è latio prosecutus ab ipsa Romanorum origine, ad usque ad leges 12. tabularum. Quin & Græcorum leges ritusque in comparationem sæpius adducit, egregia & scribendi methodo, & Atticæ puritatis forma. Et si quisquam historicorum ad variam antiquitatis, & politicæ disciplinæ cognitionem legendus, hic omninò negligendus non videtur.

Polybius scriptor vetustissimus Scipioni Iuniori à consiliis, serius tamen, hoc est, à primo bello punico Romanam, admixtamque illorum temporum historiam libris collegit 40. ex quibus libri solum quinque, & sequentium duodecim epitome visitur, reliqua obtrivit ætas. In quibus ita versatur, ut non historici tantùm, sed & docentis officium (quod & historici esse credidit) passim usurpet. Multa apud illum de militari civilique disciplina sunt, quæ Lipsii commentatione de militia magis illustrantur.

Plutarchus sub Traiano Principe Istriæ Præfectus, vitas Heroum quinquaginta, ex Græcis Latinisque, conscripsit, in Græcis à Theseo Athenarũ Rege usq; ad Philopœmenen Achæorum Ducem progressus est; in Latinis verò à Romulo usque ad Galbam & Othonem Imp. rarissima quæque illorum facta complexus, quanquam nonnunquam lapsus sit, ut cum legem Liviam pro Semproniâ usur-

usurpavit Romanorum, libræ minam æquavit, quæ res Budæo errandi occasionem præbuit.

Appianus. Sub M. Aurelio Imp. res Imperii Rom. eorumque provincias, exercitus, ac bella civilia simul atque extera, sed non integra ubique fide comprehendit.

Dio Cassius. Sub Alexandro Severo Imp. Consul, ab urbe condita ad Christi an. 231. Romanam deduxit historiam, sed ex 85. libris viginti quinque tantum superstites, quadraginta quatuor posteriores à Ioanne Xiphilino Monacho Constant. accurata epitome comprehensi sunt. Non æquo in omnes affectu Dio progressus est, sed bonis plerisque, ut Ciceroni, Senecæ, aliisque infensum calamum duxit, plus ipse ab integritate laudis habiturus, si hanc aliis non invidisset.

Herodianus Alexandrinus ab obitu M. Aurelii Imp. ad Gordiani Minoris regnandi initia, libros 8. historicorum egregia scribendi virtute implevit, & in illis temporum atque Imperatorum vitiis, laudem historici non amisit.

§. 2.

A Græcis Rom. historiæ scriptorib. ad Latinos venio. In his præcipuus *Titus Livius Patavinus* ab urbe condita ad Drusi Neronis sub Augusto (quando Livius vixit) obitum, per an. 712. historiam, libris 140. complectitur, è quibus 35. tantum extant, eorum quæ ante Pyrrhum, belloque Punico altero, Philippico item Antiocheno & Persico gesta sunt. Polybio, ut in bello Punico apparet, usus. Multa illi suavisque scribendi copia affluit, atque icciro, ut verbosus à quibusdam notatus est, patavinitas eidem, hoc est patrii sermonis usus in latinam linguam invectus, ab Asinio quoque objecta est. Ad secundam tamen in adolescentibus loquendi vim conducit, nec procul à Tullio avocat; ideoque puerorum, quàm virorum ingeniis alendis opportunior. Libri qui in Livio desunt, per L. Flori epitomen plerique supplentur. Quanquam & Messalæ Corvini, & Sexti Rufi brevis libellus principio adijciantur.

C. Salustius Crispus. M. Tullii Ciceronis, quicum vixit, æmulus gravissimus, & parum æquus censor; Historico tamen scribendi stylo laudem meritus, ut Martialis afferat: *Romana primus Crispus in historia*. Et hoc sentiunt, quos concisum illud scribendi genus ita delectat, ut reli-

quo minus capiantur. Mihi in illo primus genere est, in reliquis habetur inferior. Periit illius historia, præter illam Iugurthæ & Catilinæ bella memorantem, ex qua de ceteris formamus judicium.

C. Iulius Cæsar. Dictator scripsit libros septem de bello Gallico, Aul. Hirtius adjecit octavum, quibus novennii in Galliis bellum prosequitur. Commentariorum deinde libris tribus civile bellum comprehendit. Hirtius illis bellum Alexandrinum, Africanum & Hispaniense totidem libris adjecit. De hoc Quintil. lib.10. c.1. *Cæsar si tantum foro vacasset, non alius ex nostris contra Ciceronem nominaretur, tanta in eo vis est, id acumen, ea concitatio, ut illum eodem animo dixisse, quo bellavit, appareat. Exornat tamen hæc omnia mira sermonis, cujus propriè studiosus est elegantia.* Nos tamen quis sit potius, quam quis esse potuisset spectamus, eum plerumque à familiari epistolari stylo vix abesse cognoscim⁹, ideoq; infra historici dignitatem subsistere. Sigonius nimiam quandoq; in eo diligentiã odiosam esse asserit, non eam, quæ in stylo est; sed in rerum minutiis adjunctisque exponendis consistit, Cicero verò cum lib.3. de Orat. & in Bruto festivam Cæsaris eloquentiam commendat, de alio Cæsare Catuli fratre loquitur.

Æmylius Probus, seu ut alii, *Cornelius Nepos* primæ ætatis Græcorum quorundã & Punicorum Ducum, tum & Catonis Majoris vitam facili nitidoque scribendi genere exposuit, puritatis studiosis inprimis legendus.

Q. Curtius. Alexandri Magni res gestas, Trajani, ut videtur, Imp. tempore, est prosecutus. Egregia illius, ut recte Lipsius, in sermone facilitas, in narrationibus lepos. nunc opportunè adstrictus, nunc profluens, subtilis & clarus, sine cura ulla accuratus, verus in judiciis, argutus in sententiis, in orationibus mirificè facundus. Futurus ad multa disertior, si aliud præter bella cultissimo scriptori Alexander suppeditasset.

C. Velleius Paterculus. Sub Tiberio Cæsare Prætor, universam à Trojanis usque ad suam ætatem compendio, sed mutilo, clausit historiam. Stylus aureo non indignus seculo videri queat, nisi suis quandoque vitiis sibi fieret dissimilis, nunc circumducta nimium, nunc abrupta importunè periodo, nunc inductionibus quas vocant parenthesum,

thesum, suspensa, ut supra de arguto stylo tradidi, & postea ex historiæ illius parte subjecta patebit. Magnis interea virtutibus inter primos historicorum, sermonis gratia, reponendus. Hoc laudem non meretur, quod sui nimium Principis vitiis adulatus sit.

M. Valerius Maximus. Scribendi magis, quam adulandi, eodem sub Principe gratia inferior. Exempla posteritate digna ex veterum monumentis collegit, fide daturus majori, si autores junxisset historicos, ætatemq; ac tempora. Stylus neq; reprehensionem, neq; laudem eximiam meretur. in argutis quandoque opportunè concludit sententiis, sed quæ velut tesserarū jactus, nunc bene, nunc etiam infeliciter cadant Quidquid enim in his non eminet, despicitur. Qui gemmas venditar, hunc plusquam vulgaria producere æquum est.

C. Suetonius Tranquillus. Hadriani Imp. Epistolarum magister, Romanæ Græcæque antiquitatis peritissimus, magis veritatem, occultatam sub Cæsarum tyrannide hactenus, illis sublatis, ausus prodere. scripsit ille in Cæsarū vitas à Iulio usque (de quo tamen nonnulla interciderunt) ad suam ætatem commentarios, re quam stylo magis florentes; de Regibus, Prætoribus aliisque Rom. institutis, signis, temporibus, spectaculisque ac denique & Græcorum certaminibus posteritatem quoque digno labore erudivit.

Cornelius Tacitus. Historiam Rom. ab Augusti excessu usque ad Titum Vespasianum, tanto æquiori fide, quanto à spe metuq; sub Trajano Imp. remotior, prosecutus est, gravis brevisq; stylo, sed & obscurus sæpe abruptusq;, acer juxta & prudens morum censor, aulis virisq;, quam scholis & juventuti opportunior. Nulli veterum scriptorū plus ad Rhenum Agrippinates, totaque debet Germania, quam Tacito, cum Rom. exercitibus ad hæc loca delato, libroq; singulari, proavorum mores atque instituta exponenti.

C. Plinius Iunior. Strictim aliquot Rom. Ducum gesta, neglecto stylo magis ad memoriam, quam alicujus historiæ dignitatem complexus est, majora molitus, quæ lucem non viderunt. Tacito is familiariter assuetus, hac in re, palmam cessit.

Sextus Iul. Frontinus. Trajani Imp. tempore, ex Græcis latinisque historicis stratagematum aliquot militarium

libros collegit, lectione memoriaque virorum politicorum & polemicorum dignos.

Ammianus Marcellinus natione Græcus, officio miles Romano sermone imperitè stylum duxit, Asiatico obscuroque tumore verborum plenus. Ceterum rebus, quas sub Imp. Valente sui temporis signavit, lectu dignus. Has tamen à Domitiani obitu cœptas, longa ætas, vel mutilas, vel depravatas reliquit. Christianis, ut animum, sic calamum aversum duxit.

L. Florus sub Hadriano Imp. duplicem condidit historiarum epitomen: alteram Livii plus justo concisam, aliquid tamen, ubi is deficit, suppeditantem in historia Rom. lucis, altera libris quatuor eandem complexus historiam stylo militari ac masculo, sed aliqua temporum confusione; dum singulis non rarò capitibus singula bella conclusit. Vix tamen inter veteres alium censeo, quem minori opere, majorique simul & ad stylum, & ad rerum cognitionem emolumento possis voluere, si in utrisque pauca ex aliis correxeris. Nam stylum ex comparatione Curtii ita moderaberis; ut & hunc ex Floro nonnunquam excites, & illius ex Curtio tumorem infringas. Rebus clarius distinctiusque cognoscendis Dionysium Halicarnassæum consultissimè adjuncturus es, & Paterculum ubi hic defecerit, vel si tempore magis abundes, Eutropium.

Egesippus sub eodem Hadriano Ecclesiasticam historiam, Christianus ipse, quinque libris, majori veritatis, quàm styli cura, est prosecutus. Aliis totidem Apostolicas traditiones consignavit, sed posteritati incognitis.

§. 3.

C. Iulius Capitolinus, Ælius Lampridius, Trebellius Pollio, Flav. Vopiscus, Ælius Spartianus, Vulcatius Gallicanus, eodem penè tempore sub Diocletiano & Constantino Impp. vitam Romanorum mandarunt literis; sed multa ætas sustulit aut corrupit. Ex Capitolino aliquot supersunt Principũ historiæ; ex Lampridio Commodus, Heliogabalus & Alexander notus est; ex Trebellio, Valerianus usq; ad Claudii fratrem Quintillum traditur; ex Vopisco illa eadem usque ad exordia Diocletiani continuantur. Ex Spartiano Hadrianus, L. Ælius, Iulianus, Severus, Niger, Caracalla, & Geta nobis relictus est. Ex Gallicano, præter Aurelii Cassii vitam, nihil vidimus.

Sextus Aurel. Victor paucis ab Augusto Imp. usque ad Theodosii senioris, sub quo vixit, mortem, singulorum vitam Cæsarum descripsit.

Sextus Ruffus victorias Romani pop. toto orbe sparsas, brevi corruptoque sermone perstrinxit, Valentiniani Majoris ætate.

Flavius Eutropius non stylo, sed argumento spectandus, sub Valentiniano Imp. Romanam historiam ab urbe Cond. ad Iuliani Principis mortem, cui in expeditione, adversus Parthos, socius hæserat, libris decem complexus est, Latioque id primum ab ipso sermone est præstitum, sed & Græca deinde lingua à Pæanio magis vulgatum.

Paulus Diaconus Forojuliensis, qui Caroli Magni ætate vixit, Eutropii historiam à Iuliani obitu, ad Leonis Iconomachi imperium produxit, scriptione non minus in stylo barbara, quam in rerum historia neglecta, religione quam oratione felicior.

Paulus Orosius Hispanus presbyter Honorii Imper. & D. Augustini tempore brevem facundamque rerum toto orbe gestarum seriem scripto complexus est, ac Romanam adversus ejus obtrectatores religionem defendit, ostendit minimè illi defectionem imperii, ut malevoli calumniabantur, esse imputandam.

Marcellinus Comes brevi temporum commentario, ab obitu Valentis, ad Iustiniani annum vigesimum, res gestas strinxit.

Beda Anglus, venerabilis ob vitæ & monastici instituti integritatem dictus, à mundi origine ad Imper. Leonem Iconomachum in Chronico scribendo progressus est, operâ minimè perfunctoriâ. Vir octavi à Christo seculi eruditissimus. frustra Romam per Gregor. II. accersitus, cum gloriam ille aliam, quam in mundi latebris, nullam ambiret.

Anastasius S. Rom. Ecclesiæ Bibliothecarius Græcis Latinisque eruditus, Dionysii hierarchiam aliaque Patrum scripta Nicolao I. Pont. jubente transtulit, historiamque Ecclesiasticam, & summorum Pontificum vitas fide optima, at stylo pessimo, posteritati consignavit.

Iustinum, Trogi epitomen, meliori stylo, quam fide complexum, vix inter legendos numero, ita in Iudaica historia omnia confundit erroribus, in Romana vix quic-

quam præstat, adversus quos odium tam jejunè scribendo, quam malignè tacendo satis prodidit.

Eginbardus & *Turpinus* primus quidem fide bona, alter verò suspecta Caroli Magni vitam, ejusdem cum illo ætatis prodidere. Et ille quidem ab Epistolis, mox etiam gener; alter Episcopi apud Rhemos functus munere, sed in quem autorem fabulæ illæ nequaquam conveniant.

Ioannes etiam Bapt. Egnatius, Raphael Volaterranus, & Ioannes Cuspinianus vitam moresque Rom. Imp. compendio tradidere, uti & quorundã *Pomponius Lætus* illis antiquior, ac *B. Antoninus Florent.* Sed Cuspiniani, nisi expurgati, usus parum tutus est, ceterum à brevitate simul & rerum copia, minimè est contemnendus.

§. 4.

Horum autorum cognitio illi potissimum necessaria est, qui ex suis veterum historiam fontibus haurire decrevit. Sed cum nec illi quidem universè consentiant, magno inter se judicio conferendi sunt, atque expendendi. quod egregiè Torniellum & *Salianum* in prisca ante Christum, *Baronium* in nova post Christum historia præstitisse multorum consensu exploratum est. Nulli verò iniquius hoc ipsum executi sunt, quam qui ætate proxima à veteri, tot seculorum religione descivere. cum plurima in suæ defectionis favorem inclinare conati sint, dissimulatis, vel corruptis ex veteri historia quæ adversarentur, corrasis inflexisque quæ favere viderentur. Quocirca tales, nisi cum oppositæ partis confutatione (quæ rarò deest) tutò legi à minus peritis nunquam poterunt. errorem pro veritate tradituri. Quam monstrosum, ex historiis malè consarcinatis, corpus *Centuriæ Magdeburgenses*, *Illyrico* potissimum autore, congestæ faciunt! quas ille de translatione Imperii vendit imposturas!

Ioannes Schleidanus Stylo ac differendi facultate non aspernandus, at Romanæ odio religionis cum fide divina, passim etiam violavit humanam, omnia in suæ sectæ favorem, vel dicere vel tacere compertus. quâ depravatione non hanc tantum, quam sub Carolo V. concepit sui temporis historiam, evertit, sed illam quoque quam ex Cominæo autore Gallico in Romanam linguam transmisit, corrumpere ausus est, & religionis pristinæ lineamenta obliterare, ut intelligas quid in proprio illius partu sinceri-

ceritatis exspectandum sit, qui alienum etiam adulterare conatus est. Quare si cui animus id genus autores volvendi sit, huic ejusdem ævi scriptores; ut Paulum Iovium Ioan. Fontanum Gallum & Laur. Surium Germanum cum Sleidano comparare, necesse est.

Sed nec iis facilè credendum scriptoribus, qui notam in Europa sub Regibus servitutem amplexi, non nisi venalem opibus, aut gratia calamum ducunt, aut certè, offensionis metu, reprehendenda non audent perstringere. Historiam majori libertate nemo tangit; quàm vel Italus vel Germanus ad servitutem minimè genitus. Hos igitur, ubi aliud nihil obstiterit, vel solos tutius, vel cum aliis sociatos etiam utilius sequeris.

§. 5.

Quod si ad particulares regnorum historias transire libuerit, de rebus Italis rectè *Carolum Sigonium & Blondum Flavium*, ac denique *Franc. Guicciardinum* consules; De Gallicis, *Papirium Massonum*, *Paulum Æmilium*, ac *Philippum Cominaum* cautè tamen (ut supra monui) in Schleidani versione tractandum, audies. De Hispanicis *Florianus Ocampus*, & ejus prosecutor *Ambrosius Mazales*, imprimis verò qui novissimè omnium, & stylo, & rerum gloria eminet, *Ioan. Mariana* legendus est. De Lusitanicis *Hieronymus Orosius*, de Venetis *Petrus Bembus*, de Belgis præter *Gerardum Noviomagum*, & *Boucherium*, de Belgio Romano *Iacobi Mayeri* chronicon, & *Famianus Strada* adeundus est, qui superioris ævi historiā rara scribendi laude complectitur, veteremq; historicorum gloriā cum sua ætate communicat. In polonicis *Martinus Chromerus* illustris est, in Bohemicis *Æneas Silvius & Io. Dubravius*, in Hungaricis *Anton. Bonfinius*, in Moscoviticis *Io. Bohemus*, *Paulus Iovius*, & *Ant. Possevinus*, in Gothicis *Olaus Magnus*, in Danicis *Saxo Grammaticus*, in Saxonicis *Albertus Crantzius*, in Boicis *Matth. Raderus & Andreas Brunner*, consulendi; nam *Aventino* patùm, ob hæresim, integro minor fides est. De Germania post *Abbatis Vrspergensis* Chronicum, *Trithemius* Abbas minus fide nostra, dignus est, quia nimium sua fretus, cum in antiqua sese tempora inserit: poetæ quàm historico propior est, ubi Francorum ab origine gentem deducit. *Lambertus Schafnaburgensis, & Æneas Silvius, & Crinitus* post Tacitum de

de eorum rebus certiora disserunt. Ceterum res illorum præcipuæ cum Romanis Imp. apud supra dictos autores commiscentur; quod his primum oppositi, denique juncti (ex quo historiis celebrari cœperunt) maxima quæque domi forisque bella administraverint. Res anglicas post *Bedam*, *Polydorus Virgilius & Matthæus Paris*, scoticas *Iohannes Lessæus*. Turcicas post *Laonicum Chalcocondylam*, *Martinus Crusius*, at sectariorum more, prosecutus est Iudaicas *Hieron. Orosius*, *Petrus Iarricus* & *Ioan. Petrus Maffeius stylo non* contemnendo illustrarunt, Sinenses etiam *Nicolaus Trigantius & Martinus Martinius* nobiscum communicarunt.

§. 6.

Præter hæc si mores atque instituta gentium, regionumque diversarum naturam explorare constitutum sit, *Plinius*, *Ælianus*, *Gellius*, *Alexander ab Alexandro*, *Celius Rhodiginus*, *Tzetzes*, *Crinitus*, tum variarum nationum descriptiones & rerum pub. status recens in Hollandia in plures libellos digesti, sedula lectione volvendi erunt, rebus illustrioribus in adversariorum libellum relatis.

CAPUT XVI.

Quæ ex lectione optimorum autorum, & qua ratione, notanda sint?

AD legendi, & optima quæque signandi rationem venio. Monendi lectores sunt, non ad solam quandam curiosæ indaginis voluptatem lectionem instituendã esse, Breves hæ nimium fluxæque animorum deliciæ sunt, quas ætas longior atterit, & memoriæ, sub multarum rerum imaginibus, tanquam numero & mole succumbenti eripit. At summa quædam capita ordinemq; multitudo illa rerum, velut militum copiæ in aciem dirigendæ sunt, ne confusione pereant. Illustria quæq; calamo signanda, atq; in compendium colligenda sunt; ut unâ quandoque horâ ad memoriam fugientia revoces, quæ hebdomadis, aut etiam mensis integri lectione decurristi. Memoria nisi hoc præsidio erecta, denique fatiscet. Paucorum ea felicitas, ut longam ab hac fidem commissorum sperare possint. Notis igitur subveniendum illius imbecillitati nemo ambi-

ambigit: de notandi ratione disceptatur, alii, per titulos, vel Alphabeti, vel certè virtutum & vitiorum, artium & scientiarum digestos, quæque censent legenti esse distribuenda: alii pauca quædam universim suis notis capita deligunt; quæ tamen diversi, statuunt diversa; prout minori judicio, vel deliberatione, vel consilio expertorum, hanc rem aggrediuntur.

§. 1.

Mihi & personæ, & rerum notandarum ratio habenda esse, haud immeritò videtur. Aliter enim eloquentiæ studiosum, quem phrasium observatio decet; aliter scriptorem ethicum, aut politicũ, quem causas & eventa rerum ponderare convenit; aliter Theologum, quem divinæ providentiæ ordinem; aliter mercatorem, quem casus & fallacem mundi cursum expendere æquum sit; aliter aliorum studiorum sequaces, hinc suas depromere notas jubeam. Cui quisque se arti tradiderit, ei instrumenta comparet necesse est? ex eodem ligno aliud sibi statuarius, aliud agricola, aliud nauta deligit. Sed & rerum, quas legimus naturam, ad varietatem notandi facere certum est; si quod optimum, hoc in labore, utilissimumque est spectemus. Quis enim nesciat in historia factorum ordinem, & memoriæ, & rerum expositarum dignitati servire? Hunc igitur quisquis signando præterierit, neque memoriæ, neque rebus ut par est, observandis consuluisse videbitur. Locorum enim temporumque signis abstrahere historiam, confundere est.

§. 2.

Quare si de adversariis ex historica lectione conficiendis sermo sit, duplicem ego libellum instruendum censeo: alterum sententiarum, alterum rerum. De utroque pauca.

Sententias appello, quæcunque hominum dicta, ad vitam moresque spectantia, quib' rarum aliquod excellensque monitum continetur. Cujusmodi illa sunt, quæ Iustus Lipsius, primum ex lectione in sua adversaria, deinde ex his in tot libros, & politica inprimis scripta transtulit. ut hanc ipsius industriam judiciumque seligendi, totus orbis, & amet, & admiretur. Quæ sententiæ, cum à temporibus locisq; plerumque non dependeant, faciliusque, quam res factæ, memoriam fugiant, difficilius verò ex notis suo tempore eruantur: ad aliquos hos suaserim titulos

t 5 initio

initio revocandos. Quare hos præfigo, quos promptum erit cuique discernere.

1. Deus, Angeli, Sancti, eorumque rara opera, sacrificia & cultus.

2. Orbis universus, cælum, sidera ac quatuor elementa, eorumque raræ operationes, aut mutationes.

3. Homo, ejusque bona & mala naturalia, animæ, ac corporis.

4. Virtutes, & his opposita vitia.

5. Artes & scientiæ liberales.

6. Artes illiberales, & exercitationes hominum vasta bello ac pace, tum arte inventa & facta.

7. Casus & mutationes regnorum, temporum ac hominum. Quo externa fortunæ bona ac mala referuntur.

8. Locorum, populorumque, tum animalium plantarum aliarumque in variis terris rerum, descriptiones.

9. Res variæ ad hominum & animalium usum spectantes, ut cibi, pabula, vestes, opes, honores, fama, &c.

10. Symbola, parabolæ, apologi, & quidquid ad imagines rerum spectat.

Miscellanea ad quæ illa quæ certum locum non habent referantur.

12. Ioci, ut siquid lepidè dictum factumve, aliquando servire ad honestam recreationem possit, id minimè negligatur. Vno ad memoriam ordinemque firmandum stringamus omnia disticho.

Est Deus, Orbis, Homo, Virtus, Ars utraq;, Casus,
Et Loca, Res variæ, Symbola, Mixta, joci.

§. 3.

Hos verò titulos non sententiis tantum, sed & rebus, quæ in historia ordini ac temporibus minimè affixa est, servire velim, ut sunt plurima quæ in Plutarcho, Pausania, Sigonio omnia quæ in Plinio, Æliano, Alexandro ab Alex: Agellio aliisq; occurrunt. Foliis igitur duodecim primùm notandi rationem auspicaberis, & ordine, prout se offerent his convenientia, implebis singula, quibus aliam deinde aliamque chartam, priore impleta, sufficies, quæ res plura studioso homini emolumenta allatura est. Nam ubi in talem aliquam, qualem titulus præfert, tractationem incideris, notas licebit, sine magno temporis impendio decurrere, & per numeros paginarum literarumq; (quibus

bus ipsas distinguere paginas consultum est) tibi opportuna designare, quæ ex indice confusè scriptorum non tam facile discernuntur. Erit quoque hæc res memoriæ magis fulciendæ idonea, dum affinitate quadam ex una ad rem aliam deduceris, præsertim in sententiis, quæ vix à judice comprehendi possunt. Denique solida quadam rerum inter se utcunq; hærentium cognitione pasceris, & non tam multa in adversariis librisque quàm in animo possidere disceris. Quid enim proderit, si mente rudi, in librorũ reconditorio omnia, tanquam defossum in terra thesaurũ, possideas. Ceterum index qualiscunque, præsertim de rebus, & sententiis illustrioribus formandus est, quo in repentino usu, cum memoria loci scriptique defecerit, ad necessitatem fruaris. Dives prudensq; paterfamilias supellectilem opesque suas in catalogum redigit, ut cum usus & ratio poscit, illas neque ignoret, neque negligat.

§. 4.

Rerum adversaria in historiis appello, quæ temporibus locisq; certis affixa complectuntur. Et nunc personarum, nunc religionum descriptionem postulant, nunc certis annorũ spatiis ita evolvuntur, ut nequeant opportunè avelli. Quare hæc compendio, ea lege atque ordine temporum, quo gesta memorãtur, ita censeo notanda; ut quę digniora sunt, & paucis signari possunt, referantur speciatim; quæ prolixiora solum universim. in reliquis strictim loci temporisque, cum nuda factorum indicatione, memoria sufficiat, quæ tanquam vincula totum historiæ corpus, ne dissolutum fluctuet, suis in membris adstringant. Ita enim & res tota brevi decursu labefactatæ memoriæ subijci, & graviora quæque, ubi narratione perstringenda erunt, suis adjunctis, antecedentiumq; ac consequentium nexu, integrè appositèq; inducentur. Quibus illi præsidiis destituti sunt, qui vel per titulos historiã digerunt, vel insigniora tantum, ceteris planè intactis, decerpunt, ideoq; magno operæ pretio fraudantur. Et hæc lex universas propemodum personas tangit, cujuscunq; demum illæ studii professionisque fuerint: cum ad omnem scientiam, & ad recordationem historiarum intersit, ab hac methodo nunquam deflectere. Interea siquem res illustrior, quæ huic ordini intervenit, titulum mereatur, signetur in margine; qui deinde suum in generali indice locum obtineat, ut in promptu possit esse investiganti. CA-

CAPVT XVII.

Historia temporum Ciceronis, ad illius Lectionem illustrandam, ex Velleio Paterculo, breviter subjecta.

QVi potissimum Duces, quaque viâ scriptori Historico sequendi sint, jam opinor tenet, quisquis meum, & de autoribus, & de Stylo hausit judicium. Optimus enim quisque deligendus est, atque illi, qui maximè decet, Stylo proximus. Vnum, si ex omnibus tantum postules, Curtium suadeo, quo nihil in sermone novi absolutius. Sed ut causas eventusque rerum expendere, consilia explicare, mores simul formare docearis, adjunge Tacitum. Interea non pigeat studiosam juventutem, illa quæ ex Vellejo Paterculo subijcio, iterum, iterumque evolvere. Gemino illud emolumento faciet. Primum Historiam Romanam, quæ Ciceronianæ ætatis res gestas compendio exhibet, cum summorum virorum elogio assequetur. Magnum illa & Tullio intelligendo, & ad universam Rom. politiam, urbis atque orbis imperium, mutatumq; illic Reipub. statum cognoscendum, lumen suppeditabit. Alterum ab hac lectione culti animosique Styli commodum sperabis; si illius ingenio tuum formes, quasdam tantum productas nimium, & periodos, & Parentheses devites, quamque alicubi (ex mutilatis, ut reor temporum injuria, scriptis) incurrit obscuritatem. Iccirco autem hæc ab ipso inducere visum est, quod multorum à manibus Vellejum abesse noverim, neque aliunde, quàm ex hac parte major illius Historiæ utilitas sperari possit.

Audiamus igitur ab eo disserentem tempore, quo urbs Romana Italico & Mithridatico bello implicita, C. Marium, Lucium Corn. Sullam, de summa in armis potestate decertantes, civili bello, collisit. De Italiæ populis rebellantibus, & sæpe quidem victoribus, sed victis denique sic disserit.

§. 1.

§. 1.

Caput imperii sui Corfinium legerant, quod appellarent Italicũ. Paulatim deinde recipiendo in civitatem, qui arma aut non ceperant, aut deposuerant maturius vires refectæ sunt, Pompeio, Sullaq; & Mario fluentem procumbentemq; remp. restituentibus. Finito ex maxima parte (nisi quæ Nolani belli manebant reliquiæ) Italico bello consulatum inierunt Q. Pompeius & L. Corn. Sulla, vir, qui neq; ad finem victoriæ satis laudari, neque post victoriam abundè vituperari potest. Hic natus familia nobili, sextus à Cornel. Rufino, qui bello Pyrrhi inter celeberrimos fuerat duces, cũ familiæ ejus claritudo intermissa esset, diu ita se gessit, ut nullam petendi consulatus habere cogitationem videretur. deinde post præturam illustratus bello Italico, & antè in Gallia legatione sub Mario, quâ eminentissimos duces Hostium fuderat, ex successione animum sumpsit, petensque consulatum penè omnium civium Suffragiis factus est.

Per ea tempora Mithridates Ponticus rex bellũ movit; vir neq; silendus, neque dicendus sine cura, bello acerrimus, virtute eximius, aliquando fortuna, semper animo maximus, consiliis dux, miles manu, odio in Rom. Hannibal, occupatâ Asiâ, necatisq; in ea omnibus civibus Rom. quos quidem eadem die, atque hora, redditis civitatibus literis, ingenti cum pollicitatione præmiorũ interfici jusserat. Quo tempore neque fide in Romanos, neque fortitudine adversus Mithridatem quisquam Rhodiis par fuit. Horum fidem Mytilenæorũ perfidia illuminavit, qui Manium Aquillium, aliosq; Mithridati vinctos tradiderunt; quib. libertas in unius Theophanis gratiam, postea à Pompeio restituta est. Cum terribilis Italiæ quoq; videretur imminere, sorte obvênit Sullæ Asia provincia, is, egressus urbe, cùm circa Nolam moraretur; (quippe ea urbs pertinacissimè arma retinebat, exercituq; Romano obsidebatur, velut pœniteret ejus fidei, quã omnium sanctissimũ bello præstiterat Punico) Publ. Sulpicius, trib. pleb. disertus, acer, opibus, gratiâ, amicitiis, vigore ingenii, atq; animi celeberrimus, cum anteà, rectissimâ voluntate, apud populũ maximam quæsisset dignitatem. quasi pigeret eum virtutum suarũ, & bene consulta ei malè cederent, subitò pravus, & præceps, Cajo Mario post septuagesimum annum omnia imperia, & omnes provincias cõcupiscenti, addixit, legemq; ad populum tulit, quâ Sullæ imperium abrogaretur, Cajo Mario bel-

lum

lum decerneretur Mithridaticum; aliásq; leges perniciosas & exitiabiles, neq; tolerandas liberæ civitati tulit: quin etiam Q. Pompeii consulis filium, eundemq; Sullæ generū per emissarios factionis suæ interfecit.

1. Tum Sulla, contracto exercitu, ad urbem rediit, eamque armis occupavit, duodecim autores novarum, pessimarumque rerum, inter quos Marium, cum filio, & Publio Sulpicio, urbe exturbavit, ac, lege latâ, exsules fecit. Sulpicium etiam assecuti equites, in Laurentinis paludibus jugulavêre, caputque ejus erectum, & ostentatum, pro Rostris, velut omen imminentis proscriptionis, fuit. Marius post sextum consulatum, annoque septuagesimo nudus, ac limo obrutus, oculis tantummodò ac naribus eminentibus, extractus arundineto, circa paludem Maricæ, in quam se, fugiens consectantes Sullæ equites, abdiderat, injecto in collum loro, in carcerem Minturnensium jussu Duumviri, perductus est. ad quem interficiendum missus cum gladio servus publicus, natione Germanus, qui fortè ab imperatore eo bello Cimbrico captus erat, ut agnovit Marium, magno ejulatu expromenti indignationem casus tanti viri, abjecto gladio, profugit è carcere. Tum cives, AB HOSTE, misereri paulò ante principis viri, docti, instructum eum viatico, collatâque veste, in navem imposuerunt. at ille, assecutus circa Ænariam filium, cursum in Africam direxit; inopemque vitam in tugurio ruinarum Carthaginensium, toleravit; cùm Marius, aspiciens Carthaginem, illa intuens Marium, alter alteri possent esse solatio.

2. Hoc primum anno sanguine Consulis Romani militis imbutæ manus sunt; quippe Pompeius, collega Sullæ, ab exercitu Cn. Pompeii proconsulis, seditione, sed quam dux creaverat, interfectus est. Non erat Mario, Sulpitioque Cinna temperatior, itaque cum ita civitas Italiæ data esset, ut in octo tribus contribuerentur novi cives; ne potentia eorum, & multitudo veterum civium dignitatem frangeret; plusq; possent recepti in beneficium, quam auctores beneficii; Cinna, in omnibus tribubus eos se distributurum, pollicitus est. quo nomine, ingentem totius Italiæ frequentiam in urbem acciverat. è quâ pulsus, collegæ, optimatiumque viribus, cum in Campaniam tenderet, ex auctoritate senatus, consulatus ei abrogatus est, suffe-

suffectusque in ejus locum Lucius Cornelius Merula. flamen Dialis. HÆC INIVRIA HOMINE, quam exemplo, dignior fuit.

3. Tum Cinna, corruptis primò centurionibus, ac tribunis, mox etiam, spe largitionis, militibus, ab eo exercitu, qui circa Nolam erat, receptus est. is cùm universus in verba ejus jurasset, retinens insignia consulatus, patriæ bellum intulit, fretus ingenti numero novorum civium, è quorum delectu trecentas amplius cohortes conscripserat, ac triginta legionum instar impleverat. Opus erat patribus auctoritate, gratiâ, cujus augendæ, Caium Marium, cum filio, de exsilio revocavit, quique cum iis pulsi erant. Dum bellum autem infert patriæ Cinna, Cn. Pompeius, Magni pater (cujus præclarâ operâ bello Marsico præcipuè citra Picenum agrum, ut præscripsimus, usa erat respublica, quique Asculum ceperat, circa quam urbem, cum in multis aliis regionibus exercitus dispersi forent, quinque & septuaginta civium Romanorum, amplius sexaginta millia Italicorum unâ die conflixerant) frustratus spe continuandi consulatus, ita se dubium, mediumque partibus præstitit, ut omnia ex proprio usu ageret, TEMPORIBVSQVE insidiari videretur, & huc atque illuc, unde spes major affuisset potentiæ, se, exercitumque deflecteret; sed, ad ultimum magno atrocique prœlio cum Cinnâ conflixit. Cujus commissi patratique sub ipsis mœnibus, sociisque urbis Romanæ pugnantibus, spectantibusque, quam fuerit eventus exitiabilis, vix verbis exprimi potest. Post hoc, cum utrumque exercitum, velut parum bello exhaustum, laceraret pestilentia, Cn. Pompeius decessit: cujus interitus voluptas, amissorum aut gladio, aut morbo civium penè damno repensata est: populusq; Romanus, quam vivo iracundiam debuerat, in corpus mortui contulit. Seu duæ, seu tres Pompeiorum fuere familiæ, primus ejus nominis, ante annos ferè centum sexaginta octo, Quintus Pompeius cum Cn. Servilio consul fuit. Cinna & Marius, haud incruentis utrimque certaminibus editis, urbem occupaverunt: sed prior ingressus Cinna de recipiendo Mario, legem tulit.

4. Mox Cajus Marius, pestifero civibus suis reditu, intravit Mœnia. nihil illâ victoriâ fuisset crudelius, nisi

mox

mox Sullana esset secuta. neque licentiâ immediocri sævitum, sed excelsissimi quique eminentissimæ civitatis viri variis suppliciorum generibus affecti, in iis consul Octavius vir lenissimi animi, jussu Cinnæ interfectus est. Merula autem, qui se sub adventum Cinnæ consulis abdicaverat, incisis venis, superfusoque altaribus sanguine, quos sæpe pro salute reipub. flamen Dialis precatus erat Deos, eos in execrationem Cinnæ, partiumque ejus tum precatus, optimè de repub. meritum spiritum reddidit. Marcus Antonius princeps civitatis atque eloquentiæ, gladiis militum, quos ipsos *Facundia* suâ moratus erat, jussu Marii Cinnæque confossus est. Quint. Catulus, & aliarum virtutum, & belli Cimbrici gloriâ, quæ illi cum Mario communis fuerat, celeberrimus, cum ad mortem conquireretur, conclusit se loco nuper calce, arenaque perpolito, illatoque igni, qui vim odoris excitaret, simul exitiali hausto spiritu simul incluso suo mortem magis voto, quàm arbitrio inimicorum, obiit. Omnia erant præcipitia in republica, nec tamen adhuc quisquam inveniebatur, qui bona civis Romani aut donare auderet, aut petere sustineret. Postea id quoque accessit, ut *Sævitiæ* causam avaritia præberet & modus culpæ ex pecuniæ modo constitueretur, & qui fuisset locuples, fieret nocens, sui quisque periculi merces foret; nec quidquam videretur turpe, quod esset quæstuosum.

5. Secundum deinde consulatum Cinna, & septimum Marius, *in priorum* dedecus, iniit; cujus initio, morbo oppressus, decessit, vir in bello hostibus, in otio civibus infestissimus, quietisque impatientissimus. In hujus locum suffectus Valerius Flaccus, turpissimæ legis auctor, quâ creditoribus quadrantem solvi jusserat: cujus facti merita eum pœna intra biennium consecuta est. Dominante in Italiâ Cinnâ, major pars nobilitatis ad Sullam in Achaiam, ac deinde post in Asiam perfugit.

6. Sulla interim, cum Mithridatis præfectis, circa Athenas Bœotiamq; & Macedoniam, ita dimicavit, ut & Athenas reciperet, & plurimo circa multiplices Piræei portus munitiones labore expleto, amplius ducenta millia hostium interficeret, nec minus multa caperet Si quis hoc rebellandi tempus, quo Athenæ oppugnatæ à Sullâ sunt, imputat

Atheni-

Atheniensibus, nimirum veri, vetustatisque ignarus est, adeò enim certa Atheniensium in Romanos fides fuit, ut semper & in omni re, quidquid sincerâ fide gereretur, id Romani Attica fieri prædicarent. Ceterùm tum oppressi Mithridatis armis homines miserrimæ conditionis, cùm ab inimicis tenerentur, oppugnabantur ab amicis, & animos extra mœnia; corpora, necessitati servientes, intra muros habebant. Transgressus deinde in Asiam Sulla, parentem ante omnia, supplicemque Mithridatem invênit, quem multarũ pecunia ac parte navium, Asia, omnibusq; aliis provinciis, quas armis occupaverat, decedere coëgit: captivos recepit: in perfugas noxiosque animadvertit: paternis, id est, Pontificis, finibus contentum esse jussit. Cajus Flavius Fimbria, qui præfectus equitũ ante adventum Sullæ, Valer. Flaccum, consularẽ virum, interfecerat, exercituq; occupato imperator appellatus, fortè Mithridatem pepulerat prœlio, sub adventu Sullæ se ipse interemit, adolescens, quæ pessimè ausus erat, fortiter executus. Eodem anno Publi9 Lænas tribun. plebis Sextũ Lucilium, qui priore anno tribun. plebis fuerat, saxo Tarpeio dejecit; &, cùm collegæ ejus, quibus diem dixerat, metu ad Sullam profugissent, aqua ignique iis interdixit.

7. Tum Sulla, compositis transmarinis rebus, cùm ad eum, primũ omnium Romanorum, legati Parthorũ venissent, & in iis quidã Magi ex notis corporis respondissent, cælestem ejus vitam, & memoriam futuram, revectus in Italiam, haud plura, quàm triginta armatorum millia adversum ducenta millia amplius hostiũ exposuit Brundisii. Vix quidquam in Sullæ operibus clarius duxerim, quàm quòd, cum per triennium Cinnanæ, Marianæque partes Italiam obsiderent, neque illaturum se bellum iis dissimulavit, nec, quod erat in manibus, omisit; existimavitq; *ante frangendum hostem, quàm ulciscendum civem; repulsoq; externo metu, ubi, quod alienum esset, vicisset, superaret quod erat domesticum.* Ante adventum Lucii Sullæ Cinna, seditione orta, ab exercitu interemptus est, vir dignior, qui arbitrio victorum moreretur, quã iracundia militum. de quo verè dici potest, *ausum* eum, quæ nemo auderet bonus, perfecisse, quæ à nullo, nisi fortissimo, perfici possent; & fuisse eum in consultando temerariũ, in exsequendo virum. Carbo, nullo suffecto collega, solus toto anno consul

fuit. Putares, Sullam venisse in Italiam, non belli vindicem, sed pacis auctorem: tanta cum quiete exercitum per Calabriam, Apuliamq; cum singulari cura frugum, agrorum, hominū, urbium, perduxit in Campaniā; tentavitq; justis legibus, & æquis conditionib. bellum componere: sed iis *quibus* & pessima, & immodica cupiditas erat, non poterat pax placere. Crescebat interim in dies Sullæ exercitus, confluentibus ad eum optimo quoque, & suavissimo. Felici deinde circa Capuam eventu Scipionem Norbanumque Consules superat: quorum Norbanus, acie victus; Scipio, ab exercitu suó desertus, ac proditus, inviolatus à Sulla dimissus est. adeò enim Sulla *dissimilis* fuit bellator, ac victor, ut, dum vincit, mitissimo ac justissimo lenior, post victoriā iniquo fuerit crudelior. nam & Consul, ut prædiximus, exarmatū Q. Sertoriū (pro quanti mox belli facem!) & multos alios, potius eorum, dimisit incolumes: credo, ut in eodem homine duplicis, ac diversissimi animi conspiceretur exemplū. Post victoriam, quâ descendens montem Tisata cum Cajo Norbano concurrerat Sulla, grates Dianæ, cujus numini regio illa sacrata est, soluit; aquas salubritate, in medendisq; corporibus, nobiles; agros omnes addixit Deæ, hujus gratæ religionis memoria, & inscriptio, templi affixa posti, hodieq; testatur ærea tabula.

8. Interea deinde consules Carbo tertium & Cajus Marius septies consulis filius, annos natus viginti sex. vir animi magis, quàm ævi paterni, multa fortiterque molitus, neque usquam inferior nomine consulis, apud Sacriportum pulsus à Sulla acie, Præneste, quod ante naturâ munitum præsidiis firmaverat, se, exercitumque contulit. Ne quid unquā malis publicis deesset, *in qua civitate* semper virtutibus certatum erat, certabatur sceleribus; optimusq; sibi videbatur, qui fuerat pessimus. Quippe, dum ad Sacriportum dimicatur, Damasippus prætor Domitium Scævolā etiam Pont. max. & divini, humaniq; juris auctorem celeberrimum, & Cajum Carbonem prætorium, consulis fratrem, & Antistium ædilitium, velut faventes Sullæ partibus, in curia Hostilia trucidavit. Non perdat nobilissimi facti gloriam Calpurnia, Bestiæ filia, uxor Antistii, quæ, jugulato, ut prædiximus, viro, gladio seipsam transfixit. quantum hujus gloriæ famæq; accessit? *nunc* virtute eminet, patria latet. At Pontius Telesinius, dux Samnitium, vir domi

domi, bellique fortissimus, penitusque Romano nomini infestissimus, contractis circiter quadraginta millib. fortissimæ pertinacissimæque in retinendis armis juventutis, Carbone, ac Mario consulibus, ab hinc annos 40. Kalend. Novemb. ita ad portam Collinam cum Sulla dimicavit, ut ad summũ discrimen, & eum, & rempubl. perduceret: quæ non majus periculũ adiit, Hannibalis intra tertium miliarium castra conspicata, quam eo die, quo circumvolans ordines exercitus sui Telesinus, dictitans *adesse Romanis ultimum diem*, vociferabatur, *eruendamq; urbem*: adijciens, *nunquã defuturos raptores Italicæ libertatis lupos, nisi silva, in quam refugere solerent, esset excisa.* Post primã demum horam noctis & Romana acies respiravit, & hostium cessit. Telesinus postera die semianimis repertus est, victoris magis, quam morientis, vultum præferens: cujus abscissum caput ferri, gestariq; circa Præneste Sulla jussit. Tum demũ, desperatis rebus suis, Cajus Marius adolescens per cuniculos, qui, miro opere fabricati, in diversas agrorum partes ferunt, conatus erumpere, cùm foramine è terra emersisset, à dispositis in id ipsum interemptus est. Sunt, qui sua manu: sunt, qui concurrentem mutuis ictibus cum minore fratre Telesino, unà obsesso, & erumpente, occubuisse prodiderint, utcumq; cecidit, hodieque *tanta Patris* imagine nõ obscuratur ejus memoria. de quo juvene quid existimaverit Sulla, in promptu est. occiso enim demũ eo, Felicis nomen assumpsit: quod quidẽ *usurpasset* justissimè, si eundẽ & vincendi, & vivendi finem habuisset. Oppugnationi autem Prænestis ac Marii præfuerat Osella Lucretius: qui, cùm ante Marianarũ fuisset partium, Prætor ad Sullam transfugerat. Felicitatẽ diei, quo Samnitium, Telesinique pulsus est exercitus, Sulla perpetuâ ludorum Circensium honoravit memoriâ, quibus sine nomine Sullanæ victoriæ celebrantur. Paulò antè, quam Sulla ad Sacriportum dimicaret, magnificis prœliis partium ejus viri hostium exercitum fuderant, duo Servilii apud Clusium, Metellus Pius apud Faventiã. M. Lucullus circa Fidentiam.

9. Videbantur finita belli civilis mala, cùm Sullæ crudelitate aucta sunt. Quippe, dictator creatus, (cujus honoris usurpatio per annos centũ viginti intermissa. nam proximus post annum fuit, quàm Hannibal Italia excesserat: ut appareat populum Romanũ usum dictatoris non tam

desideraße, quàm timuiße potestatẽ imperii, quo priores ad vindicandã maximis periculis rempubl. usi fuerant) immodicæ crudelitatis licentia usus est. Prim⁹ ille, & utinam ultimus, exemplum proscriptionis invênit, ut, *in qua civitate*, petulantis convicii judiciũ histrioni exoleto redditur, in ea, jugulati civis reipubl. constitueretur auctoramentum; plurimumq; haberet, qui plurimos interemisset; neque occisi hostis, quàm civis, uberius foret præmium; fieretq; quisque merces mortis suæ. Nec tamen in eos, qui contrà arma tulerant, sed in multos insontes sævitum, adjectum etiam, ut bona proscriptorum venirent; exclusiq; paternis opibus liberi, etiam petendorum honorum jure prohiberentur; simulque, quod *indignissimum est*, senatorum filii & onera ordinis sustinerent, & jura perderent.

10. Sub adventum in Italiam Lucii Sullæ, Cn. Pompeius, ejus Pompeii filius, quem magnificentissimas res in consulatu gessisse bello Marsico, prædiximus, viginti tres annos natus, ab hinc annos centum tredecim privatis ut opibus, ita consiliis magna ausus, magnificeque conata exsecutus, ad vindicandam restituendamque dignitatem patriæ, firmũ ex agro Piceno, qui totus paternis ejus clientelis refertus erat, contraxit exercitum. cujus viri magnitudo multorum voluminũ instar exigit; sed operis modus paucis eum narrari jubet. Fuit hic genitus matre Lucilia, stirpis senatoriæ, forma excellens, non ea, qua flos cõmendatur ætatis, sed ex dignitate, constantiaque in illam convenienti amplitudinem, fortunam quoque ejus, ad ultimũ vitæ comitata est diem: innocentia eximius, sanctitate præcipuus, eloquentia medius; *potentiæ*, quæ honoris caussa ad eum deferretur, non ut ab eo occuparetur, cupidissimus; dux bello peritissim⁹, civis in toga (nisi ubi vereretur, ne quem haberet parem) modestissimus; amicitiarum tenax, in offensis exorabilis, in reconcilianda gratia fidelissimus, in accipienda satisfactione facillimus, *Potentia* sua nunquã, aut rarò ad impotentiã usus, penè omniũ votorũ expers, nisi *numeraretur* inter maxima, in civitate libera dominaque gentium, indignari, cùm omnes cives jure haberet pares, quemquam æqualem dignitate conspicere. Hic, à toga virili assuetus commilitio prudentissimi ducis parentis sui, bonum, & capax recta discendi ingeniũ, singulari rerum militarium prudentia excoluit; ut à Ser-

tertio Metellus laudaretur magis, Pompeius timeretur validiùs. Tum Marcus Perperna, prætorius, è proscriptis, *gentis* clarioris, quàm animi, Sertorium inter cœnam Eroscæ interemit, Romanisq; certam victoriam, partibus suis excidium, sibi turpissimā mortē pessimo auctoravit facinore. Metellus & Pompeius ex Hispanis triumpharunt; sed Pompeius, hoc quoq; triumpho, adhuc eques Romanus, ante diem, quàm consulatum iniret, curru urbem invectus est. quem virum, quis non miretur, per tot extraordinaria imperia in summū fastigium evectum, iniquo tulisse animo, Caii Cæsaris, in altero consulatu petendo, senatum pop. Rom. rationem habere? adeò *familiare* est hominibus, omnia sibi ignoscere, nihil aliis remittere; & invidiam rerum non ad caussam, sed ad voluntatē, personasq; dirigere. Hoc consulatu Pompeius tribunitiā potestatem restituit, cujus Sulla imaginem in jure reliquerat.

11. Dum Sertorianū bellum in Hispania geritur, sexaginta quatuor fugitivi è ludo gladiatorio Capua profugientes, duce Spartaco, raptis ex ea urbe gladiis, primo Vesuvium montem petiēre, mox, crescente in dies multitudine, gravibus variisque casibus affecēre Italiam. quorum numerus in tantum adolevit, ut, qua ultimò dimicavēre acie, quadraginta millia hominum se Romano exercitui opposuerint. Hujus patrati gloria penes Marcum Crassum fuit, mox Rom. omniū principem. Converterat Cn. Pompeii persona totum in se terrarū orbem, & per omnia majore vi habebatur; qui cum consul perquam laudabiliter jurasset, *se in nullam provinciam ex eo magistratu iturum*, idque servasset, post biennium Aulus Gabinius tribunus legem tulit, ut, cum belli more, non latrociniorū, orbem classibus jam, non furtivis expeditionibus, piratæ terrerent, quasdam etiam Italiæ urbes diripuissent; Cn. Pompeius ad eos opprimendos mitteretur; essetque ei imperium æquum in omnibus provinciis cum proconsulibus, usque ad quinquagés. milliarium à mari. quo Senatusconsulto, pæne *totius* terrarū orbis imperium uni viro deferebatur; sed tamen idem hoc ante biennium in M. Antonii prætura decretum erat. sed interdum persona, ut exemplo nocet, ita invidiam auget, aut levat. in Antonio homines æquo animo passi erant. raro enim invidetur eorum honoribus, quorum vis non timetur. contrà, in iis homines extraordinaria

naria reformidant, qui ea suo arbitrio aut deposituri, aut retenturi videntur, & modũ in voluntate habẽt. Dissuadebant optimates: sed consilia impetu victa sunt. Digna est memoria Q. Catuli cùm auctoritas, tum verecundia; qui cùm, dissuadens legem, in cõcione dixisset, esse quidẽ præclarũ virũ Cn. Pompeiũ, sed nimiũ jam liberæ reip. neque omnia in uno reponenda; adjecissetque. Si quid huic acciderit, quẽ in ejus locum substituetis? succlamavit universa concio, Te, Q. Catule. Tum ille, victus consensu omniũ, & tam honorifico civitatis testimonio, è cõcione discessit. Hic hominis verecundiã, populi justitiã mirari libet: huj' quod non ultrà contendit; plebis, quòd dissuadentẽ, & adversariũ voluntatis suæ, vero testimonio fraudare noluit.

12. Per idem tempus Cotta judicandi munus, quod Cajus Gracchus, ereptum senatui, ad equites. Sulla ab illis ad senatum transtulerant, æqualiter inter utrumque ordinem partitus est. & Otho Roschius lege sua equitibus in theatro loca restituit. At Cn. Pompeius, multis & præclaris viris in id bellum assumptis, descriptoq; in omnes recessus maris præsidio navium, brevi, inexsuperabili manu, terrarum orbem liberavit, prædonesque per multa prœlia multis locis victos, circa Ciliciam classe aggressus, fudit ac fugavit. &, quò maturius bellum, tam latè diffusum, conficeret, reliquias eorum contractas, in urbibus, remotoque à mari loco, incerta sede constituit. Sunt qui hunc carpant. sed, quamquam in auctore satis rationis est, tamen ratio quemlibet magnũ auctorem faceret. data enim facultate, sine rapto vivendi, rapinis arcuit. Cum esset in fine bellum Piraticum, & Luc. Lucullus, (qui, ante septem annos ex consulatu sortitus Asiam, Mithridati oppositus erat, magnasque ac memorabiles res ibi gesserat, Mithridatẽ sæpe multis locis fuderat, egregia Cyzicum liberarat victoria, Tigranem, regum maximũ, in Armenia vicerat, ultimãq; bello manum penè magis noluerat imponere, quam non potuerat, qui, alioqui *per omnia* laudabilis, & bello penè invictus, pecuniæ expellebatur cupidine) idem bellum adhuc administraret, Manilius trib. pleb. semper venalis, & alienæ minister potentiæ, legem tulit, ut bellum Mithridaticum per Cn. Pompeium administraretur. Accepta ea, magnisque certatum inter imperatores jurgiis, cum Pompeius Lucullo infamiam pecuniæ, Lucullus Pompeio inter-

termi-

terminatam cupiditatem objiceret imperij, neuterque ab eo, quod arguebatur mentitus argui posset. nam neque Pompeius, ut primùm ad rempub. aggressus est, quenquã animo parem tulit: & *in quibus* rebus primus esse debebat, solus esse cupiebat. neque eo viro quisquã, aut alia omnia minus, aut gloriam magis concupiit. in appetendis honoribus immodicus, in gerendis verecundissimus; ut qui eos, ut libentissimè iniret, ita finiret æquo animo; & quod cupisset arbitrio suo sumere, alieno deponeret. & Lucullus, summus alioqui vir, profusæ hujus in ædificiis convictibusque, & apparatibus luxuriæ primus auctor fuit: quem ob injectas moles mari, & receptum suffossis montibus in terras mare, haud infacetè Magn. Pompeius *Xerxem togatum* vocare assueverat. Per id tempus à Q. Metello Creta insula in pop. Rom. potestatem redacta est, quæ, ducibus Panate, & Lasthene, viginti quatuor millibus juvenum coactis, velocitate pernicibus, armorum laborumq; patientissimis, sagittarum usu celeberrimis, per trienn. Romanos exercitus fatigaverat. Ne ab hujus quidem usura gloriæ temperavit animum Cn. Pompeius, qui victoriæ partem conaretur vindicare, sed & Luculli & Metelli triumphum cum ipsorum singularis virtus, tum etiam invidia Pompeii apud optimum quemque fecit favorabilem.

13. Per hæc tempora *M. Cicero*, qui *omnia* incrementa sua sibi debuit, vir novitatis nobilissimæ, &, ut vita clarus, ita ingenio maximus, qui effecit, ne, quorum arma viceramus, eorum ingenio vinceremur; consul, Sergii Catilinæ, Lentulique, & Cethegi, & aliorum utriusq; ordinis virorum conjurationem singulari virtute, constantia, vigilia, curaque eripuit. Catilina metu consularis imperii urbe pulsus est. Lentulus consularis, & prætor iterum, Cethegusque, & alii, clari nominis viri, auctore senatu, jussu consulis, in carcere necati sunt. Ille senatus dies, quo hæc acta sunt, virtutem Marci Catonis, jam multis in rebus conspicuam, atque prænitentem, altissimè inluminavit. Hic genitus proavo Marco Catone, principe illo familiæ Porciæ, homo *virtuti* simillimus, & per omnia ingenio Diis, quàm hominibus, propior, qui nunquam rectè fecit, ut facere videretur, sed quia aliter facere non poterat, cuique id solum visum est rationem habere, quod haberet justitiam, omnib. humanis vitiis immunis, semper fortunam

in sua potestate habuit. hic, trib. plebis designatus, adhuc admodum adolescens, cum alii suaderent, ut per municipia Lentulus, conjuratiq; custodirentur, pænè inter ultimos interrogatus sententiã, tanta vi animi atque ingenii, invectus est in conjurationem, ut ardore oris orationem omnium lenitatem suadentium, societate consilii, suspectam fecerit: sic impendentia ex ruinis incendiisque urbis, & cõmutatione status publici pericula exposuit, ita Consulis virtutem amplificavit, ut universus senatus in ejus sententiam transiret, *animadvertendumq; in eos*, quos prædiximus, censeret; majorque pars ordinis ejus Catonem prosequerentur domũ. At Catilina non segnius nota obiit, quàm sceleris conandi consilia inierat: quippe, fortissimè dimicans, quem spiritum supplicio debuerat, supplicio reddidit.

14. Consulatui Ciceronis non mediocre adjecit decus natus eo anno *D. Augustus* abhinc annos octoginta duos, omnibus omnium gentium viris magnitudine sua inducturus caliginẽ. Iam pænè supervacaneum videri potest, eminentium ingeniorũ notare tempora. quis enim ignorat diremptos gradibus ætatis floruisse hoc tempore Ciceronem, Hortensium, sanéque Crassum, Catonem, Sulpicium, moxque Brutum, Calidium, Cœlium, Calvum, & proximum Ciceroni Cæsarem; eorumque velut alumnos Corvinum, ac Pollionem Asinium, æmulumque Thucydidis Sallustium, auctoresque carminum Varronem, ac Lucretium, neque ullo in suscepti operis sui carmine minorem Catullum. Pænè stulta est, inhærentium oculis ingeniorum enumeratio, inter quæ maximè nostri ævi eminent, princeps carminum Virgilius, Rabiriusque & consecutus Sallustium Livius, Tibullusque, & Náso, perfectissimè in forma operis sui. nam *Vivorum* ut magna admiratio, ita censura difficilis est.

15. Dum hæc in urbe, Italiaque geruntur, Cn. Pompeius memorabile adversus Mithridatem, qui post Luculli profectionem magnas novi exercitus vires reparaverat, bellum gessit. At rex, fusus fugatusque & omnibus exutus copiis, Armeniam Tigranemq; socerum petit, regem ejus temporis, nisi qua Luculli armis erat infractus, potentissimum. Simul itaq. duos persecutus Pompeius, intravit Armeniam. prior filius Tigranis, sed discors patri, pervenit ad

ad Pompeium, mox ipse supplex, & præsens se regnumq; ditioni ejus permisit, præfatus *neminem alium, neq; Romanum, neq; ullius gentis virum, futurum fuisse, cujus se societati cõmissurus foret. quam Cn. Pompeium, proinde omnem sibi vel adversam, vel secundam, cujus auctor ille esset, fortunam tolerabilem futuram: non esse turpe, ab eo vinci, quem vincere esset nefas: neq; ei inhonestè aliquem submitti; quem fortuna super omnes extulisset.* Servat⁹ regi honos imperii, sed multato ingenti pecunia; quæ omnis, sicuti Pompeio moris erat, redacta in quæstoris potestatem, ac publicis descripta litteris Syria, aliæque, quas occupaverat, provinciæ, ereptæ, & aliæ restitutæ pop. Rom., aliæ tum in ejus potestatem redactæ, ut Syria, quæ tum primùm facta est stipendiaria. Finis imperii regis terminatus Armeniâ.

16. Cæsare postremò consule, inter eum, & Cn. Pompeium, & M. Crassum inita potentiæ societas quæ urbi, orbique terrarum, nec minus, diverso quoque tempore, ipsis exitiabilis fuit. Hoc consilium sequendi Pompeius causam habuerat, ut tandem acta in transmarinis provinciis, quibus, ut prędiximus, multi obtrectabant, per Cæsarem confirmarentur consulẽ: Cęsar autem, quòd animadvertebat se, *cedendo* Pompeii gloriæ, aucturũ suam, &, invidiâ cõmunis potentiæ in illum relegatâ, confirmaturũ vires suas: Crassus, ut, quem principatũ solus assequi non poterat, auctoritate Pompeii, viribus teneret Cęsaris. Affinitas etiã inter Cæsarem, Pompeiumq; contracta nuptiis, quippe filiam Caii Cæsaris Cn. Magnus duxit uxorem. In hoc cõsulatu Cæsar legem tulit, *ut ager Campanus plebi divideretur*, suasore legis Pompeio. in circiter viginti millia civium eò deducta, & jus ab his restitutũ, post annos circiter centũ quinquaginta duos, quàm bello Punico ab Romanis *Capua* in formam præfecturæ redacta erat. Bibulus collega Cæsaris, cùm actione ejus magis vellet impedire, quàm posset, majore parte anni domi se tenuit. quo facto, dum augere vult invidiam collegæ, auxit potentiã. Tum Cæsari decretæ in quinquennium Galliæ.

17. Per idem tempus Publius Clodius, homo nobilis, disertus, audax, qui neque dicendi, neque faciendi ullum nisi quem vellet, nosset modum, malorum propositorum exsecutor acerrimus, infamis etiã sororis stupro, & actus incesti reus, ob initum inter religiosissima pop. Rom. sacra, adul-

adulterium; cùm graves inimicitias cum Marco Cicerone exerceret, quid enim *inter* tam dissimiles amicum esse poterat?) & à patribus ad plebem transiret, legem in tribunatu tulit: *Qui civem Romanum damnatum interemisset, ei aqua & igni interdiceretur.* Cujus verbis, etsi non nominabatur Cicero, tamen solus petebatur. ita vir optimè meritus de republicâ conservatæ patriæ pretium calamitatem exsilii tulit. Non caruerunt suspicione oppressi Ciceronis Cæsar & Pompeius. Hoc sibi contraxisse videbatur Cicero, quod inter viginti viros dividendo agro Campano esse noluisset. Idem intra biennium, serâ Cn. Pompeii curâ, verùm & cupito interitu, votisque Italiæ, ac decretis senatus, virtute atque actione Annii Milonis, tribuni plebis dignitati patriæque restitutus est. Neque, post Numidici exsilium, aut reditum, quisquam aut expulsus invidiosiùs, aut receptus est lætiùs. Cujus domus, quàm infestè à Clodio disjecta erat, tam speciosè à senatu restituta est. Idem Publius Clodius in senatu, sub honorificentissimo ministerii titulo, Marcum Catonem à republicâ relegavit. quippe legem tulit, *ut is quæstor cum jure prætorio, adjecto etiam quæstore, mitteretur in insulam Cyprum, ad spoliandum regno Ptolemæum*, omnibus morum vitiis eam contumeliam meritum. sed ille, sub adventum Catonis, vitæ suæ vim intulit: unde pecuniam longè speratâ majorem Cato Romam retulit: cujus integritatem laudari nefas est: insolentia penè argui potest, quòd, unà cum consulibus ac senatu effusa civitate, obviam cùm per Tiberim subiret navibus, non antè is egressus est, quàm ad eum locum pervenit, ubi erat exponenda pecunia.

18. Cùm deinde immanes res, vix multis voluminibus explicandas, Cajus Cæsar in Gallia ageret; nec contentus plurimis, ac felicissimis victoriis, innumerabilibusque cæsis, & captis hostium millibus, etiam in Britanniam transjecisset exercitum, alterum penè imperio nostro, ac suo quærens orbem: invictum par consulum Cn. Pompeius, & Marcus Crassus, alterum iniêre consulatum, qui neque petitus honestè ab his, neque probabiliter gestus est. Cæsari, lege quam Pompeius ad populum tulit, prorogatæ in idem spatium temporis provinciæ: Crasso, bellum *Parthicum* in animo molienti, Syria decreta. qui vir, *cetera* sanctissimus, immunisque volu-

pt ati-

ptatibus, neque in pecuniâ, neque in gloriâ concupiscendâ aut modum norat, aut capiebat terminum. hunc proficiscentem in Syriam diris cum omnibus, tribuni plebis frustrà retinere conati. quorum exsecrationes si in ipsum tantummodò valuissent, utile imperatoris damnum salvo exercitu fuisset reipubl. Transgressum Euphratem Crassum, petentemque Seleuciam, circumfusis immanibus copiis equitum, rex Orodes unà cum parte majore Romani exercitus interemit. reliquias legionum Cajus Cassius, atrocissimi mox auctor facinoris, tum quæstor, conservavit; Syriamque adeo in Pop. Rom. potestate retinuit, ut transgressos in eam Parthos, felici rerum eventu fugaret, ac funderet. Per hæc, insequentiaque, & quæ prædiximus, tempora, amplius quadraginta millium hostium à Cajo Cæsare cæsa sunt, plura capta. pugnatum sæpe directâ acie, sæpe in agminibus, sæpe eruptionibus. his penetrata Britannia, novem denique æstatibus, vix ullâ non justissimus triumphus emeritus. Circa Alexiam verò tantæ res gestæ, quantas audire, vix hominis; perficere, penè nullius, nisi Dei, fuerit. Septimo fermè anno Cæsar morabatur in Galliis, cùm medium jam ex invidiâ Pompei malè coherentis inter Cn. Pompeium, & Cajum Cæsarem concordiæ pignus, Iulia, uxor Magni, decessit; atq; omnia inter destinatos tanto discrimine duces dirimente fortunâ, filius quoque parvus Pompeii, Iulia natus, intra breve spatium obiit. Tum, in gladios, cædesque civium furente ambitu, cujus neque finis repieriebatur, nec modus, tertius consulatus soli Cn. Pompeio, etiam adversantium anteà dignitati ejus, judicio delatus est. cujus ille honoris gloria, veluti reconciliatis sibi optimatibus, maximè à Cajo Cæsare alienatus est. sed ejus consulatus omnem vim in coercitionem ambitus exercuit.

19. Quo tempore Publius Clodius, à Milone, candidato consulatus, *exemplo* inutili, facto salutari reip. circa Bovillas, contracta ex occursu rixa, jugulatus est. Milonem reum non magis invidia facti, quam Pompei damnavit voluntas. quem quidem Marcus Cato palàm lata absolvit sententia. quam *si maturius* tulisset, non defuissent, qui sequerentur exemplum; probarentque eum civem occisum, quo nemo perniciosior reipublicæ, neque bonis inimicior vixerat.

20. In-

20. Intra breve deinde spatium belli civilis exarserunt initia, cùm justissimus quisque & à Cæsare, & à Pompeio vellet dimitti exercitus. quippe Pompeius in secundo consulatu Hispanias sibi decerni voluerat, easque per triennium absens ipse, ac præsidens urbi, per Afranium, & Petreium, consularem, ac prætorium, legatos suos administrabat; & iis, qui à Cæsare dimittendos exercitus contendebant, assentabatur; iis, qui ab ipso quoque, adversabatur, qui si ante biennium, quàm ad arma itum est, perfectis muneribus theatri, & aliorum operum, quæ ei circumdedit, gravissima tentatus valetudine, decessisset in Campaniâ, (quo quidē tempore universa Italia vota pro salute ejus, primo omnium civium, suscepit) defuisset fortunæ destruendi ejus locus; &, quam apud superos habuerat magnitudinem, inlibatam detulisset ad inferos. Bello autem civili, & tot, quæ deinde per continuos viginti annos consecuta sunt, malis, non alius majorem, flagrantioremque, quàm Cajus Curio, trib. plebis subjecit facem, vir nobilis, eloquens, audax, suæ, alienæq; & fortunæ, & pudicitiæ prodigus, homo ingeniosissimè nequā, & *facundus* malo publico: cujus animo, voluptatibus, vel libidinibus, neque opes ullæ, neque cupiditates sufficere possent. hic primò pro Pompeii partibus, id est, ut tunc habebatur, pro republica, mox. simulatione, contra Pompeium & Cæsarem, sed animo pro Cæsare stetit. id gratis, an accepto centies sestertium, fecerit, ut accepimus, in medio relinquemus, ad ultimum, saluberrimas; & coalescentis conditiones pacis, quas & Cæsar justissimo animo postulabat, & Pompeius æquo recipiebat, discussit, ac rupit; unicè cavente Cicerone concordiæ publicæ. Harum, præteritarumque rerum ordo cùm justis aliorum voluminibus promitur, tum, uti spero, nostris explicabitur. Nunc proposito operi sua forma reddatur, si priùs gratulatus ero Q. Catulo, duobus Lucullis, Metelloque & Hortensio; qui cùm sine invidia in rempubl. floruissent, eminuissentque sine periculo; quietâ, aut certè non præcipitatâ, fatali ante initium bellorum civilium morte functi sunt.

21. Lentulo, & Marcello Consulibus, post urbem conditā annis septingentis tribus, & anno octuagesimo octavo, quàm tu, (Marce Vinici,) consulatum inires, bellum civile exarsit. Alterius ducis caussa melior videbatur, alterius

rius erat firmior, hic omnia speciosa, illic valentia. Pompeium senatus auctoritas, Cæsarem militum armavit fiducia. Consules, senatusque caussæ, non Pompeio, summam imperii detulerunt. *Nihil* relictum à Cæsare, quod servandæ pacis caussa, tentari posset. nihil receptū à Pompeianis; cum alter consul justo esset ferocior; Lentul⁹ verò salva republ. salvus esse non posset; Marcus autem Cato *moriendū antè, quàm ullam conditionem civis accipiendam reipublicæ* contenderet. *Vir antiquus* & gravis, Pompeii partes laudaret magis; prudens sequeretur Cæsaris; & illa gloriosa, hæc terribiliora duceret. Vt deinde, spretis omnibus, quæ Cæsar postulaverat, tantummodò, *contentus cum una legione titulum retinere provinciæ, privatus in urbem veniret, & se in petitione consulatus suffragiis Populi Romani committere decrevit.* Ratus bel andum Cæsar, cum exercitu Rubiconem transiit; Cnæus Pompeius, consulesque, & major pars senatus, relicta urbe, ac deinde Italia, transmisere Dyrrhachium. At Cæsar Domitio, legionibusque Corfinii, quæ unà cum eo fuerant, potitus, duce, aliisque, qui voluerant abire ad Pompeium, sine dilatione dimissis, persecutus Brundisium, ita ut appareret, *malle integris* rebus, & conditionibus finire bellum, quàm opprimere fugientes, eum transgressos reperisset Consules in urbem revertit: redditaque ratione consiliorum suorum in senatu & in concione, ac miserrimæ necessitudinis, cùm *alienis* armis ad arma compulsus esset, Hispanias petere decrevit. Festinationem itineris ejus aliquandiu morata Massilia est; *fide melior*, quàm consilio prudentior, intempestivè principalium armorum arbitria captans; quibus ii se debent interponere, qui non parentem coërcere possunt. Exercitus deine, qui sub Afranio consulari, ac Petreio prætorio fuerat, ipsius adventu, vigore, ac fulgore occupatus, se Cæsari tradidit. Vterque legatorum, & quisquis cujusque ordinis sequi eos voluerat, remissi ad Pompeium. Proximo anno, cùm Dyrrhachium, ac vicina ei urbi regio, castris Pompeii teneretur, (qui, accitis ex omnibus transmarinis provinciis legionibus, equitum ac peditum auxiliis, regumque & tetrarcharum, simulque dynastarum copiis, immanem exercitum confecerat, & mare præsidiis classium, ut rebatur, sepserat,

quo

quo minùs Cæsar legiones posset transmittere) suâ celeritate, & fortuna C. Cæsar usus, nihil in morâ habuit, quo minùs, &, cùm vellet, ipse, exercitusq; classibus perveniret, & primò penè castris Pompeii sua jungeret, mox etiam obsidione munimentisq; eum complecteretur. Sed inopia obsidentibus, quàm obsessis, erat gravior. Tum Balbus Cornelius, *excedente* humanam fidem temeritate, ingressus castra hostium, sæpiusque cum Lentulo collocutus consule, dubitante quanti se venderet, illis incrementis fecit viam, quibus non Hispaniæ sue natus, sed Hispanus in triumphum, & pontificatum assurgeret, fieretque ex privato consularis. Variatum deinde prœliis, sed uno longè magis Pompeianis prospero, quo graviter impulsi sunt Cæsaris milites.

22. Tum Cæsar cum exercitu fatalem victoriæ suæ Thessaliam petiit. Pompeius, longè diversa aliis suadentibus, (quorum pleriq; hortabantur, ut in Italiam transmitteret: nempe herculè quidquam partibus illis salubrius fuit, alii, ut bellum traheret, quod dignatione partium indies ipsis magis prosperum fieret) usus impetu suo, hostem secutus est. Aciem Pharsalicam, & illum cruentissimum Romano nomini diem, tantumque utriusque exercitus profusum sanguinis, & collisa inter se duo reipubl. capita, effusumque alterum Rom. imperii lumen, tot talesque Pompeianarum partium cæsos viros, non recipit enarranda hic scripturæ modus. Illud notandum est: ut primum Cajus Cæsar inclinatam vidit Pompeianorum aciem, neque prius, neque antiquius quidquam habuit, quàm in omnes partes (ut militari & verbo, & consuetudine utar) dimitteret. Pro dii immortales, quod hujus voluntatis erga Brutum suæ posteà vir tam mitis pretium tulit! Nihil illa victoria mirabilius, magnificentius, clarius fuit; quando *neminem*, nisi acie consumptum, civem patria desideravit; sed munus misericordiæ corrupit pertinacia, cùm *libentius* vitam victor jam daret, quàm victi acciperent. Pompeius, profugiens cum duobus Lentulis consularibus, Sextoque filio, & Favonio prætorio, quos fato comites ei fortuna aggregaverat, aliis ut Parthos, aliis ut Africam peteret, (in qua fidelissimū partium suarum haberet regem Jubam) suadenti-

dentibus; Ægyptum petere proposuit, memor beneficiorum, quæ in patrem ejus Ptolomæi, qui tam puero, quàm juveni, propior regnabat, Alexandriæ contulerat. Sed quis in adversis beneficiorum servat memoriam? aut quis ullam calamitosis deberi putat gratiam? aut quando fortuna non mutat fidem? Missi itaque ab rege, qui venientem Cn. Pompeium (is jam à Mitylenis Corneliam uxorem receptam in navem, fugæ comitem habere cœperat) consilio Theodoti, & Achillæ exciperent, hortarentur que, ut ex onerariâ in eam navem, quæ obviam processerat, transcenderet: quod cùm fecisset, princeps Romani nominis, imperio, arbitrioque Ægyptii mancipii, Cajo Cæsare, Publio Servilio Consulibus, jugulatus est. Hic, post tres consulatus, & totidem triumphos, domitumque terrarum orbem sanctissimi, ac præstantissimi viri, in id evecti, super quod ascendi non potest, duodesexagesimum annum agentis, pridie natalem ipsius, vitæ fuit exitus: in tantum in illo viro à se *discordante* fortuna, ut, cui modò ad victoriam terra defuerat, deesset ad sepulturam. Quid aliud, quàm nimium occupatos dixerim, quos in ætate & tanti, & pænè nostri seculi, viri fefellit quinquennium? cùm à Cajo Atilio, & Quinto Servilio consulibus tam facilis esset annorum digestio. quod adjeci, non ut arguerem, sed ne arguerer. Non fuit major in Cæsarem, in Pompeium fuerat, regis eorumque, quorum is auctoritate regebatur, fides, quippe cum venientem eum tentassent insidiis, ac deinde bello lacessere auderent, utrique summo imperatorum, alteri superstiti meritas pœnas luêre suppliciis. Nusquam erat Pompeius corpore, adhuc ubique Iubæ nomine: quippe ingens partium ejus favor bellum excitaverat Africum, quod ciebat rex Iuba, & Scipio, vir consularis, ante biennium, quàm exstingueretur Pompeius, lectus ab eo socer, eorumque copias auxerat Marcus Cato, ingenti cum difficultate itinerum locorumque inopia, perductis ad eos legionibus: qui vir, cùm summum ei à militibus deferretur imperium, *honoratiori* parêre maluit. Admonet promissæ brevitatis fides quanto omnia transcursu dicenda sint. Sequens fortunam suam Cæsar, pervectus in Africam, quam occiso Curione, Iulianarũ duce partium.

Pom-

Pompeiani obtinebant exercitus, ibi primò varia fortunam expugnavit via, inclinatæque hostium copiæ. Nec dissimilis ibi adversus victos, quàm in priores, clementia Cæsaris fuit. Victorem Africani belli Caium Cæsarem gravius excepit Hispaniense, (nam victus ab eo Pharnaces vix quidquam gloriæ ejus adstruxit) quod Cajus Pompeius, Magni filius, adolescens, impetus ad bella maximi, ingens ac terribile conflaxerat, undique ad eum adhuc paterni nominis magnitudinem sequentium, ex toto orbe terrarum auxiliis confluentibus. Sua Cæsarem in Hispaniam comitata fortuna est. sed nullum unquam atrocius periculosiusque ab eo initum prœlium, adeò ut plus quàm dubio Marte, descenderet equo, consistensque ante recedentem suorum aciem, increpita priùs fortuna, quòd se in eum servasset exitum, denunciaret militibus, vestigio se non recessurum: proinde viderent, quem, & quo loco Imperatorem deserturi forent. verecundia magis, quàm virtute, acies restitutæ, certatum à duce, quàm à milite, fortiùs. Cn. Pompeius, gravis vulnere inventus, inter solitudines avias interemptus est. Labienum, Varumque acies abstulit.

23. Cæsar, omnium victor, regressus in urbem, (quod humanam excedat fidem,) omnibus, qui contra se arma tulerant, ignovit, magnificentissimisque gladiatorii muneris, naumachiæ, & equitum peditumque, simul elephantorum certaminis spectaculis, epulique per multos dies dati celebratione, replevit eam. Quinque egit triumphos. Gallici apparatus ex citro, Pontici ex acantho, Alexandrini testudine, Africi ebore, Hispanensis argento rasili constitit. Pecunia, ex manubiis lata, paulò ampliùs sexies millies sestertiùm. Neque illi tanto, & tam clementer omnibus victoriis suis uso, plus quinque mensium principalis quies contigit: quippe cùm mense Octobri in urbem revertisset; idibus Martiis, conjurationis auctoribus Bruto & Cassio (quorum alterum, promittendo consulatum non obligaverat, contrà, differendo Cassium offenderat; adjectis etiam consiliariis cædis familiarissimis omnium, & fortuna partium ejus in summum erectis fastigium. Decimo Bruto, & Cajo Trebonio, aliisque claris nominis viris) interemptus est. cui magnam invidiam con-

conciliarat Marcus Antonius, omnibus audendis paratissimus, consulatus collega, imponendo capiti ejus Lupercalibus sedentis pro Rostris insigne regium, quod ab eo ita repulsum erat, ut non offensus videretur. Laudandum *experientia* consilium est Pansæ atque Hirtii, qui semper prædixerant Cæsari, *ut principatum, armis quæsitum, armis teneret*, ille, dictitans, *mori se, quàm timeri malle*, dum clementiam, quam præstiterat, exspectat, incautus ab ingratis occupatus est; cùm quidem plurima præsagia atque indicia dii immortales futuri obtulissent periculi, nam & haruspices præmonuerant, *ut diligentissimè iduum Martiarum caveret diem*; & uxor Calpurnia, territa nocturno visu, *ut ea die domi subsisteret*, orabat, & libelli, conjurationem nunciantes, dati, neque ab eo protinus lecti erant. Sed profectò *ineluctabilis* fatorum vis, cujus cùm fortunam mutare constituit, consilia corrumpit. Quo anno id patravere facinus; Brutus, & Cajus Cassius, prætores erant, Decimus Brutus consul designatus. Hi unà cum conjurationis globo, stipati gladiatorum Decimi Bruti manu, Capitolium occupavère, cùm consul Antonius, (quem cum simul interimendum censuisset Cassius, testamentumque Cæsaris abolendum, Brutus repugnaverat; dictitans, *nihil amplius civibus præter tyranni*, ita enim appellari Cæsarem facto ejus expediebat; *petendum esse sanguinem*) convocato Senatu, cùm jam Dolabella, quem substituturus sibi Cæsar designaverat consulem, fasces atque insignia corripuisset consularia, velut pacis auctor, liberos suos obsides in Capitolium misit, fidemq; descendendi tutò interfectoribus Cæsaris dedit: & illud decreti Atheniensium celeberrimi exemplum, relatum à Cicerone, *oblivionis* præteritarum rerum, decreto Patrum comprobatum est.

24. Cæsaris deinde testamentum apertum est, quo Cajum Octavium, nepotem sororis suæ Iuliæ, adoptabat; de cujus origine, etiamsi præventis pauca dicenda sunt. Fuit Cajus Octavius, ut non patriciâ, ita admodum speciosâ equestri genitus familiâ, gravis, sanctus, innocens, dives. Hic prætor inter nobilissimos viros creatus, primo loco, cùm ei dignatio Iuliâ genitam Atiam conciliasset uxorem, ex eo honore sortitus Macedoniam, appellatusque in ea Imperator, decedens ad petitionem consulatus obiit.

prætextato relicto filio, quem Cajus Cæsar, major ejus avunculus, educatum apud Philippum Vitricum, dilexit ut suum, natumque annos octodecim, Hispaniensis militiæ assecutum se postea comitem habuit, nunquam aut alio usum hospitio, quàm suo, aut alio vectum vehiculo: pontificatusque sacerdotio puerum honoravit. Et pacatis bellis civilibus, ad erudiendum liberalibus disciplinis singularis indolem juvenis, Apolloniam eum in studia miserat, mox belli Getici, ac deinde Parthici habiturus commilitonem. Cui ut est nunciatum de cæde avunculi, cùm protinus ex vicinis legionibus centuriones suam, suorumque militum operam ei pollicerentur; neque eam spernendam Salvidienus, & Agrippa dicerent; ille festinans pervenire in urbem omnem ordinationem & necis & testamenti Brundisii comperit. Cui adventanti Romam, immanis amicorum occurrit frequentia; &, cùm intraret urbem, Solis orbis super caput ejus, curvatus æqualiter, rotundatusque in colorem arcus, veluti coronam tanti mox viri capiti imponens, conspectus est. Non placebat Atiæ matri Philippoque vitrico, adiri nomen invidiosæ fortunæ Cæsaris; sed *asserebant* salutaria reipubl. terrarumque orbis fata conditorem, conservatoremq; Romani nominis, Sprevitque itaque cælestis animus humana consilia, *& cum periculo* potiùs summa, quàm tutò humilia, proposuit sequi, maluitque avunculo, & Cæsari de se, quàm vitrico, credere; dictitans, nefas esse, quo nomine Cæsari dignus esset visus, semetipsum videri indignum. Hunc protinus Antonius consul superbè excipit, (neque is erat *contemptus*, sed metus) vixque admisso in Pompeianos hortos, loquendi secum tempus dedit; mox etiam, velut insidiis ejus petitus, sceleste insimulare cœpit: in quo turpiter deprehensa ejus vanitas est.

25. Apertè deinde Antonii ac Dolabellæ consulum ad nefandam dominationem erupit furor. sestertium septies millies, depositum à Cajo Cæsare ad ædem Opis, occupatum ab Antonio, actorum ejusdem, insertis falsis, civitatibusque corruptis, commentariis. Atque omnia pretio temperata; vendente rempubl. consule. Idem, provinciam Decimo Bruto designato consuli decretam, *Galliã* occupare statuit: Dolabella transmarinas decrevit sibi: interque naturaliter dissimillimos ac diversa volentes crescebat

odium

odium, eoque Cajus Cæsar juvenis quotidianis Antonii petebatur insidiis. Torpebat oppressa dominatione Antonii civitas. *Indignatio*, & dolor omnibus, vis ad resistendum nulli aderat, cùm Cajus Cæsar, decimum nonum annum ingressus, mira ausus, ac summa consecutus; privato consilio, majorem Senatu pro republica animum habuit: primumq; à Galatiâ, mox à Casilino veteranos excivit paternos. Quorum exemplum secuti alii, brevi in formam justi cojêre exercitus. mox, cùm Antoni⁹ occurrisset exercitui, quem ex transmarinis provinciis Brundisium venire jusserat, legio Martia, & Quarta, cognita & senatus voluntate, & tanti juvenis indole, sublatis signis, ad Cæsarem se contulerunt. Eum senatus, honoratum equestri statua, quæ hodieque in Rostris posita ætatem ejus scripturâ indicat, (qui honor non alii, per trecentos annos, quàm Lucio Sullæ, & Cnæo Pompeio, & Cajo Cæsari contigerat) proprætorem unà cùm consulibus designatis, Hirtio & Pansâ, bellum cum Antonio gerere jussit. Quod ab eo, annum agente vicesimum, fortissimè circa Mutinam administratum est, & Decimus Brutus obsidione liberatus; Antonius turpi ac nuda fuga coactus deserere Italiam: consulum autem alter in acie, alter post paucos dies ex vulnere mortem obiit.

26. Omnia antè, quàm fugaretur Antonius, honorificè à senatu in Cæsarem, exercitumq; ejus decreta sunt, maximè auctore Cicerone: sed, ut *recessit* metus, erupit voluntas, protinusque Pompeianis partibus rediit animus. Bruto, Cassioque provinciæ, quas jam ipsi, sine ullo Senatusconsulto, occupaverant, decretæ. laudati, quicumque his se exercitus tradidissent. omnia transmarina imperia eorum commissa arbitrio. quippe Marcus Brutus, & Cajus Cassius, nunc metuentes arma Antonii, nunc, ad augendam ejus invidiam, simulantes se metuere, testati edictis, *libenter se vel in perpetuo exsilio victuros, dum reipublicæ constaret concordia, nec ullam belli civilis præbituros materiam, Plurimum sibi* honoris esse in conscientia facti sui, profecti urbe atque Italia intento ac pari animo, sine auctoritate publicâ, provincias, exercitusque occupaverant; &, ubicumque ipsi essent, prætexentes esse rempublicam; pecunias etiam, quæ ex transmarinis provinciis Romam ab quæstoribus deportabantur, à volenti-

bus acceperant. quæ omnia senatus decretis comprehensa, & comprobata sunt. Et Decimo Bruto, quòd alieno beneficio viveret, decretus triumphus. Pansæ, atque Hirtii corpora publicâ sepulturâ honorata. Cæsaris adeò nulla habita mentio, ut legati, qui ad exercitū ejus missi erant, juberentur, summoto eo, milites alloqui. Non fuit tam ingratus exercitus, quàm fuerat senatus. nam, cùm eam *Injuriam* dissimulando Cæsar ferret, negavêre milites, sine Imperatore suo ulla se audituros mandata. Hoc est illud tempus, quo Cicero, insito amore Pompeianarum partium, *Cæsarem laudandum, & tollendum* censebat; cùm aliud diceret, aliud intelligi vellet.

27. Interim Antonius, fugâ transgressus Alpes, primò per colloquia repulsus à Marco Lepido, qui pont. maximus in Caij Cæsaris locum furto creatus, decretâ sibi Hispaniâ, adhuc in Galliâ morabatur: mox sæpius in conspectum veniens militum, cùm & Lepido omnes imperatores forent meliores, & multis Antonius, dum erat sobrius, per aversa castrorum proruto vallo militibus receptus est: qui *Titulo* imperii cedebant Lepido; cùm summa virium penes eum foret. Sub Antonii ingressum in castra Iuventius Laterensis, vir *Vita* ac morte consentaneus, cùm acerrimè suasisset Lepido, ne se cum Antonio, hoste judicato, jungeret, irritus consilii, gladio seipse transfixit. Plancus deinde, dubiâ, id est suâ fide, diu, quarum esset partium, secum luctatus, ac sibi difficilè consentiens, & nunc adjutor Decimi Bruti, designati consulis, collegæ sui, senatuique se litteris venditans, mox ejusdem proditor; Asinius autem Pollio, firmus proposito, & Iulianis partibus fidus, Pompeianis adversus, uterque exercitus tradidêre Antonio. Decimus Brutus, desertus primò à Planco, pòst etiam insidiis ejusdem petitus, paullatim relinquente eum exercitu, fugiens, in hospitis cujusdam, nobilis viri, nomine Cameli, domo ab iis, quos miserat Antonius, jugulatus est; *Iustissimasque* optimè de se merito viro Cajo Cæsari pœnas dedit: cujus cùm primus omnium amicorum fuisset, interfector fuit, & fortunæ, ex quâ fructum tulerat, invidiam in auctorem relegabat, censebatque æquum, quæ acceperat à Cæsare, retinere; Cæsarem, qui illa dederat, perisse. Hæc sunt tempora, quibus M. Tullius continuis actionibus æternas Antonii memoriæ inussit

notas.

potas. sed hic fulgentissimo & cælesti ore; at tribunus Canutius continuâ rabie lacerabat Antonium. Vtriq; vindicta libertatis morte stetit, sed tribuni sanguine commissa proscriptio, Ciceronis vel satiato Antonio pœna finita. Lepidus deinde à senatu hostis judicatus est, ut antè fuerat Antonius. Tum inter eum, Cæsaremque, & Antonium, commercia epistolarum; & conditionum jacta mentio, cùm Antonius & subinde Cæsarem admoneret, quàm inimicæ ipsi Pompeianæ partes forent; & in quod jam emersissent fastigium; & quanto Ciceronis studio Brutus Cassiusque attollerentur; denunciaretque, se cum Bruto Cassioque qui jam decem & septem legionum potentes erant, juncturum vires suas, si Cæsar ejus aspernaretur concordiam; diceretque *plus Cæsarem patris, quàm se amici ultioni debere.* tum inita potentiæ societas, & hortantibus, orantibusq; exercitibus, inter Antonium etiam, & Cæsarem facta affinitas, cum esset privigna Antonii desponsa Cæsari. consulatumque iniit Cæsar pridie, quàm viginti annos impleret, x. Kalend. Octobris, cum collegâ Quinto Pedio, post Vrbem conditam annis septingentis novem, ante septuaginta duos, quàm tu, Marce Vinici, consulatum inires. Vidit hic annus Ventidium, per quam urbem inter captivos Picentium in triumpho ductus erat, in eâ consularem prætextam jungentem prætoriâ. Idem hic posteà triumphavit.

Furente deinde Antonio, simulque Lepido, quorum uterque, ut prædiximus, hostes judicati erant, cùm ambo mallent sibi nunciari quid passi essent, quàm quid emeruissent, *Repugnante* Cæsare, sed frustrà adversus duos, instauratum Sullani exempli malum, proscriptio. Nihil tam indignum illo tempore fuit, quàm quòd aut Cæsar aliquem proscribere coactus est; aut ab illo Cicero proscriptus est; abscissaque scelere Antonii *vox publica est*, cùm *ejus salutem* nemo defendisset, qui per tot annos & publicam civitatis, & privatam civium defenderat. Nihil tamen egisti, Marce Antoni: (cogit enim excedere propositi formam operis, erumpens animo ac pectore indignatio) nihil, inquam, egisti, mercedem scælestissimi oris, & clarissimi capitis abscissi numerando, auctoramentoq; funebri ad conservatoris quondam reipublicæ tantique consulis irritando necem. Rapuisti tu Marco Ciceroni

 lucem

lucem solicitam, & ætatem senilem, & vitam inferiorem te, principe, quàm sub te Triumviro mortem; famam verò, gloriamque factorum atque dictorum adeò non abstulisti, ut auxeris. Vivit, vivetque per omnium sæculorum memoriam. Dumque hoc vel forte, vel providentiâ, vel utcumque constitutum, rerum naturæ corpus, quod ille pæne solus Romanorum animo vidit, ingenio complexus est, eloquentiâ illuminavit, manebit incolume; comitem ævi sui laudem Ciceronis trahet; omnisque posteritas illius in te scripta mirabitur, tuum in eum factum exsecrabitur.

Hæc ex Velleio tanquam maximè profutura decerpsimus. Cetera qui desideraverit, ipsum adeat, sed cum judicio, nec ubique (seu stylum, seu veritatem spectes) amplectendum. Lima scriptis defuit. gemmas recondidit, sed non satis politas. Quandoque calore eloquentiæ assurgit, oratori quam historico propior, membris, incisisque frequens, periodis circumductus, vi copiaque longiùs elatus. Nonnunquam repit etiam, vilescitque neglectior. Interea acri quadam argutaque & sententiosa dicendi facultate pollet, nec studiosæ juventuti, nec maturæ ætati subtrahendus.

FINIS.

INDEX

INDEX

Rerum ex antiquitate maximè notabilium, ideoque ex altera veluti parte, quæ à libro quarto, cum novo numero incipit, potissimum desumptus.

Numerus igitur p. significat paginam partis secundæ quæ à libro quarto inchoatur. In priori parte quæ à lib. 1. incipit, adijcitur l. 1. vel 2. &c.

A.

Deos

G.

H.

I.

L.

Lectio

M.

N.

Ninus

Pytha-

Car-

Volu-

X.

Z.

FINIS.